Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
12 C
13 M

XXXIV. 9. 4. 7.
E. 3.



Sic propriis otiis consuluit Anno 1751.

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

CONSTITVTIONES SYNODALES.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google


S. PATRIARCHA BENEDICTVS
Sacri Cęnobij Sublacensis Fundator,
ac Primus Abbas

Digitized by Google

SYNODVS
DIOECESANA
INSIGNIS ABBATIÆ
SVBLACENSIS
NVLLIVS DIOECESEOS, CELEBRATA

Per Eminentiſſimum, & Reuerendiſſimum Dominum

DOMINVM CAROLVM
MISERATIONE DIVINA SANCTI CÆSARII

Diaconum S. R. E. Cardinalem

CAROLVM BARBERINVM,

Sacroſanctæ Baſilicę Principis Apoſtolorum Archipresbyterum, & Sacri Monaſterij Sanctæ Scholaſticæ eiuſdem Abbatiæ Sublacenſis Abbatem, & perpetuum Commendatarium, eiuſque Diœceſeos, ac iuriſdictionis Ordinarium.

Dominica tertia poſt Pentecoſten, ac tribus inſequentibus Ferijs, diebus nempè tertia, quarta, quinta, & ſexta menſis Iunij Anno Domini 1674.

ROMÆ, TYPIS BARBERINIS. M. DC. LXXIV.

Excudebat Michael Hercules. *Superiorum permiſſu.*

Digitized by Google

CAROLVS

MISERATIONE DIVINA SANCTI CÆSARII
DIACONVS S.R.E. CARDINALIS

CAROLVS BARBERINVS,

Sacroſanctæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum Archipresbyter, & Sacri Monaſterij S. Scholaſticæ Inſignis Abbatiæ Sublacenſis, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Abbas, & perpetuus Commendatarius, eiuſque Diœceſeos, & iuriſdictionis Ordinarius, nec non Oppidi Sublaci, Caſtrorumque dictæ Abbatiæ Subiectorum Princeps, ac Dominus.

Vniuerſo Abbatiæ ſuæ Clero ſempiternam in Domino fœlicitatem.


PAuca hic, Chariſsimi in Chriſto fratres, & filij, præfari cenſemus, quandò, & voce coram, & ſcripto pluribus vos compellauimus, quibus muneris noſtri vices, ſaltem attingere, ſi non explere, quod certè vires noſtras longè exce-

dere,

dere ingenuè profitemur, ad laborauimus. Publicamus itaque, vobiſque tranſmittimus typis editas Conſtitutiones, quas in Synodo Diœceſana à Nobis, ſingulari Dei miſerentis beneficio nuper habita promulgauimus, obteſtantes vos, Dilectiſsimi, & toto cordis affectu in Domino obſecrantes, vt non à quo tradantur, imbecillitatem, ſcilicèt noſtram attendentes, ſed quæ in illis continentur, Dei nimirum ſcientiam, & Eccleſiæ documenta accuratè conſiderantes, per omnia vos (vt Dei Miniſtros decet) hoſtias, pro commiſſo vobis grege, Altiſsimo acceptabiles ſemper exhibeatis, ac in cunctis rationabile obſequium veſtrum vbique comprobetis, quò profecto magis, magiſque in ea, ad quam vocati eſtis, ſpe

robo-

roborati, reportetis finem eiuſdem vocationis veſtræ ſalutem animarum; Gratiam ſic, & benedictionem ab eo vberrimè conſecuturi, qui vos de tenebris euocauit in admirabile lumen ſuum, vt concreditos vobis ab vmbra mortis, vobiſcum vnà, ad Paradiſi gaudia deducatis; Cœleſtem interim eandem benedictionem ab ipſo gratiarum, & bonorum fonte iugitèr vobis apprecamur, atque amantiſsimè impartimur.



CAROLVS S. CAESARII
Diaconus S. R. E. Cardinalis
CAROLVS BARBERINVS

Sacroſanctæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum Archipreſbyter, & inſignis Monaſterij S. Scholaſticæ Abbatiæ Sublacenſis, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Abbas, & perpetuus Commendatarius, eiuſque Diœceſeos, ac Iuriſdictionis Ordinarius.

SYnodum Diœceſanam hoc anno, Deo iuuante habituri, vt Sanctorum Patrum inſtituta, præceptaque ſequamur, neque pereat fructus ille, quem ex ea capere omnes poſſumus, monemus in Domino, ac pœnis Sacrorum Canonum, ſeù alijs ad arbitrium Noſtrum propoſitis, iubemus in virtute Sanctæ Obedientiæ omnes, & ſingulos, qui in Diœceſi Noſtra beneficia, etiam ſimplicia, ac cuiuſuis generis, vel titulo obtinent, vel aliàs inſeruiunt, eos item, qui Sacris Ordinibus initiati ſunt, omnes etiam, qui in minoribus Ordinibus ſunt conſtituti, qui in habitu, & tonſura incedentes alicuius Eccleſiæ ſeruitio adſcripti ſunt, & quoſcunque alios, qui de iure, vel conſuetudine Synodo huius Diœceſis intereſſe debent, die tertia menſis Iunij proximi, quæ erit Dominica tertia poſt

¶ Pen-

Pentecoſten in Noſtram Cathedralem, & Abbatialem Eccleſiam S. Scholaſticæ conuenire, neque verò pro ſe alios mittere, niſi qui legitima cauſa ſint impediti, quam Nobis probauerint. Volumus autem, vt hæc Synodi indictio affixa Valuis eiuſdem Cathedralis, & Abbatialis Eccleſiæ, necnon ſingularum Parochialium Eccleſiarum totius Diœceſis perinde omnes, & ſingulos intereſſe habentes afficiat, ac ſi fuiſſet ſingulis ſingillatim intimata. Datum ex Arce noſtra Abbatiali Sublaci die 25. menſis Aprilis anno 1674.

Card. Carolus Barberinus Abbas Commendatarius, & Ordinarius.

Ioannes Cecius Secretarius.

PRÆ-

PRAEMONITIONES
AD CLERVM VNIVERSVM

Tam Oppidi, quàm Diœceſis Noſtræ Abbatiæ Sublacenſis, pro habenda Synodo Diœceſana.

CAROLVS S. CAESARII
Diaconus S.R.E. Cardinalis

CAROLVS BARBERINVS

Sacroſanctæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum Archipreſbyter, & inſignis Monaſterij S. Scholaſticæ Abbatiæ Sublacenſis, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Abbas Commendatarius, eiuſque Diœceſeos, ac Iuriſdictionis Ordinarius.

1 VT inſtructior accedat Clerus ad præfatam Synodum ſciant ſe de ſequentibus præmoneri.

2 Accedant cum Veſtibus talaribus, & Biretis, & Superpelliceis mundis Canonici, & Parochi cum eccleſiaſticis eorum inſignibus, omnes cum decenti tonſura.

3. Afferant Literas, ſeu Bullas Beneficiorum ſuorum ij, qui adhuc in Viſitatione non exhibuerunt, ſub pœna aureorum duorum pijs locis applicandorum.

4. Qui ſine titulo Eccleſijs inſeruiunt ſiue Curati, ſiue Capellani nomine, & ij præſertim, qui Confeſſiones audiunt, literas afferant facultatis, ſeu deputationis ſuæ.

5. Parochi deferant eorum nomina, qui peccata ſua non ſunt confeſſi, & in Paſchate Sacram Communionem non ſumpſerunt; Excommunicatorum, item Blaſphemorum, publicorum Concubinariorum, Coniugum diuiſorum, & ſimilium perſonarum, quæ alijs ſcandalo ſunt, necnon abuſus tollendos. Recenſeant quoque numerum animarum, quas habent in Parochia, & quot defuncti ſunt ab vltima Viſitatione, quot baptizati, quot matrimonio coniuncti.

6. Beneficiati, & Curati afferant inuentaria bonorum ſtabilium, & mobilium Eccleſiæ ſuæ, ſacræque ſupellectilis, qui nondum detulerunt: aut ſi habent, quæ addant, renouent, ac ſuppleant, & vt in librum referri queant, ea ſcribi curent in folio charactere apto, & in charta vniformi, quam vocant in folio.

7. Afferat vnuſquiſque Breuiarium, & Calendarium huius anni cum nomine ſuo ſcripto in prima pagina.

8. Qui legitimè impediti non venerint, tranſmittant tamen ad Nos prædicta.

9. Die Dominica, quæ proximè Synodum præcedit, Parochi, qui præſertim Capellanos non habent, inquirãt publice in Eccleſia ſi qui ſint ægroti

in

in Parochia, vt illos viſitent, etiam non requiſiti; & eos commendent vicinis Sacerdotibus, ſeu Regularibus, ne durante Synodo fiat eorum mora periculi occaſio. Vbi verò non ſunt Sacerdotes, Nos quamprimùm conſulant, vt prouideamus.

10. Ad Tabernas, ſeu Cauponas in Oppido ne diuertant Nobis inconſultis, aut Hoſpitiorum Præfecto: Neque ad laicorum ædes, niſi propinquorum, & in Hoſpitijs à Nobis deputatis cibum ſument, & pernoctabunt.

11. Parochi interim ſæpiùs moneant populos ſuos, vt vberem fructum à Deo pijs precibus poſtulent, & vt die Dominico Synodum proximè antecedenti ad eundem effectum ritè confeſſi communicent; idemque multò magis præſtent Clerici, qui ad Synodum venerint in prima Miſſa Synodali.

12. Eodem autem die Dominico Synodum præcedente ſinguli Parochi in ſuis Eccleſijs Sanctiſſimum Sacramentum per aliquas horas ad oſtiolum Tabernaculi decenter exponant, vt ita publicis precibus ad ſacram hanc actionem fructuosè obeundam adiuuemur.

13. In ferijs quintis ante Synodum à die, qua has præmonitiones receperint, Miſſas de Spiritu Sancto celebrent, vel Collectam dicant: & in Feſtis diebus Litanias Sanctorum ante Miſſam cum populo recitent.

14. Vicarij Foranei, ſeu eorum Viceſgerentes adſint coram Nobis die vigeſima octaua menſis

Maij,

Maij , cum notulis eorum , qui in ſuo Vicariatu intereſſe Synodo debent; quod idem faciant Parochi Oppidi Sublaci , notato cuiuſque nomine , cognomine , Ordine ſacro , titulo Dignitatis , & Beneficij.

Datum ex Arce Noſtra Abbatiali Sublaci die 25. menſis Aprilis anno 1674.

Card. Carolus Barberinus Abbas Commendatarius , & Ordinarius .

Ioannes Cecius Secretarius.

ORA-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO
HABITA
Ab Eminentiſſimo, & Reuerendiſſimo Domino
CARDINALE ABBATE
DIOECESANAM SYNODVM INCHOANTE.

IN hoc ſacro conſeſſu iamprideṁ à Nobis expetito, nunc tandem Diuina adſpirante gratia congregato, dum non in ſublimitate ſermonis, ſed intimo, ac ſincero cordis affectu vos alloquimur (Dilectiſſimi in Chriſto fratres, & filij) mecum etiam ipſe loquor. 1. ad Corinth. c.2.v.1.

Par ſiquidem, & æquale vtrique noſtrum diſtrictæ Dominicæ vltionis periculum imminet, ſi in ijs quæ Diuini Paſtoris iuſſu à me monſtranda ſunt, Sanctiſſimo præcone clamante, Eccleſiaſt. c.4. v.28.

ne retinens verbum in tempore ſalutis, illud ego quamuis rude, quamuis imperitum vobis ſubſtraxerim, & imperfecti mei plenè conſcius ab iniuncto mihi munere quodãmodo deflectens, quale veſtrum ſit veſtræ omnium ſolicitudini ſubticuerim: ac ſi viciſſim, quæ veſtrarum partium ſunt, vobis quà ſuaſionibus, quà monitionibus, quà præceptis tum oſtenſa, tum iniuncta vos ipſi refugeretis; Quæque explere tenemini, iiſque omni ſtudio, omni contentione in dies magis, magiſque inſudare, ea non modo forſan contemneretis (quod omninò abeſt ſuſpicari, vt à veſtra pietate, veſtris moribus, vitęque genere, quod Dei clementia profitemini, prorſus abhorrens, ac alienum) verùm leuiter etiam negligeretis; ſicque onus noſtris impoſitum humeris erecta ceruice ſuſtinere, pro ſua quiſq; virili, vel paululùm detrectaremus.

Ete-

Etenim, quod gerimus, Dilectiſſimi, non mundi negotium eſt, ſed negotiorũ omnium præcipuum, lucrum ſcilicet Animarum, quarum in extremo à Nobis die tam ſeuera exigetur ratio, vt ſi quampiam, vel minimo vitio noſtro, hoſtis perpetuò excubans ſubripuerit, rei ſanguinis, quem immenſo ſui pretio Chriſtus redemit, inueniemur. Quid tunc, fratres cariſſimi, quid quæſo plura expleuiſſe profuerit, ſi quod potiſſimum fuit, incuria noſtra, vt par erat, non expleto, omnium maximum detrimentum patiamur?

Ezechiel c. 34.

Matthęi c.16. v.26.

Vt igitur in tanto diſcrimine nobis omnibus prouidè conſuleretur; Quod olim ſacræ vetuſtæ tabulę præcipiebant, *vocate coetum, ſanctificate Eccleſiam, coadunate ſenes*, hoc quantò ſanctius, tantò perfectius adimplens Catholica Eccleſia Mater noſtra per Apoſtolicam Sedem Eccleſia-

Ioel. c.2. v.15.

rum omnium Magiſtram ſanctiſſimis legibus ſanciuit, Synodales conuentus quàm frequentiſſimè eſſe cogendos, & in ijs, ea matura, ac ſedula deliberatione decernenda, quæ & labentem Eccleſiaſticam diſciplinam erigere, quæque vigentem confirmare, &, vt paucis complectar, militantem Hieruſalem ſine macula, & ſine ruga cælesti quamſimillimā reddere, ac repræſentare apud mortales poſſint. Sunt enim, Damaſo teſte, ſacra hæc comitia antidota aduerſus venena mortifera, ijs radicitus euellendis, quæ plerumque labuntur in abuſionem, & in ſcandalum. Sunt inſtrumenta, quibus, & ægrotis, & bene valentibus opportuna paranda ſunt pharmaca, quò apta ſuo quæque tum tempori, tum perſonis exhibeatur medicina. Sunt demum Propheta acriter monente, media, quibus deperdita requirantur, abiecta reducantur,

Epheſ.c.5.v.26.

Apud Theodoret. lib.2.c.22.

Matth.c.9.v.12.

S.Auguſt. lib.1. de Serm. Dñi in monte ſub initium, ſeu cap.1.

Ezechiel c.34. v.16.

Digitized by Google

cantur, confracta alligentur, conſolidétur infirma, pinguia, & fortia cuſtodiantur; & quod ſumma eſt; grex eo iudicio paſcatur, vt non paſcamus auſteritate imperantis, ſed charitate paſcentis. Siquidem quod humano corpori euenire vſu ipſo experimur, vt non modo ei ſuſtentando, quotidianis opus ſit alimentis; verùm & valetudini interdum non firmæ, interdum etiam collapſæ, aut fouendæ, aut reparandæ medicamenta adhibeantur, neceſſe ſit, hoc ipſum, & myſtico Eccleſiæ contingit, vt & latis iam ſaluberrimis ſanctionibus, conſeruetur in eo vigor ille virtutum, membrorumque omnium optima compages, quibus ſponſi oculos in ſe allicit, ſed & inſuper ſi quid temporum viciſſitudine, vt in humanis ſolet, labefactetur, & corruat, nouis ſubinde iteratis, & prout opportunitas exegerit, validiore munimine ſeptis conſolidetur, Ibidem v.4.

tur,

tur, ac fulciatur, ſuoque primæuo robori, atque ſplendori reuocetur.

Quamobrem cùm VRBANVS VIII. ſanctæ mem. Pontifex Maximus ſuffragijs, atque præſidio fel. rec. Antonij Barberini S.R.E. Cardinalis Prædeceſſoris, ac Patrui mei, Apoſtolicæ plenitudinis theſauros perenni beneficientia in inſignem hanc Abbatiam Diui Benedicti cunabula, totque deinceps præcellentium Diſcipulorum Tyrocinium, vbertim effuderit; à circumiectis Epiſcopalibus Cathedris eam exemerit, peculiari Territorio, propriaq; Diœceſi attributis, omnibuſque ad Oecumenicæ Tridentinæ Synodi calculos munificentiſſimè redactis, Pontificali Throno penè ſupparem conſtituerit; nihil profecto antiquius habere, nec potui, nec debui, quàm vt primam hanc Diœceſanam Synodum conuocarem, in qua poſt peractam iuſſu Noſtro vniuerſæ

Diœ-

Diœceſeos Viſitationem, ac luſtratione deinde à nobis ipſis initâ, omnibus in illâ ſancitis probè recognitis, veſtroque iam zelo perpenſis, quæ noſtrarum virium tenuitate perfici adhuc nequiuerunt, veſtro auxilio, veſtroue conſilio abſoluantur.

Erigamus proinde animos, & corda noſtra ad Diuinum illum Paracletum conſolationis, & gaudij opportuno hoc eum in tempore inuocantes, vt veniat in nos *ſpiritus ſapientie, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis*, quo timidæ cogitationes, & incertæ prouidentiæ noſtræ roborentur, vt ea, & inueſtigemus, & dignoſcamus, quibus per omnia diuinæ complacentes bonitati, eidem in omnibus conformemur. Quomodò enim ſciemus ſenſum Domini in vijs, & operibus noſtris, niſi dederit ipſe ſedium ſuarum aſſiſtricem ſapientiam, & miſerit Spi-

Ioan. c. 14. v. 16.
Iſaiæ c. 11. v. 2.
Sapient. c. 9. v. 14.
Pſal. 18. v. 15. & 25. v. 3. & 43. v. 4. & Ioan. 18. v. 29.
Ad Rom. c. 11. v. 34.
Sapient. c. 9. v. 4.
Ibidem v. 17.

ritum

ritum Sanctum ſuum de altiſſimis ; quo corrigantur ſemitæ noſtræ, & quę ipſi placeant, addiſcamus ? Aut quo-
Ioan. epiſt. 1. c.2.v.3. & 4. modò, quaue fronte eius nos Mini-ſtros profitebimur, cuius non cuſto-diamus mandata, non ſequamur prę-cepta, voci non obediamus, legem non detrectantes modò, ſed turpiter
Ibidem; & c.4. v.20. terga vertentes ? Nonne Apoſtolica increpatione meritò vrgeremur, quā-do ſic verè mendaces eſſemus, & in
Ad Titum c. 1. v.16. nobis veritas non eſſet Deum noſſe dictis aſſerentibus, factis autem im-pudentiſſimè denegantibus. Huc itaque tendant vota noſtra, huc pre-
Sapient. c.9. v.10. ces, vt illam de ſede magnitudinis ſuæ obtinentes, nobiſcum ſit, & no-biſcum laboret, ac tam in decernen-dis, quàm in exequendis diuinis prę-
Ibidem. ceptis ſciamus quid acceptum ſit co-ram eo omni tempore ; ſciamus di-
Ad Epheſ.c.4. v.1. gnè ambulare vocatione, qua vocati ſumus, nec vnquam à mandatorum

ſemi-

ſemita declinantes, ſemper immacu- Pſal. 118. v.10.
lati, ſemperque pauidi Legem Domi- v.32. Ad Philippen. 2. v.12.
ni alacres decurramus. Vni ſaluti
Animarum addicti non aliud cum Epiſt.2.Petri 1. v.10.
Apoſtolo pariter ſatagamus, quàm vt
per bona opera illis iugiter, ac ſedulò
impenſa certam eandem noſtram
vocationem, & electionem faciamus.
Sic tuta in hoc mortali exilio peregri-
nantes via, beatitudinis portum re-
ctà teneamus, non in circuitu more Pſal.11.v.9.
impiorum ambulantes iniquitatum Pſal. 17. v.5. & 37.v.5.
fluctibus iactati eò allidamur, vbi mi-
ſerè naufragio facto, æternis demer-
gamur ſupplicijs.

Non, quæſo, nos occurſantes diffi-
cultates perturbent, inimico ſeminan- Matth.13.v.15.
te zizania, non virium imbecillitate
voluntaria abiectione deprimamur;
ſed in aduerſa cuncta forti, conſtan-
tique animo obnitentes Angelico mi-
niſterio Dei munere dignati penſe-
mus cum Magno Leone noſtrę excel- Serm. de Tranſfig. Domini.

¶¶¶ len-

lentiam dignitatis. Expendamus fore
Epiſt.2. ad Corinth.1.v.7. nos ſocios conſolationis, ſi paſſionum,
atq; laborum eſſe non detrectabimus;
Tumque eius honoris conſortium,
quo caput præfulſit, iure nobis membra
pollicebimur, ſi & tribulationum
Ad Roman.12. v.15. partem in nos deriuabimus gauiſuros
meritò cum gaudentibus, ſi fleuerimus
cum flentibus, ac pro comperto
S. Leo vbi ſup. habentes inter tentationes huius
vitæ priùs nobis poſtulandam eſſe
tolerantiam, vt deinde conſequamur,
& gloriam.

Vt ergo ad hanc vnicè collimemus, noſtra ſint omnium vota, noxia cuncta vitare, ſalubria quæque complecti, memores cum ſapientiſſimo
Tract. 87. in Ioan. Auguſtino, *neminem ſe continere, vnde turpatur, niſi diligat vnde honeſtetur*.

Ad Philippen. 4.v.8. Quo circa Amantiſſimi fratres, *quæcunque ſunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iuſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunq; bonæ famæ, ſi qua virtus,*

ſi qua

Digitized by Google

ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate, hæc ſecte- mini, hæç quaſi modò geniti ſine dolo concupiſcite, vt probata veſtra fides inueniatur in laudem, & honorem; *vt ſitis*, inquam, *perfecti, & integri in nullo deficientes*. Quod vt cumulatè præſtetis, quas iunctis hic, & animis, & ſtudijs, veſtro conſilio editas conſtitutiones promulgabimus, manibus ſedulò, ac frequenter terite, animo aſſiduè, ac indeſinenter verſate, non ad oculum intelligentes, ſed ita probantes, vt non tantùm fiat labijs ſonantibus, verùm & operibus pronunciantibus; Ita planè cuſtodientes, vt quę verbis ſuadetis, exemplis quoque oſtendatis. Ac denique, largiente Domino, conſequamur, vt non ocioſi, non negligentes tantum miniſterium anxij, ac ſoliciti impleamus, commiſſa talenta multiplicantes, non in ſudario reponentes, ne ab auſtero Domino redar-

S. Petri epiſt. 1. c. 2. v. 2.

& c. 1. v. 7.

Epiſt. Iacob. 1. v. 4.

S. Auguſt. de ſymbolo ad Catechum. lib. 4. c. 1.

Ad Timoth. epiſt. 2. c. 4. v. 5.

Matth. 25. v. 15. & ſeqq.

Lucæ 19. v. 20.

Digitized by Google

guamur, quin imò à Patre miſericordiarum vtì Fideles villici, licet poſtrema hora vocati, confertam, & coagitatam mercedem referamus, ſtrenuèque in Chriſtianæ Militiæ caſtris perfuncti laboribus, prælijs omnibus ſuperatis, hoſtibus deuictis emeriti iam immarceſcibilem illam gloriæ coronam, ad quam tendimus, ad quam quotidie gemitibus ſuſpiramus, quam votis omnibus flagitamus, de manu Paſtorum Principis, at iuſti ſimul Iudicis, Filij Dei, Chriſtique cohæredes vnà cum Grege nobis credito collætantes recipiamus.

Lucæ 16. v. 1. & ſeqq.
Matth. 20. v. 6. 9. & 12.
Lucæ 6. v. 38.
Epiſt. 1. Petri 5. v. 4.
Pſalm. 7. v. 12. epiſt. 2. ad Timoth. 4. v. 8.
Ad Roman. 8. v. 17.

IN-

INDEX
CAPITVM.

DE Fide Catholica, & illius profeſſione. Cap. 1. pag. 1.
De Blaſphemis. Cap. 2. 11.
De Verbi Dei prædicatione. Cap. 3. 15.
De Doctrina Chriſtiana. Cap. 4. 23.
De Sacræ Scripturæ Lectione. & Caſuum Conſcientiæ Congregationibus. Cap. 5. 33.
De Sacramentis in genere. Cap. 6. 39.
De Sacramento Baptiſmi. Cap. 7. 44.
De Sacramento Confirmationis. Cap. 8. 56.
De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. Cap. 9. 62.
De Sacrificio Miſſæ. Cap. 10. 78.
De Sacramento Pœnitentiæ. Cap. 11. 94.
De Extremæ vnctionis Sacramento. Cap. 12. 112.
De Sacramento Ordinis. Cap. 13. 119.
De Sacramento Matrimonij. Cap. 14. 128.
De Sacris Reliquijs. Cap. 15. 138.
De Sacris Imaginibus. Cap. 16. 144.
De Indulgentijs. Cap. 17. 149.
De Feſtorum obſeruantia. Cap. 18. 152.
De Ieiunio. Cap. 19. 160.
De Proceſsionibus. Cap. 20. 164.
De Vita, & honeſtate Clericorum. Cap. 21. 170.
De Officio Parochi. Cap. 22. 178.

De

De Clericis inſeruientibus Eccleſijs parochialibus. Cap 23. 191.
De Capitulo, & Canonicis. Cap. 24. 195.
De Foro Eccleſiaſtico, eiuſque Officialibus. Cap. 25. pag. 209.
De Vicarijs Foraneis. Cap. 26. 215.
De Sacroſanctis Eccleſijs, & earum Cultu, ac Immunitate. Cap. 27. 227.
De Funeribus, & Sepulturis. Cap. 28. 225.
De bonis Eccleſiarum, locorumque piorum. Cap. 29. pag. 235.
De bonorum Eccleſiarum, aliorumque locorum piorum, Inuentario, & Archiuio. Cap. 30. 243.
De Legatis pijs. Cap. 31. 248.
De Regularibus, alijſque exemptis. Cap. 32. 252.
De Monialibus. Cap. 33. 257.
De Eremitis. Cap. 34. 268.
De Societatibus Laicorum. Cap. 35. 271.
De Seminario erigendo, & Ludimagiſtris. Cap. 36. pag. 282.
De Monte Frumentario. Cap. 37. 286.
De Hoſpitalibus. Cap. 38. 288.
De Concubinarijs. Cap. 39. 292.
De vſuris, & illicitis contractibus. Cap. 40. 295.
De Iudicibus Synodalibus. Cap. 41. 300.
De Examinatoribus. Cap. 42. 302.
De Teſtibus Synodalibus. Cap. 43. 307.
De Conſtitutionibus Synodalibus. Cap. 44. 311.
Catalogus Officialium Synodi. 317.

Ca-

Catalogus Officialium Cleri. 327.
Acclamationes Synodales. 333.
Rogitus Notariorum Synodalium. 337.
Lettera circolare inſtruttiua à i Parochi.
Breuis enarratio Spiritualis ſtatus Abbatiæ.
Indiculus Chronologicus Abbatum Monaſterij Sublacenſis.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro Sac.Pal.Apoſt.

I.de Ang.Archiep.Vrb.Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capiſuccus Ordinis Prædicat. Sac. Pal.Apoſt. Magiſter.

In nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

NOS CAROLVS

MISERATIONE DIVINA SANCTI CÆSARII DIACONVS S.R.E. CARD.

CAROLVS BARBERINVS,

Sacroſanctę Baſilicæ Principis Apoſtolorum Archipresbyter, & Sacri Monaſterij S. Scholaſticæ Inſignis Abbatiæ Sublacenſis, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Abbas, ac perpetuus Commendatarius, eiuſque Diœceſeos, & iuriſdictionis Ordinarius.

Infraſcriptas Conſtitutiones, & Decreta in præſenti noſtra prima diœceſana Synodo ſtatuimus, & promulgamus.

De Fide Catholica, & illius profeſſione.

CAPVT I.

1 QVoniam impoſſibile eſt, ſtabilem ſpiritualis ædificij molem conſiſtere abſque firmiſſimo Catholicæ Fidei fundamento, cum ipſa ſit humanæ ſalutis initium, oſtium vitæ, & radix omnis iuſtificationis, ac ſine ipſa Deo nequaquam

Conc. Trident. ſeſſ. 6. de iuſtificatione cap. 8. Hebr. 11. v. 6.

placere poſſimus, nec ad filiorum eius conſortium peruenire: Idcircò antiquiſsima ſacrorum Conciliorum comprobata conſuetudine adducti, confortati in Domino, & in potentia virtutis eius, ab eiuſdem Fidei profeſsione noſtrarum Synodalium conſtitutionum exordium ſumendum cenſuimus, vt ita ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, eam, quam corde gerimus veritatem, ore prædicemus, eumque coram hominibus confiteamur, quem nos coram Patre ſuo cæleſti confeſſurum eſſe ſperamus.

Ephes.6. v. 10.

Ephes.2. v.20.

Matth.10. v.32.

2. Præcipimus igitur, vt fidem Catholicam, quam Sancta Eccleſia Romana veritatis magiſtra profitetur, & colit, quamque Sacri Concilij Tridentini decretis inhærentes, ex formula in Conſtitutione fel.rec. Pij Papæ IV. præſcripta, nos in hac prima noſtra Diœceſana Synodo, ſincero mentis aſſenſu profeſsi fuimus, eam ipſam omnes, & ſinguli Clerici, Beneficia quæcunque eccleſiaſtica in hac noſtra Diœceſi obtinentes, ſi hactenus id non fecerint, in hac ipſa Synodo, cui poſt adeptam Beneficiorum poſſeſsionem primò interfuerint; publicè profiteantur, aliàs ſecundum formam ſacrorum Canonum punientur.

Trid. ſeſſ. 3. & ſeſſ 25. de ref. cap.2.

Pius IV. cõſtit. 89. Iniũctum nobis,

Trid. dict. ſeſſ. 25.de ref. cap.2.

3. Eamdem Fidei profeſsionem iuxta ſupradictam formam omnes prouiſi de Beneficijs curam animarum habentibus, ſaltem infra duos menſes à die acquiſitæ poſſeſsionis, in manibus noſtris, ſeu

Vi-

Digitized by Google

Vicarij noſtri Generalis emittere teneantur;aliòquin meminerint abſque vlla hominis declaratione ſe fructus ſuos non facere, nec illis pacificam poſſeſſionem ſuffragari, iuxta Concilium Tridentinum, & eiuſdem Pij Papæ IV. ſanctiones; Quas pariter extendimus ad omnes prouiſos de Canonicatibus in Collegiatis Eccleſijs noſtrę Abbatię, quos ad eandem Fidei profeſsionem, non modo coram Nobis, vel noſtro Vicario Generali, ſed etiam in ipſo Canonicorum Capitulo emittendam, infra idem tempus duorum menſium, ſub eadem omninò pœna in præfatis ſanctionibus contenta, teneri volumus, & mandamus.

Trid. ſeſſ. 24. de ref. cap. 12. Pius IV. d. conſtit. 89.

4. Concionatores ſimiliter tam Seculares, quã Regulares, Sacerdotes omnes ad audiendas confeſſiones, etiam Monialium addicti, necnon Vicarij foranei, Procuratores fiſcales, & Cancellarij Curiæ Eccleſiaſticæ, Magiſtri Grammatices, & alij, ſi qui ſunt, in locis noſtræ Ditioni ſubiectis, bonarum artium Profeſſores, ad propria obeunda munera, non niſi præuia eiuſdem orthodoxæ Fidei profeſsione admittantur, & abſque ea admiſsi, ſi infra menſem poſt præſentium conſtitutionum publicationem illam emittere neglexerint, ab eorumdem munerum exercitio arcebuntur, alijſque grauioribus pœnis, arbitrio noſtro, plectentur.

Ex conſtit. 88. Pij IV. in ſacroſancta.

5. Medicam verò artem exercentes, vltra Fidei profeſsionem, iuramentum emittere teneantur de diligenter obſeruanda B. Pij V. Conſtitutione, quæ

Pius IV. d. conſtit. 88. Pius V. cõſtit. 3. ſuper gregem.

Digitized by Google

incipit *ſuper gregem*; niſi tamen ſe in ſuſceptione gradus vtrumque pręſtitiſſe docuerint.

6. Quæ omnia, vt executioni demandata ſemper appareant, nomina, & cognomina eorum, qui Fidei profeſsionem emiſerint, à noſtræ Eccleſiaſticæ Curiæ Cancellario in librum ad hunc vſum in Cancellaria aſſeruandum, duobus teſtibus adhibitis, cum cauſa, loco, die, & anno profeſsionis, ad perpetuam rei memoriam adnotentur.

7. Formulam autem profeſsionis Fidei à præfata Pij Papæ IV. Conſtitutione depromptam, hoc loco attexendam duximus, videlicet:

8. Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Eccleſia vtitur, videlicet. Credo in vnum Deum Patrem Omnipotentem, Factorem Cœli, & Terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum; Filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſecula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt; qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis; Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & Homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt; & reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas, & aſcendit in Cœlum, ſedet ad dexteram Patris, & iterum venturus eſt cum gloria iudicare

vivos,

Digitized by Google

uiuos, & mortuos; cuius Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur; qui loquutus eſt per Prophetas: & vnam Sanctam Catholicã, & Apoſtolicam Eccleſiam; confiteor vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum; & expecto reſurrectionem mortuorum; & vitam venturi ſeculi. Amen.

Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes, & Conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector. Item ſacram Scripturã iuxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum ſcripturarũ, admitto, nec eam vnquam, niſi iuxta vnanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta nouæ legis à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licèt non omnia ſingulis, neceſſaria: ſcilicèt Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimoniũ, illaque gratiam conferre; & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari nõ poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ Ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali,

nali, & de iuſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro viuis, & defunctis: atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem vnà cum Anima, & Diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, fierique conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem; quam conuerſionem Catholica Eccleſia Trãſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas Fidelium ſuffragijs iuuari: ſimiliter, & Sanctos, vna cum Chriſto regnantes, venerandos, atque inuocandos eſſe; eoſque orationes Deo pro nobis offerre; atque eorum reliquias eſſe venerandas. Firmiſſimè aſſero Imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe, affirmo. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco. Romanoque Pontifici, Beati Petri Apoſtolorum Principis, Succeſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario veram

obe-

Digitized by Google

obedientiam ſpondeo, ac iuro. Cætera item omnia a Sacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac præcipuè a Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor; ſimulque contraria omnia, atque Hæreſes quaſcunque ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſpontè profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam vſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum, Ego idem N. ſpondeo, voueo, ac iuro; ſic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

9. Vt autem hæc Catholica fides, quam didicimus ab ea, quæ firmamentum eſt, & columna veritatis Eccleſia, omni hæreticali expulſa perfidia, ſine ruga, & ſine macula in ſua vnitate conſeruetur, & gregem Domini Nobis creditum pernicioſa erroris lues non inficiat, imò eius quoque ſuſpicio procul arceatur, ſollicitè mandamus, ne quis hæreticos, ſchiſmaticos, aut quouis modo de hæreſi ſuſpectos domi recipere, aut cum eis conſuetudinem habere in noſtra ditione præſumat, ſub pœnis in ſacris Canonibus, & Bulla Cœnæ conſtitutis.

1. Timoth. 3. verſ. 16.

c. ſicut ait 8. & c. excommunicamus 13. §. credentes, de hæreticis, ac c. quicunque 2. eod. tit. in 6.

10. Neque ſolum hæreticorum commercium,

ſed

ſed etiam librorum hæreſim continentium, & aliorum, qui in indice damnatorum recenſentur, lectionem, & retentionem omnibus tam Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus perſonis omninò prohibemus ſub pœna excomunicationis, & alijs, in regulis eiuſdem Indicis contentis, & in conſtitutione Pij Papæ IV. comprobatis.

Ex regulis de libris prohibitis in Trid. Conc. firmatis, & Bulla 77. Pij IV. Dominici.

11. Strictiùs præcipimus omnibus, & ſingulis, quibus animarum cura incumbit, & de quorum manibus ouium Chriſti ſanguinem, quæ ex ipſorum negligēti regimine peribunt, Supremus Iudex requiret, vt ſedulò inuigilent, ne in ſuis Parochijs aliqui commorentur ab Orthodoxæ Fidei dogmatibus alieni, vel etiam eo nomine ſuſpecti, vt, qui iuriſdictionem, vel perſonas, aut cenſuras eccleſiaſticas contemnerent; qui Sacramenta, eorumque vſum, ritus ſacros, indulgentias, & ſuffragia mortuorum irriderent, aut aliàs in fide dubij, vel à Catholica doctrina aberrantes apparerent. Eos verò, quos huiuſmodi labe infectos, in tenebris, & vmbra mortis ſedentes, aliqua ratione animaduerterint, omni adhibita diligentia ad verùm Fidei lumen reuocare conentur, & præterea eorum nomina ad Nos deferant ſub pœnis in ſacris Canonibus contentis.

Ezech. 3. v.18. & c.33.v.7.& 9.

Luc. 1. v.79.

c. qui alios. de hęreticis.

12. Qua denunciandi obligatione cum omnes Chriſti fideles cuiuſcunque ſexus, gradus, & conditionis exiſtant, æquè arctentur, de ea omnes à Confeſſarijs ſeriò moneri volumus; Et præterea vt hæc omnibus innoteſcant, Parochi, & Curati omnes ſingu-

c. excommunicamus 13. §. adijcimus. de hæreticis.

ſingulis annis in prima Dominica Aduentus, & Quadrageſimæ, Sacræ Inquiſitionis Edictum in calce harum Conſtitutionum apponendum, cum frequentior aderit Populi conuentus, inter Miſſarum ſolemnia promulgare, ac ſi opus fuerit, diſtinctius etiam explicare pro rudiorum inſtructione, teneantur.

13. Et quia Hæreticis proximè accedunt malefici, & incantatores, verè Diaboli ſatellites, qui ſicuti ad decipiendos humani Generis Parentes in prima Mundi origine miniſterium Serpentis aſſumpſit, ita Magorum, ac Diuinantium linguas ad ſeducendos bonorum animos veneno ſuæ falſitatis armauit; Ideò eadem omnibus impoſita ſit obligatio denunciandi Magos, Strigas, Veneficos, Augures, Sortilegos, alioſque damnatis artibus incumbentes: ſimiliter rebus, aut verbis ſacris impiè abutentes: nec non ſignis, nodis, aut characteribus, præſertim ignotis, vel ad morbos curandos, vel ad rerum amiſſarum ſcientiam vtentes, aliaque huiuſmodi, quæ expreſſum, vel tacitum cum Dæmone pactum contineant, ſuperſtitiosè exercentes, vt hi omnes à Nobis iuxtà huiuſmodi nefarij criminis grauitatem ex Sacrorum Canonum ſanctionibus, & præcipuè ad formam Conſtitutionis Sixti V. contra ipſos editæ ſeuerè puniantur.

c. 1. de ſortileg. c. ſortes, c. contra, c. augurijs, & c. Epiſcopi 26. quæſt. 5. Leo X. in Conc. Lateranen. ſeſſ. 9., in Bullar. conſtitut. 7. §. 41. ſupernæ diſpoſitionis. Sixtus V. conſtit. 17. Cæli, & terræ.

14. Curent etiam Vicarij noſtri tam Generalis, quàm Foranei, ne Ægyptij, qui Cingari vulgò appellantur, vagum, & fallax hominum genus per

B no-

noſtram Diœceſim frequenter vagari ſoliti, iiſdem ſortilegijs operam tribuant, ac ne vanis diuinationibus rudes perſonas ſeducant; Parochi verò ſollicitè inquirant, num ijdem Ægyptij rectè in Fide ſentiant, & Eccleſiæ præceptis obediant, ne aliàs pernicioſa ipſorum conſuetudine oues Nobis creditæ corrumpantur.

Digitized by Google

De Blaſphemis.

CAPVT II.

HOrrendum, ac deteſtabile eo-
1 rum hominum crimen, qui im-
purum os in Cælum ponere Pſalm. 72. v. 9.
non timent, & Sanctiſſimum
Dei nomen ab omnibus crea-
turis benedicendum, impijſſi-
mis labijs polluere non verentur, diuinis ſemper, &
humanis legibus æquè damnatum, imò, & turpiſſi- Leuit. 24. v. 16.
mę mortis pœna in veteri Teſtamento punitum, prę
ſceleribus omnibus diuinæ iracundiæ flagella pro-
meretur, & prouocat.

2. Ideò execrabile hoc vitium, quantum in Domino poſſumus, è noſtra Diœceſi extirpare volentes, vt hanc ipſam omnibus inquinamentis mundatam, ac perpurgatam Domino Deo per omnia placentem exhibeamus, Summorum Pontificum Leonis X., Iulij III., & Pij V. Conſtitutionibus inhærentes, ſtrictè mandamus, vt quicunque palàm, ſeu publicè Deum, & Dominum noſtrum Ieſum Christum, vel glorioſam Virginem Mariam eius Matrem expreſsè blaſphemauerit; ſi Clericus fuerit, quod quidem grauiſſimum eſt, primùm fructibus vnius anni beneficiorum eccleſiaſticorum, ſi quæ poſſidet, priuetur; ſi ſecundò in eo deliquerit,

Leo X. in Concil. Lateranen. ſeſſ. 9. in Bullar. conſtit. 7. §. 33. Supernę diſpoſitionis. Iulius III. conſt. 23. In multis. Pius V. conſtit. 5. §. 10. Cum primum.

& beneficia amittat, & inhabilis ad alia in poſterum obtinenda reddatur; ſi verò tertiò peccauerit, omnibus dignitatibus exutus in exilium mittatur. Quod ſi nullum poſſidet beneficium, pecuniaria mulcta, ſeu potiùs pœna carceris replicatis vicibus noſtro arbitrio aggrauanda, erit ſeueriſſimè plectendus; & ſi iterum eiuſdem ſceleris arguatur, ac conuincatur, grauiſſimè luet in corpore, pœna in præfata Pij V. conſtitutione ſancita.

c. ſtatuimus de maledicis, & in relatis Leonis X. Iulij III. & Pij V. conſtitutionibus.

3. Si verò Laicus fuerit, primùm, & ſecundò pecunia mulctabitur ex præſcripta in Lateranenſi Concilio ratione; tertiò grauem pœnitentiam publicè aget modo a Sacris Canonibus, & Apoſtolicis Conſtitutionibus decreto.

4. Si quis autem ſiue Clericus, ſiue Laicus in Dei Sanctos contumelioſam linguam auſus fuerit relaxare, habita ratione grauitatis criminis, cum cæteris circumſtantijs iure attendendis, arbitrio noſtro punietur.

5. Memores ſint propterea Parochi, vt hæc cunctis innoteſcant, prima Dominica cuiuslibet menſis Italicum ſummarium prædictæ Bullæ Pij V. vnà cum Edicto contra blaſphemos à Nobis edito Gregi ſibi commiſſo promulgare, ac tam ſacrilegi criminis atrocitatem acri deteſtatione ſæpiùs increpare. Parentes quoque, & Domini filios, ac ſeruos blaſphemantes ſeuerè reprehendere non negligant, & in praua conſuetudine pertinaces etiam è domo eijciant, ne ipſi tam nefarij ſceleris tolerantia diuinam

c. non putes 23. q. 5. c. error diſt. 83. c. facientis diſt. 88. c. negligere 2. q. 7. c. præterea 23. q. 8.

nam in ſe prouocent vltionem.

6. Quoniam verò mortifera hæc peſtis, ſi lateat, curari non poteſt, omnibus, & ſingulis, cuiuſcunque ſint gradus, & conditionis, enixè præcipimus, vt, ſi quem blaſphemantem hæreticaliter Deum, Beatiſſimam ſemper Virginem, & Curiæ cæleſtis Sanctos, audierint, aut certò ſciuerint, in Terra Sublaci Vicario noſtro Generali, in Diœceſi verò Vicarijs foraneis, aut, ſi id commodè fieri nequeat, proprijs Parochis, intra quindecim dies denunciare teneantur; modo & forma in prædicta Iulij III. Conſtitutione ſancitis. Vicarij verò foranei, aut Parochi præfati, poſtquam ad eorum notitiam huiuſmodi denunciationes peruenerint, ſtatim Nobis, ſeu prædicto Vicario noſtro deferre obligentur. Qui id neglexerint, præter vltionem diuinæ iuſtitiæ, quam eis annunciamus, & præter culpam lethalem, ac excomunicationem latæ ſententiæ, quam ob inobedientiam ex Summorum Pontificum Conſtitutionibus, & S. Inquiſitionis edicto incurrent, meminerint inſuper ſe ijſdemmet pœnis plectendos eſſe, quibus blaſphemi puniuntur. Obedientes verò in denunciando, ex Concilij Lateranenſis ſanctione, decem annorum indulgentiam conſequentur.

c. ſi quis per capillum 22. q. 1. Leo X. d. conſt. 7. §. 33. Iulius III. d. conſt. 23. §. 8. & 9. Edict. S. Inquiſitionis.

Iul. III. d. cōſtit. 23. §. 8.

Leo X. d. conſt. 7. §. 33.

7. Idcirco Confeſſarij in Sacramentali Confeſſione ſeriò admoneant pœnitentes de hac Blaſphemantes denunciandi obligatione, & denunciare detrectantes ſe abſoluere non poſſe meminerint: ipſos verò Blaſphemos, prę ſertim recidiuos, non aliter ab-

Ex Edicto S. Inquiſitionis.

ſol-

ſoluant ; niſi impoſita prius grauiſſima pœnitentia. Attentè tamen doceant rudiores perſonas, quæ verè ſint blaſphemiæ, ne hæc ignorantes propter erroneam conſcientiam lethaliter peccent, vbi verè lethalis culpa non adeſt.

Leo X.in relata conſtitut.

8. Demum vt huius execrabilis ſceleris pernicioſiſſimæ origini occurramus, illudque radicitùs extirpemus, publicos alearum, & talorum ludos omninò interdicimus, ſub pœnis in noſtro peculiari Edicto contentis. Commonentes propterea etiam Gubernatorem, alioſque Officiales ſæculares noſtræ Abbatiæ, vt aduerſus refractarios, eoſque præcipuè, qui proprijs commodatis domibus, vel aliàs luſorum conuentus fecerint, omni adhibita diligentia ſeuerè animaduertant.

L.alearum vſus C.de Religioſis & ſumpt.funer.



De

Digitized by Google

De Verbi Dei Prædicatione.

CAPVT III.

EX præcipua Paſtoralis muneris
1 ſollicitudine, quæ in ſalutari c. inter cætera,
ouium pabulo ſita eſt, prouidę de off. iud. Ordinar.
diuini Verbi diſpenſationi ſedulò
proſpicere monemur. Idcircò ne dies veniat, in qua Nobis à Principe Paſtorum exprobretur: *paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*, Parochis omnibus, quibus hoc paſcendi munus peculiarius incumbit, ſub diuini iudicij obteſtatione præcipimus, vt per ſe ipſos, vel, ſi legitimè impediti fuerint, per alios Sacerdotes idoneos à Nobis ad id approbandos, ſingulis ſaltem diebus Dominicis, Feſtiſque ſolemnibus, ſæpiùs verò tempore ieiuniorum Quadrageſimæ, & Aduentus Domini, præſertim vbi Concionatores non adfuerint, greges ſibi commiſſos pro ſua, & eorum capacitate ſalubri prędicationis pabulo enutriant, *prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundum Deum*, iuxta monitum Beatiſſimi Apoſtolorum Principis, *neque vt dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo*, docentes ea, quæ ſcire, omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, nec non vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, cum breuitate, & facilitate ſermonis annun-

Thren. 4. v. 4.

1. Petr. 5. verſ. 2. & 3.

Trid.ſeſſ.5. de refor. cap. 2. & ſeſſ.24. de refor. cap.4.

nunciantes, prout eis à Sac. Tridentina Synodo iniungitur: graues pœnas arbitrio noſtro ſubituri, ſi in eiuſmodi Apoſtolicæ prædicationis munere tam enixè à Chriſto Domino demandato, aliquo pacto defecerint.

Trid.ſeſſ.22. de ſacrific. Miſſæ cap.8.&ſeſſ.24. de refor. cap.7.

2. Meminerint etiam frequenter inter Miſſarum celebrationem, ſiue ex Sancto Euangelio, ſiue ex alijs, quæ in Miſſa leguntur, aliquid Populo exponere, vt ita ſalubribus doctrinis imbutus eorum prædicatione, ac magiſterio ab ignorantiæ tenebris ad ſcientiæ lumen, ab erroribus ad veritatem, à vitijs demum ad virtutes reuocetur.

Ierem.23. v.21.

c. excommunicamus §. quia verò, de hæreticis. Leo X. in Conc. Lateran. vltim. ſeſſ. 11. in Bullar.conſt. 21.§.3.Supernę. Trid.d.ſeſſ.5.de refor.cap.2. & d. ſeſſ. 24. de reform. cap. 4. Gregor.XV. conſtit. 18. Inſcrutabili. Sanctiſs.D.N. Clemens X.conſtit. 7. Superna.

3. Verùm, vt non modò à Parochis, ſed etiam ab alijs diuini Verbi Præconibus ſacro cæleſtis eloquij pabulo quàm maximè incorrupto fideles noſtrę Diœceſis enutriantur, nec adſint Pſeudoprophetæ, *qui currunt Domino eos non mittente, & prophetant Domino ad eos non loquente*, ſtrictè iubemus, ne quis, ſiue ſæcularis, ſiue Regularis extra Eccleſias ſui Ordinis vllo vnquam tempore ſine noſtra, ſeu Vicarij noſtri Generalis, aut in Diœceſi Vicariorum Foraneorum licentia, & approbatione gratis obtinenda, conciones de diuinis rebus habere præſumat. In Eccleſijs verò, aut Oratorijs proprij Ordinis, Regulares concionari non audeant, niſi obtenta prius ab eorum Superioribus permiſſione, & petita à Nobis, ſeu Vicario noſtro Generali benedictione, quam ſimiliter expoſcere teneantur, ſi in Eccleſijs, aut ad Crates Monaſteriorum Sanctimonia-

lium

Digitized by Google

lium eorum iuriſdictioni ſubiectarum, licèt clauſis ianuis, & nullus ſæcularis ibi interſit, conciones habere voluerint, ſub cenſuris, & pœnis, quas Concilij Tridentini decretis addidit ſan. mem. Gregorius XV., & latè declarauit Sanctiſſimus D. N. Clemens Decimus in Conſtitutione, quæ incipit *Superna*. Volentes propterea, vt licentiæ, vt ſupra, obtentæ, vel reſpectiuè petitæ benedictionis teſtimonium, antequàm concionandi munus aggrediantur, Superioribus, vel Rectoribus Eccleſiarum, vbi concionaturi erunt, omninò exhibeant, aliàs ab ijſdem Eccleſiarum Rectoribus, ſeu Superioribus non admittantur ſub pœnis, arbitrio noſtro, infligendis.

4. Hinc Concionatores tempore Quadrageſimæ in noſtra Diœceſi deputati, priuſquàm munus ſuum in locis ſibi deſtinatis ſuſcipiant, coràm Vicario noſtro Generali omninò ſe præſentent, opportuna monita circa miniſterium exercendum ab eo audituri; necnon poſt Fidei profeſſionem emiſſam, prout ſuperius in primo Capite decretum fuit, facultatem quoque fidelium confeſſiones excipiendi, præuio examine, ſi ita eidem Vicario expedire videbitur, percepturi.

5. At quoniam ſermo diuinus, teſte Apoſtolo, *non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis conſiſtere debet*, ijdem Diuini Verbi Præcones ſæpius animo reputent altiſſimam proprij muneris vocationem, vt ità rectè tractantes *Verbum veritatis, non ſemetipſos,* *ſed*

1. ad Corinth. cap. 2. verſ. 4.

2. ad Timoth. 2. verſ. 15.

2. ad Corinth. c. 4.v.5. 2. ad Corinth. c.6. v.4. 1. ad Corinth. c.4.v.1.

ſed Chriſtum Crucifixum prædicantes, in omnibus ſe exhibeant eiuſdem Chriſti miniſtros, & diſpenſatores myſteriorum Dei. In primis itaque loca, ad quæ diuerterint, bono virtutum odore perfundant, ſeque animarum ſaluti, non temporalis ſtipendij lucro inhiare oſtendant. Parentibus præcipuè inculcent arctiſſimam obligationem, qua naturali iure, & ex præcepto Diuino tenentur, liberos bonis moribus imbuere, & in viam Dei dirigere, adeòque illos moneant, vt filios ipſos inſtruant, & ad Eccleſias doctrina Chriſtiana erudiendos mittant. Vitia omnia generatìm reprehendant, eaque præſertim, quæ ex Parochorum relatione frequentiora, & manifeſtiora eſſe nouerint in locis, vbi concionantur; Caueant tamen nè aliquem nominatìm carpant, vel ita verbis deſcribant, vt, de quo loquantur, populus poſſit facilè aduertere. A fabuloſis etiam, inutilibus, & iocoſis quæſtionibus, & ſermonibus abſtineant, ſicut & ab Apocryphis hiſtorijs, ac miraculorum non approbatorum narratione. Et, vt quæcunque vilis mercimonij ſuſpicio in re tam graui tollatur, eleemoſynas pro pauperibus commendatis, ſuas facere non audeant, niſi in poſtrema concione collectas: nec ſimiliter populo Indulgentias publicent abſque noſtro, aut Vicarij noſtri generalis aſſenſu. Omnia demùm ſolicitè attendant, quæ circa prædicationis officium à Sacris Oecumenicis Synodis, & præſertim Lateranenſi vltima, & Tridentina ſancita fuerunt.

Concil. Lateran. & Trid. locis ſupra relatis.

6. Diur-

6. Diurno tempore, non autem noctu Dei verbum prædicetur, etiam ſi ſit feria quinta, aut ſexta maioris hebdomadæ, quibus neque ante ortum, neque poſt occaſum Solis concio de Paſſione Domini habeatur. Et, ne ſcandala, aut riſus excitentur in plebe; in ſuggeſto Concionatorio, vel alibi, præter Crucem Domini, & Chriſtum Crucifixũ, alias imagines, ſtatuas, & pia ſpectacula populo exhiberi omninò prohibemus.

7. Ac, quia ipſius Veritatis teſtimonio, ex Deo non eſt, qui verba Dei non audit, enixiùs omnes noſtræ Diœceſis Chriſti fideles in Domino monemus, eos in Quadrageſima, Aduentu, Dominicis, alijſque Feſtis diebus per annum, quibus per Concionatores, vel Parochos ſermo Diuinus in Eccleſia habebitur, qua decet frequentia, & deuotione, ſacris concionibus intereſſe teneri, vt indè ſalubriter refecti, & in Chriſtiana Religione profectũ, & ſpiritualis vitæ augmentum valeant reportare. Parentes præcipuè, ac Domini filijs, & ſeruis in tam ſalutari negotio, exemplo, ac monitis præire non negligant, ne aliàs, ſuorum præſertim domeſticorum curam non habentes infidelibus deteriores ab Apoſtolo arguantur: Fœminæ tamen ſeorſim à maribus aliqua interpoſita tela, vbi commodè fieri poteſt, diuidantur.

Ioannis 8. v. 47.

Trid. d. ſeſſ. 24. de refor. cap. 4. §. moneatque.

1. ad Timoth. cap. 5. v. 8.

8. Ideò, vt cunctis poſthabitis ſæcularibus negocijs, omnes ad audiendum Dei Verbum in Eccleſias conueniant, mercatoribus, & artificibus omni-

bus tenore præſentium iniungimus; vt tempore Quadrageſimæ, dum Concio habetur, ab operibus manualibus abſtineant, & apothecas claudant, ſub pœna trium iuliorum pro qualibet vice locis pijs applicanda. Commonentes inſuper cuiuſcunque fori Iudices, vt in illa hora ius non dicant, nec iudicia exerceant.

9. Clericos præſertim, qui cæteris præeſſe debent exemplo, & Canonicos in ſuis Collegiatis Eccleſijs, bireto, & ſuperpelliceo indutos ijſdem Sacris Concionibus Capitulariter intereſſe monemus. Parochi verò in ſuis Eccleſijs Parochialibus cum eodem ſuperpelliceo, & bireto, concioni aſſiſtere omninò teneantur, ſub pœnis arbitrio noſtro.

10. Nè autem Diuini Verbi prædicatio ſuo fruſtretur effectu, ſed eum, quem maximè in Domino cupimus, finem ſortiatur, iuxta Conſtitutionem B. Pij V., pręcipimus, ne, dum Concio habetur, quiſquã in Eccleſia tumultus moueat, clamores excitet, aut ſtrepitus faciat, qui Diuini Verbi prædicationem aliquo pacto perturbare poſſint. Similiter nec vllus Sacerdos in Eccleſia, dum in ea ſit Concio, audeat Miſſam celebrare. Extra Eccleſiam verò in foro contiguo, deambulationes, negociationes, ac ſtrepitus quoſcunque omninò vetamus; ſciantque inobedientes, ſe grauibus pœnis, etiam corporalibus, arbitrio noſtro plectendos eſſe.

Pius V. conſtit. 5. §. 4. cum primum.

11. Expleto Quadrageſimalis prædicationis mu-

munere, iterum Concionatores omnes ſingulorũ locorum noſtræ Abbatię corã Vicario noſtro Generali ſe conſtituant, ea, quæ ad morum reformationem, & animarum ſalutem expedire valeant, relaturi, aliaque, quæ eiuſdem Vicarij noſtri notitia egere poſſe cognouerint, denunciaturi; imò etiam de his omnibus, ſi opportunum duxerint, per epiſtolam, vel aliàs Nos ipſos certiores reddant. Qua relatione peracta, gratìs ab eodem Vicario mandatum obtinebunt Vniuerſitatum Officialibus directum pro ſolutione conſuetæ eleemoſynæ, iuxta tabellam a Nobis pro ſingulis locis noſtræ Diœceſis ſubſcriptã, & approbatam. Et quatenùs aliter diſcederent, Communitates à mercede eis debita abſoluimus, & liberamus. Officiales autem contrafacientes teneri volumus ad eiuſdem mercedis ſolutionem de proprio. Parochi verò Nobis referent, ſiue eidem Vicario noſtro Generali, qua pietate, profectu, & morum modeſtia, ac ſanctitate Concionatores ipſi ſe geſſerint tempore, quo prædicationis munus obierunt.

Ex Synodo Sublacenſi M.S. habita de anno 1668.

12. Et vt hæc omnia, quæ de Diuini Verbi prædicatione ſancita fuerunt, ipſis Concionatoribus innoteſcant, Parochis omnibus, alijſque Eccleſiarum Præpoſitis, ac Rectoribus præcipimus, vt quandocunque ad eorum Eccleſias Concionatores ad concionandum venerint, præſentis Capitis decreta eis oſtendant; illiſque inſuper, quibus à Nobis, ſeu Vicario noſtro Generali facultas fidelium con-

feſſio-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

feſſiones excipiendi conceſſa fuerit, antequam munus hoc exerceant, notulam Caſuum reſeruatorum, & decreta huius Synodi, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent, inſimul legant, ac manifeſtent.

De

Digitized by Google

De Doctrina Christiana.

CAPVT IV.

NVlla ſanè maior adhibenda eſt
1 diligentia ab ijs, quos Chriſtus Dominus Doctores, & Paſtores animarum in Eccleſia conſtituit, quàm vt populos ſibi commiſſos in illis Catholicæ Fidei myſterijs erudiant, quæ ſapientibus, & prudentibus, à ſeculis, & generationibus abſcondita, paruulis in Chriſtum credentibus nouiſſimè ſunt reuelata, vt ita iam non ſint amplius paruuli in fide fluctuantes, nec omni doctrinæ vento circumferantur, ſed ſacris Chriſtianæ diſciplinę rudimentis imbuti, ſalubri veluti lacte educati, pietate ſimul, ac religione adoleſcant.

ad Epheſ. cap. 2. verſ. 11.

ad Coloſſenſes 1. v. 26.

ad Epheſ. cap. 4. v. 14.

2. Idcircò Sacri Concilij Tridentini decreto ſtrictè iubentur Epiſcopi, alijque locorum Ordinarij, vt ad id munus ſaltem Dominicis, alijſque feſtiuis diebus in ſingulis Parochijs ſolertèr peragendum, etiam per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, eos, ad quos ſpectat, compellant; Quod ſanè pro diuerſa locorum conſuetudine, ſiue de mane inter Miſſarum ſolemnia, ſiue à prandio antè Veſperas, hucuſque in noſtra Diœceſi adimpleri conſueuit. Verùm, cum in poſtremò à Nobis habita eiuſdem

Trid. ſeſſ. 24. de reform. cap. 4. §. ijdem etiam.

no-

noſtrę Diœceſis viſitatione aduerterimus, in locis, vbi ſanctum hoc miniſterium à prandio, ſeu aliàs extra Miſſarum ſolemnia exercetur, raró adultos, fortaſsè propter erubeſcentiam, ad ſalutarem Catecheſim accedere, qui ſola ducti obligatione audiendi Sacrum in Eccleſia conueniunt, & tamen frequenter, non minus ac pueri, chriſtiana indigent inſtructione: In alijs verò locis, vbi id munus inter Miſſarū ſolemnia à Parochis peragitur, Diuinorum myſteriorum explicationem in lōgum protrahi non poſſe, ac proindè neceſſarias pro puerorum eruditione diſputationes omitti. Ideò, vt quantum in Domino poſſumus, crediti Nobis gregis curæ paternè proſpiciamus, ac in tanto negocio, tàm adultorum, quàm puerorum, ſpirituali commodo conſulamus, Parochis omnibus noſtræ Diœceſis enixè præcipimus, vt primò quidem de mane ſingulis Dominicis, feſtiſque diebus, ante Miſſam, ſi populus frequens aderit, ſiue aliàs intra eandem Miſſam, vulgari ſermone, alta, & intelligibili voce recitent orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, ſymbolum Fidei, præcepta Dei, & Eccleſiæ, aliaque doctrinæ Chriſtianæ ſubſtantialia, vel eorum partem, adeòut verba ab omnibus facilè audiri, repeti, & memoriæ mandari poſſint, atque ita etiam adulti abſque rubore addiſcant, quæ ſine ſalutis æternæ diſcrimine ignorare non poſſunt; vtanturque ad id Parochi peculiari folio quotidiani exercitij nuper iuſſu Noſtro typis edito, atque in fine præſentis Synodi

nodi iterum imprimendo, quod ita in Dominicas, & Feſta ſingulorum menſium per Capita partiantur, vt pro ſingulis vicibus in illius lectione, & breui explicatione quartam dumtaxat horæ partem inſumant; in fine verò cuiuslibet menſis integrum exercitium ſit abſolutum; cuius præterea exemplar in appenſa tabella omnium conſpectui propoſita ſemper in Eccleſijs retineant, vt ab omnibus legi poſſit, & qui legere neſciunt, ab alijs ſibi prælegi curent; moneantq; ſępiſſimè populos, vt idem exercitium, quod per ſingulas Parochias nouiſſimè diſtribui curauimus, addiſcere omninò ſatagant, cum omnia, quæ ibi continentur, ſcire, & exercere teneantur. Similiter & à prandio, ante vel poſt Veſperas, ijſdem Dominicis, Feſtiſque diebus, exceptis Dominicis Palmarum, Paſchatis Reſurrectionis, & Pentecoſtes, dato peculiari campanæ ſigno, & per vias tintinnabulo etiam pulſato pueros, ac puellas ſuæ Parochiæ ad Eccleſiam conuocent, vbi ſeparatim ſedeant, imò, & (ſi opus fuerit) oſtiatim, & ſingulariter, præcipuè refugientes, euocari ſtudeant, eoſque opportunè, importunè, in omni patientia, & 2. ad Timoth. 4.v.2.
doctrina, per horam ad minus, in Dei timore, ac reuerentia, & debito ergà Parentes obſequio erudiant; nec non in Chriſtiana Fidei rudimentis diligenter inſtruant, iuxtà libellum à piæ memoriæ Cardinali Bellarmino iuſſu ſan.me. Clementis VIII. conſcriptum, quod ſemper præ manibus habeant: crebras itidem inter pueros excitent diſputationes,

piarum imaginum munuſculis ſæpè propoſitis, vt alacriùs ad ſalutaria Doctrinæ Chriſtianæ dogmata addiſcenda accendantur. Atque ita pio hoc exercitio in antemeridianas, & pomeridianas horas diſtributo, puerorum æquè, ac rudium adultorum indigentiæ cònſuluiſſe exiſtimamus. Si quis verò ex Parochis tam arctæ obligationis immemor, ſtatutis diebus, ſiue de mane, ſiue poſt prandium modo præſcripto Chriſtianam Doctrinam edocere neglexerit, primò quidem pecuniaria mulcta punietur, pro ſingulorum caſuum circunſtantijs à Nobis, ſeu Vicario noſtro Generali taxanda, grauiter tamen augenda, alijs etiam additis arbitrio Noſtro ſeuerioribus pœnis, ſi iterum, ac tertiò eadem omiſſione deliquerit. Si autem abſque legitima cauſa per quatuor continuas vices, vel octo diſcontinuas pro quolibet anno id munus prætermiſerit, ſuſpenſionem à Diuinis ipſo facto incurrat, Nobis, ſeu Vicario noſtro Generali reſeruatam. Quibus pariter pœnis obnoxij ſint Capellani, qui eoſdem Parochos in hoc miniſterio addiuuare ex præciſa obligatione tenentur.

6. vt quiſque de vita, & honeſtate Clericorũ.

3. Ipſis verò Parochis ſanctum hoc munus in ſuis Eccleſijs exercentibus, Clerici omnes auxiliarem operam præbeant, præcipuè ſi illius Eccleſiæ ſeruitio addicti ſint, ſciantque id renuentes ſe ad altiores Ordines non eſſe promouendos; ac proindè quando dimiſſoriales literas pro ſuſcipiẽdis Ordinibus à Nobis expoſcent, atteſtantis Parochi fidẽ deferent,

Digitized by Google

ferent, ſe Chriſtianæ Doctrinæ exercitationibus frequenter interfuiſſe, propriamque in illis operam vtiliter præſtitiſſe, prout vberiùs ſub capite De Sacramento Ordinis ſtatuemus. Sacerdotes pariter enixè hortamur, vt in re tam ſalutari Parochos adiuuare non omittant: memores enim ſint ſe docendi officium in populis ſuſcepiſſe, atque alijs præire debere tam fidei ſcientia, quàm operum diſciplina. Sciant tamen Parochi, iuſto impedimento ceſſante, per ſe ipſos ſemper ad id munus obeundum teneri, aliòquin per idoneos ſubſtitutos à Nobis, ſeu Vicario noſtro Generali approbandos, nec vnquam ab hoc onere ſe exſolutos exiſtiment, etiamſi alij adſint, qui ſiue ex conſuetudine, ſiue ex pietate, ſiue etiam ex inſtituto omni ſedulitate, ac diligentia, idem pium miniſterium adimpleant.

c. ignorantia, diſt. 38. Conc. Trid. ſeſſ. 23. de ref. c. 14.

4. Similiter, vt tantum negotium omnibus artibus promoueatur, in Terra Sublaci, & ſingulis Oppidis noſtræ Abbatiæ, vbi commodè fieri poterit, pro Parochorum adiutorio, Doctrinæ Chriſtianæ ſodalitas, tam pro maſculis, quàm pro fœminis ſeparatim, inſtituatur, quæ certo aliquo tam Virorum, quàm Mulierum ad id munus aptarum numero conſtet, atque ità ſanctum hoc opus magis, magiſque in dies augeatur. Ad ſacras tamen imagines comparandas, quibus pueri donentur, etiam aliæ Confraternitates ditiores, pro arbitrio Vicarij noſtri Generalis, aliquam eleemoſynam conferant.

Ex Conſtit. 137. B. Pij V. §. 2, Ex debito.

5. Præterea in ſingulis Parochijs, puerorum,

ac puellarum diſtinctis claſſibus, Viri aliqui pijs moribus inſtructi, ac reſpectiuè probatæ pietatis, & prouectæ ætatis fœminæ à Parochis præficiantur; Quorum præcipuæ partes erunt ſpirituali quadam piſcatione commiſſos ſibi pueros, ac puellas ad ſanctam, & ſalutarem diſciplinam ſuauiter allicere, nec non patienter edocere, ac dum pium exercitium in Eccleſijs habetur, ſubiectis ſibi claſſibus præeſſe, vt ea, qua decet modeſtia, atque ordine, ſingula peragantur. Eo proindè tempore, quo Sacra Catecheſis exercetur, clamores, ſtrepitus, ac rumores omnes, qui illam perturbent, tam intrà, quàm extrà Eccleſiam in foro proximo, omninò prohibemus, ſub pœna carceris, & alijs ſeuerioribus ad arbitrium.

Ex Vita S. Caroli Borromæi Archiepiſcopi Mediolanenſis, ab Auguſtino Cardinali Valerio conſcripta, pag. 31.

6. Teneantur tamen Parochi frequenter publice, ac priuatim admonere Parentes, Patrinos, Propinquos, Tutores, Curatores, & quoſcunque alios, quibus puerorum cura commiſſa eſt, vt eos omni ſtudio Chriſtiana Doctrina informari curent, & pro addiſcendis Fidei rudimentis ad Eccleſias ſtatutis diebus mittant; Nec non conſimilem Dominorum erga famulos obligationem inculent: Quod idem à Confeſſarijs tam Secularibus, quàm Regularibus occaſione ſacramentalis Confeſſionis ſedulò præſtetur. Et præterea Concionatores in Quadrageſima huiuſmodi onus crebrò exagitent, grauiſſimam annunciantes de tali culpa in extremi examinis die rationem reddendam. Quos vero Parochi

c. non putes 23. quæſt. 5.

tam

Digitized by Google

tam enixæ obligationis contemptores deprehenderint, Nobis, ſeu Vicario noſtro Generali denuncient, vt opportunis rimedijs ipſorum ſaluti, & cæterorum exemplo proſpiciamus.

7. Imò vt id ipſum facilius, atque accuratius peragatur, maiori quo poſſumus ſtudio inſtaurantes, ac recolentes ſaluberrima decreta, quæ pro ſancta tam neceſſarij miniſterij exercitatione, ſumma pietate, ac zelo à Sanctiſſimo D.N. Clemente Papa X. edita fuerunt, in ſemper memorabili vniuerſæ noſtrę Abbatię Sublacenſis Viſitatione, de anno 1640. ab ipſo habita tunc Eccleſię Camerinenſis Antiſtite, ex ſpeciali deputatione fel. record. Emin. Cardinalis Antonij Barberini tunc Abbatis Commendatarij noſtri Prædeceſſoris, Parochis omnibus, præcipuè Diœceſanis, iniungimus, vt in tabella deſcribant omnes tam mares, quàm fœminas ſuæ Parochiæ tùm minores, tùm grandiores natu, quibus opus eſt Chriſtianam Doctrinam addiſcere, ac ſimiliter nomina, & cognomina Parentum adſcribant, ad hoc vt poſſint eos acriter arguere, qui accedere recuſant, & ſæpè Nobis, ſeu Vicario noſtro Generali referre, quo profectu, & frequentia pium hoc opus adminiſtretur.

Ex Actis M.S. Viſitationis Abbatię Sublacenſis habitæ de anno 1640. à Sanctiſs. D. N. Clemente X. tunc Epiſcopo Camerinenſi Viſitatore ſpecialiter deputato à fel. me. Emin. Cardinali Antonio Barberino tũc Abbate Commendatario ſub tit. De Doctrina Chriſtiana, §. Vt verò Parochi.

8. Deſcribant etiam Parochi in aliqua ſchedula rudium adultorum nomina, illorum præſertim, qui in agris vt plurimùm vitam traducunt, vt eos quandoque, ſemel ſaltem in menſe, in priuatis domibus ad ſe conuocent, atque ità ipſorum pudori

con-

conſulentes, etiam dum pro alijs negotijs pertractandis ab eis conueniuntur; in præcipuis Chriſtianæ Doctrinę capitibus, ac eſſentialibus Sacramenti Pœnitentiæ partibus patienter erudiant: non tamen ab ijs circa ſacram Catecheſim conceptam verborum formulam religiosè exigant, ſed curent vt Catholicæ Fidei myſteriorum ſubſtantiam non ignorent, quibuſcunque tandem verbis eam exprimant.

9. Meminerint inſuper, prę̨ter Parochos, Confeſſarij omnes tam Seculares, quàm Regulares, Pœnitentes, de quorum ignorantia probabiliter dubitant, ſingillatim interrogare, an ſciant Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, ac Præcepta Dei, & Eccleſiæ. Quos ſi repererint prædicta ignorare grauiter moneant, piè tamen, ac lenitèr, ad ea ediſcenda Chriſtianæ Doctrinæ neceſſaria fundamenta, vel ſaltem eorum ſubſtantiam, &, ſi opus fuerit, loco Pœnitentiæ id imponant. Si verò in ſequentibus Confeſſionibus illa non edidiciſſe propria culpa cognouerint, nec aliquam ad id diligentiam adhibuiſſe, ad Sacramentalem Confeſſionem ipſos non admittant, vel potius, abſolutionem ijs differant, donec aliquid, certo præfinito tempore, didicerint.

10. Ac vlteriùs qui eſſentialia vt ſuprà Catholicæ Fidei capita ignorauerint, ad Patrini officium in Baptiſmi, ſeu Confirmationis Sacramento non recipiantur: ſimiliter nec ſacris Sodalitatibus adſcribantur: imò nec ad contrahendum matrimonium admit-

c. vos ante de conſecr. diſt. 4.

admittantur; ac propterea volumus Parochos ad denunciationes à Sacro Concilio requiſitas non deuenire, niſi de neceſſarijs ad ſalutem eos, qui contrahere voluerint, priùs examinauerint: vt ita tandèm rubore ſuffuſi, ea quæ ignorare omninò non debent, addiſcere compellantur.

11. Vt autem ad Chriſtianam Doctrinam, ſiue ediſcendam, ſiue promouendam, non modò pœnarum timore, ſed etiam ſpiritualium gratiarum fauoribus, Chriſti fideles excitentur, Parochi omnes quater in Anno inter Miſſarum ſolemnia, videlicèt primis Dominicis Ianuarij, Aprilis, Iulij, & Octobris, Summarium Indulgentiarum, quæ a Summis Pontificibus pro eiuſdem Chriſtianæ Doctrinæ Sodalitatibus conceſſæ fuerunt, Populo promulgare teneantur.

B.Pius V.conſt. 137. Ex debito. Gregor. XIII. Conſtitutione quæ incipit Vniuerſis, 30. Octobris 1572. Paulus V.conſtit. 36. Ex credito.


12. Demùm quia plurimum ad pueros Chriſtianis rudimentis, & pijs moribus imbuendos Ludimagiſtrorum pietas, ac diligentia iuuare poteſt, id ipſi ex Cõcilij Lateranenſis decreto pro ſui muneris cura ſedulò præſtent, vt, quos literis inſtituendos ſuſceperint, eoſdem ad Catholicæ fidei Doctrinam informari ſtudeant; Ac propterea ſemel ſaltem in hebdomada Sacris Dogmatibus ſuos diſcipulos inſtruant, eodemque die aliquam diſputationem eiuſdem Chriſtianæ Doctrinæ ab eiſdem fieri curent, aliqua etiam addita declaratione Romani Catechiſmi, vel maioris Doctrinæ Cardinalis Bellarmini. Imò Sanctiſſimi D. N. in præfata noſtræ Abbatiæ

Leo X. conſtit. 7. §.32. Supernæ.

Viſi-

Ex Actis eiuſdē viſitationis Abbatiæ Sublaceñ habita à Sanctiſs. D. N. ſub d. tit. De Doctrina Chriſtiana, §. Ludimagiſtri.

Viſitatione ſuper hoc opportunè Decretis obſequioſè inhærentes, ijſdem Ludimagiſtris iubemus, vt Dominicis, alijſque ſtatutis diebus, quibus ſacra Catecheſis in Eccleſijs Parochialibus exercetur, diſcipulos ad eaſdem adducant, nec indè diſcedant, donec pueri dimittantur.



De

De Sacræ Scripturæ Lectione, & Caſuum Conſcientiæ Congregationibus.

CAPVT V.

1 CVm omne opus Sacerdotum, eorumque præcipuè, quibus animarum cura incumbit, in prædicatione, & doctrina conſiſtere debeat, ac de ore ipſorum requirenda ſit lex ſcientię, quæ, teſte Propheta, in labijs Sacerdotum cuſtoditur, nullatenùs profectò excuſabilis ignoratio ſanctarum Scripturarum in illis eſſe poteſt, quos lectioni, & exhortationi aſſiduè attendere Apoſtolus monet, vt ita enutriti verbis fidei, & bonæ doctrinæ, *parati eſſe poſſint reddere rationem omni, poſcenti de ea, quæ in ipſis eſt, ſpe, ſatisfactionem*.

Can. ignorantia, diſt. 38.
Malach. cap. 2. verſ. 7.
Can. Si Laicis, diſt. 38.
1. Timoth. c. 4. relat. in d. Can. ignorantia. diſt. 38.
Ibidem. v. 7.
1. Petri c. 3. v. 15.

2. Hinc ſacroſancta Tridentina Synodus tam enixam eccleſiaſticæ diſciplinæ neceſſitatem probè conſiderans, nè cœleſtis ille ſacrorum librorum theſaurus, quem Spiritus Sanctus ſumma liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat, Epiſcopis omnibus, alijſque locorum Ordinarijs ſtrictiſſimè iniungit, vt in illis Eccleſijs, in quibus Præſtimonium, ſeu alio quouis nomine nuncupatum ſtipendium pro Sacræ Theologiæ Lectoribus conſtitutum non reperitur, per deputationem Præbendæ primò vaca-

Conc. Trid. ſeſſ. 5. de refor. c. 1. ac prius in Concil. Lateranen. ſub Innoc. III. cap. 11. relat. in c. quia nonnullis, de Magiſtris.

turæ, vel per aſſignationem fructuum alicuius ſimplicis beneficij, vel aliàs, prout commodiùs fieri poterit, Sacræ Scripturæ Lectionem omninò instituant. Nos itaque eiſdem Sac. Conc. Decretis inhærentes, ac præcipuè attendentes, ſacram huiuſmodi Lectionem à ſacroſancta Synodo, non modò in Eccleſijs Cathedralibus demandari, ſed expreſsè etiam in Collegiatis exiſtentibus in aliquo inſigni Oppido nullius Diœceſis, qualis eſt inſignis Collegiata Eccleſia S. Andreæ noſtræ huius Terræ Sublaci; idcircò ex modis à Concilio præſcriptis opportuniorem, & noſtræ Diœceſi magis accomodatum ſeligentes, prædictam Sacræ Scripturę Lectionem in eadem Eccleſia S. Andreæ canonicè nuper ereximus, & conſtituimus, eidem attributo annuo reditu, quem pro Moralis Theologiæ Lectione bis in menſe ibidem habenda dudùm ex pia diſpoſitione aſſignatum in noſtra Viſitatione comperimus, & præterea, vt eadem lectio frequentius haberi poſſit, vnius ſimplicis beneficij fructibus adiectis, quos Canonicus, qui de ea pro tempore à Nobis fuerit prouiſus tandiù percipiet, quamdiù in legendo pro noſtro arbitrio perſtiterit; eiuſdem tamen beneficij, ad præſcriptam in Concilio rationem, debitis oneribus ſupportatis.

Concil. Trid. d. cap. 1. §. In Eccleſijs autem.

3. Singulis itàque diebus Dominicis in eadem Eccleſia S. Andreæ poſt Veſperas, huiuſmodi Lectio habeatur, ſiue ex Sacra Scriptura, ſiue ex Morali Theologia, ſiue etiam ex Sacris Canonibus, prout

No-

Digitized by Google

Nobis magis expedire videbitur, ità tamen, vt qui maior haberi poteſt ordo in materiarum examine ſeruetur, ac ſemper etiam dum Canonicę, vel Theologicæ quæſtiones pertractandæ erunt, aliquis Sacræ Scripturæ locus, ſiuè ex nouo, ſiuè ex veteri teſtamento, Lectioni præponatur. Ad quam audiendam Canonici omnes eiuſdem Collegiatæ S. Andreæ, ac Parochi eiuſdem Terræ Sublaci, nec non quicunque Sęculares Sacerdotes ad audiendas Confeſſiones admiſſi, omninò conueniant; alios verò Clericos, præſertim in Sacris conſtitutos eidem Lectioni intereſſe in Domino enixè cohortamur, nè aliàs ea, quæ ſunt Domini, neſcientes, à Domino neſciantur, Paulo atteſtante: *Si quis ignorat, ignorabitur.* Ab hac autem lectione à Kalendis Octobris vſque ad Kalendas Nouembris vacare permittimus.

Ex Antiquioribus declarationibus Sac. Congreg. Concilij.

Can. qui ea , dist. 38.

1. ad Corinth. c. 14. v. 38.

4. Regulares pariter in proprijs Monaſterijs, ac Conuentibus, vbi commodè fieri queat, eandem Sacrę Scripturę Lectionem habere meminerint; Qua in re ſi negligentes fuerint, ſciant ſe, à Nobis ex eodem Sacri Concilij Decreto opportunis remedijs ad id poſſe compelli.

Conc. Trid. d. cap. 1. ſeſſ. 5. de refor. §. in Monaſterijs. Sac. Congreg. Concilij in vna Firmana 23. Auguſti 1664.

5. Quia verò omni, quo poſſumus, ſtudio, tàm neceſſariæ Eccleſiaſticorum doctrinę per vniuerſam noſtram Diœceſim proſpicere tenemur, Congregationes, quas hactenùs ex veteri inſtitutione pro Caſibus conſcientię examinandis inter Parochos, cęteroſque Eccleſiaſticos frequenter haberi comperimus in hac noſtra Abbatia, nonnullis de nouo ad-

ditis pro vtiliori earum praxi Decretis, promouere, atque inſtaurare cenſuimus, vt itá ignorantiam, quæ cunctorum eſt mater errorum, à noſtris Sacerdotibus arceamus, eoſque ſacra Doctrina ſuauiter imbutos, & pretioſioribus Eccleſiaſtici nominis ornamentis inſignitos ad propria munera rectè peragenda aptiores reddamus, ac fructuoſos in Eccleſia Dei Miniſtros efficiamus.

6. Hoc igitur Decreto ſancimus, vt Parochi omnes, & Sacerdotes ad audiendas Confeſſiones deputati, pro huiuſmodi conuentibus habendis ſtatuta die, quæ feriata ſit, inter ſe conueniant, in Terris quidem Sublaci, & Trebarum, in quibus auctior eſt Cleri numerus, ſingulis quindecim diebus: In alijs verò noſtræ Diœceſis Oppidis ſemel ſaltèm in menſe, ſecundum Claſſes per Nos iuxtà congruam locorum diſtantiam deſignatas, ſub pœna Parochis, qui legitimo impedimẽto ceſſante non interfuerint, iuliorum quinque pro qualibet vice pijs vſibus applicandorum, grauiter augenda pro modo culpæ, & perſonæ, ſi iterùm, aut tertiò defuerint. Confeſſarijs verò Sæcularibus abſque iuſta cauſa non accedentibus ſub pœna ſuſpenſionis ab audiendis Confeſſionibus, per Nos, aut Vicarium noſtrum Generalem declaranda. Iiſdem porrò conuentibus intereſſe in Domino monemus Confeſſarios Regulares, nec non Canonicos, reliquoſque Sacerdotes, ac etiam Clericos, quos proindè in poſterùm ad ſuperiores Ordines promoueri non permittemus, niſi

ex-

Digitized by Google

exhibitis coràm Nobis, ſeu Vicario noſtro Generali teſtimonialibus literis,ſe huiuſmodi cœtibus frequẽtes adfuiſſe, ſicut nec quempiam ex noſtræ Diœceſis Sacerdotibus abſque prædicto teſtimonio ad Eccleſiarum Parochialium concurſus admittemus: Grauiter enim Deus per Prophetam comminatur: *Tu ſcientiam repuliſti, & ego repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi*. Oſeæ c.4.v.6.

7. Volumus autem,vt præter tres Caſus morales ex certa materia diligenter diſcutiendos in ſingulis conuentibus, vnus item titulus noſtræ huius Synodi, nec non alter ex Rubrica Romani Miſſalis, ſeu Breuiarij alternis vicibus legantur, & examinentur; ac prætereà, vbi commodè fieri poteſt, ab aliquo ex Clericis ibidem conuenientibus explicetur vnum caput Sacroſancti Tridentini Concilij: Curabũtque Vicarius noſter Generalis in Terra Sublaci, ac reſpectiuè Foranei in Diœceſi, qui huiuſmodi Congregationibus præeſſe debebunt,vt ſingulorum conuentuum acta per Secretarium, vbi adfuerit, ſin minus per ipſoſmet Præſides fideliter referantur in librum huius rei gratia comparatum, in quo accuratè deſcribentur Caſus propoſiti cum eorum explicatione allata, & potiori Congregationis ſententia, auctoritate aliqua, & rationibus munita. Similiter adnotabuntur Tituli, qui ex Concilio, Rubrica, & Synodo lecti fuerint, locus, & tempus Conuentus habiti, ac demùm qui præſentes, & abſentes fuerint: Atque horum omnium exemplum ijdem Vi-

carij Foranei ſingulis menſibus Vicario Generali tranſmittent. Quod ſi id præſtare neglexerint, tùm alijs pœnis, tùm etiam Vicariatus priuatione mulctabuntur. Quæ verò tranſmiſſa ſibi Conuentuũ acta Vicarius Generalis acceperit, in librũ eius rei nomine ſingulis annis conficiendum relata, cuſtodiet, ijſdemque Vicarijs Foraneis reſcribet, quid ipſemet ſenſerit in allata quæſtionum definitione, mulctas abſentibus irrogandas ſtatuet, aliaque decernet, quę pro vberiori harum Congregationum progreſſu opportuna iudicauerit.

8. Caſuum diſcuſſione abſoluta, cæteriſque peractis exercitijs, res ad animarum curam, ad Clericalis vitæ, morumque honeſtatem, ad Diuinum cultum, & ſcandala, ac vitia tollenda, ſpectantes, in ijſdem Congregationibus diſcuti poterunt; Hæc tamen excluſis omnibus alijs, à ſolis Parochis cum Vicario Præſide tractabuntur.

9. Demùm vltra prædictos ſingularium locorum Conuentus, quatèr in anno, videlicèt, bis menſe Maij, ac bis menſe Septembris, generales Congregationes in Terra Sublaci coràm Nobis, ſeu Vicario noſtro Generali haberi præcipimus, in quarum vnaquaque quarta pars totius Cleri noſtræ Abbatię, iuxta claſſes à Nobis diſtributas, ſub ijſdem omninò pœnis ſuperiùs præfinitis, intereſſe teneatur. Atque in his omnibus ad vnguem ſeruetur forma, ac methodus, quam in ſpeciali Inſtructione ad calcem pręſentis Synodi imprimenda, fusè præſcripſimus.

De

Digitized by Google

De Sacramentis in Genere.

CAPVT VI.

SAnctiſſima nouæ legis Sacra- Can. Sacrificiũ
1 menta, per quæ, veluti per 32.de conſecr. diſt.2.
inſtrumenta ſalutis, atque inui- Conc.Trid.ſeſſ.
ſibilis gratiæ viſibiles formas, 7. in proem.
omnis vera iuſtitia, vel incipit,
vel cœpta augetur, vel amiſſa
reparatur, cum è latere Chriſti, tanquam de miſeri-
cordiarum plenitudine in adiutorium humani gene- Iſai.c.12.v.3.
ris effluxerint, aquæ illæ ſunt, quę cum gaudio hau-
riuntur de Fontibus Saluatoris, & Sanctam Dei Ec-
cleſiam perenni gratiarum effuſione fœcundant.

2. Nouerint ergo Parochi, alijque Sacerdotes, ad quos pertinet, pretioſa hæc dona adminiſtrare, quanta illis adhibenda ſit cura, vt in tanta cæleſtis ęrarij cuſtodia Fideles myſteriorum Dei diſpenſa- 1.Corinth. c.4.
tores habeantur; Idcircò Sacramenta, & Sacramen- verſ.1.
talia ſub ſeris, & clauibus, quas ſemper apud ſe cautè detineant, ità cuſtodiant, vt nemo ad nefaria exercenda, vel ad vſum à Sancta Romana Eccleſia reprobatum, illis vti queat: graues pœnas arbitrio noſtro daturi, ſi quid in hac re dolo, aut negligentia deliquerint.

3. Cum autem nefas ſito pura ab impuris tangi, & ſancta non ſanctè tractari, in primis ſtudeant vi-

ta,

Concil. Trid. ſeſſ.22.de ſacrific.Miſſæ c.4.

ta, moribuſque ſe reddere irreprehenſibiles, vt omni fermè temporis momento, ea, qua decet animi puritate, ac veneratione ad tantę adminiſtrationis munus parati inueniantur. Neque enim licet peccati labe infectis,ſacra hæc myſteria polluto ore conficere,aut fœdis manibus contrectare:Cum peccatori dixerit Deus: *Quarè tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? tu verô odiſti diſciplinam*: Propterea quicunque Sacramenta adminiſtraturi,omni, quo poſſunt,ſtudio, cauere debent, nè manus ad ea admoueant mortali reatui obnoxij, ſed prius conſcientiam emundent omni, & quocunque lethalis culpę contagio per Sacramētalem Confeſſionem, vel ſaltem per Contritionem, ſi Confeſſarij facultas deſit, & miniſtrandi Sacramenti neceſſitas vrgeat; nè aliàs mortiferis ſordibus inquinati, dum aliorum ſaluti ſtudent, ſibi æternę reddantur damnationis authores.

Pſalm.49.v.16. & 17.

Can. prophetauit 79. can. ô propheta 80.& can. neceſsè eſt 93. prima.qu.1.

4. Atque, vt internę cordis diſpoſitioni externus itidem cultus,atq; ornatus correſpondeat,Sacramenta omnia,pręter Extremã Vnctionem,& præter grauis neceſſitatis caſus,nonniſi in Eccleſia conferãtur, aut conficiantur. Ac, quemadmodum illa miniſtrãtes candida innocentię ſtola exornati eſſe debent, ità etiam extrinſecùs ſuperpelliceo,ſtolaq; eius coloris, qui Sacramento miniſtrando congruat, ſemper induantur; Eademque ratione curent, vt veſtes, & vaſa ſacra, aliaque omnia pro ſingulorum Sacramentorum vſu, ac miniſtratione adhibenda, Eccle-

Can. non oportet 29.de Conſ. diſt.1.

Can. in ſancta, & can.veſtimēta de Conſecr. diſt.1.

ſiaſticę

ſiaſticæ munditiæ nitore, ac puritate colluceant. Ità denique Sacramenta adminiſtrent, vt & illa cum debita reuerentia, atque honore tractentur, & eorumdem cultus, ac deuotio in animis ſuſcipientium excitetur.

5. Quod vt eò magis præſtari valeat, tùm ſæpè inter Miſſarum ſolemnia, ac dum Chriſtianam Doctrinam edocent, tum frequentius in vnius cuiuſque Sacramenti tractatione, quoties opportunum fuerit, illorum dignitatem, inſtitutionem, & vſum, ac ſalutares fructus, ex Romano Catechiſmo, vulgari, ac plano ſermone pro audientium captu explanare non deſinant, nec non ſanctiores Cæremoniarum ſignificationes, quibus ſingula quæque conferuntur. Conc. Trid. ſeſſ. 24. de ref. c. 7.

6. Ea prçcipuè exactè calleant, quæ tum intrinſecè, & eſſentialiter ad Sacramentorum conſtitutionem, tùm extrinſecè ex Eccleſiæ præſcripto, aut pia conſuetudine ad eorumdem adminiſtrationem exiguntur. Illorum verò formis, quas à Chriſto Domino inſtitutas S. Romana Eccleſia aliarum Eccleſiarum Mater, & Magiſtra, tot Sæculorum vſu obſeruauit, nihil addere, aut detrahere præſumant, ſed verba, in quibus ipſæ conſiſtunt omni animi attentione diſtinctè, ac deuotè pronunciabunt, id ſemper ſibi agere proponentes, quod Chriſtus Dominus noſter inſtituit, & Sancta intendit Eccleſia. In reliquis tùm verbis, tùm actionibus, etiamſi ordinem miniſtrandi, ritusque, & Cæremonias ſatis c. quando Preſbyteri, & c. quę ipſis 38. diſt.

teneant,tamen ne titubantèr in tantæ Maieſtatis myſterijs quidquam agant, Rituale Romanum iuſſu ſan.mem. Pauli V.editum ſemper præ oculis habentes, ex eodem attentè omnia exequantur, quod ideò in vnaquaque Parochiali Eccleſia adeſſe pręcipimus, ac pro tempore, quo Parochi illo carere deprehenſi fuerint, à ſui quique muneris officio ſuſpendentur, mulctamque ſcutorum ſex locis pijs applicandorum incurrent.

7. Quacunque verò diei, ſeu noctis hora ad Sacramenta miniſtranda vocabuntur, hilari vultu, ac prompto animo accedentes, nullam tàm ſanctæ pietatis officijs moram interponent; Ideòque Populum ſæpè monebunt, vt cum opus fuerit Parochiali officio, & miniſtratione ſe quam primùm, & liberè accerſant, nulla habita, aut temporis, aut loci diſtantis, aut alterius cuiuſcunque incommodi ratione. Imò cum aliquos in Parochiæ ſuæ finibus ęgrotare intellexerint, eos ſtatim etiam non vocati conueniant, curentque, vt Pœnitentiæ ſacramento peccatis ſuis expiati, Sacram Euchariſtiam percipiant: & quò grauiùs affectos corporis morbo cognouerint, id eis maximè ſuadere conentur, vt ad hæc ſalutaria animę remedia frequētiùs confugiant. Quod ſi eorumdem negligentia quempiam abſque Sacramentorum ſuſceptione, ac etiam Commendationis Animæ ſuffragijs mori contigerit, vltrà grauiſſimi ſceleris admiſſi reatum, ſeueriſſimis pœnis arbitrio noſtro pro modo culpæ punientur.

8. Ca-

Digitized by Google

8. Caueant tamen, ne quidquam, etiam minimum, in Sacramenti cuiuslibet miniſtratione verbis, aut ſignis, directè, vel indirectè expoſcant, ſub pœnis à iure ſancitis, & alijs etiam grauioribus arbitrio noſtro infligendis. Cum enim quæ gratis accepimus, gratis etiam dare debeamus, non modò Sacramenta abſque aliqua Simoniæ labe, verùm etiam abſque vlla auaritiæ ſuſpicione ſunt conferenda. Quod ſi ſpontè aliquid, ac liberè eleemoſynæ nomine, & pietatis ſtudio hac occaſione à fidelibus offerri conſueuerit, id tanquàm non debitum, peracto Sacramento, modeſtè recipi non interdicimus.

Can. baptizandis 99. & ſeptē ſequētibus prima. quæſt. 1.

Matth. cap. 10. verſ. 9.

Can. quidquid 101. prima. q. 1.

9. Demùm quia non modò in miniſtrantibus, ſed & in ſuſcipientibus pietatem, puritatem, externumque cultum exigunt Sacramenta, crebris cohortationibus monendi erunt Fideles, vt illorum ſalubres effectus conſiderantes, purè, deuotè, ac frequentèr ad ea recipienda accedant, nec modò conſcientiæ munditiem, animique debitum candorem afferant, ſed exteriori etiam corporis habitu, ac geſtu humilitatem, ac reuerentiam præſeferant; Ideò Viri armis depoſitis, Mulieres honeſto, humilique ornatu, ad ea ſe præſentent, vt ità Cœleſtia Chriſti Saluatoris munera ſanctiùs recolentes, vberiores diuinæ gratiæ fructus conſequantur.

Digitized by Google

De Sacramento Baptiſmi.

CAPVT VII.

CVm Baptiſmus ſit cæterorum Sacramentorum Ianua, & omnium maximè ad ſalutem neceſſarius, dicente Domino, *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritus Sancto non poteſt introire in Regnum Dei*, idcircò officij noſtri ratio poſtulat, vt quæ circà ipſum, Parochi rectè ſcire, & in eius adminiſtratione ritè ſeruare, quæque Populum, quandò vſu venerit, edocere tenentur, hic ſtatuamus.

Ioannis 3.v.5.

1. Primum itàque nouerint Parochi propriam huius Sacramenti materiam eſſe aquam puram, naturalem, ſeù elementarem, neque alia, quæ huiuſmodi non ſit, vllo caſu eos vti poſſe, ſeù licitè, ſeù etiam validè. Quæ quidem aqua, præterquam in caſu neceſſitatis, debet eſſe benedicta in Sabatho Paſchatis, vel Pentecoſtes. Ad hanc verò functionem conueniant cæteri Parochi, qui eodem Fonte vtuntur, atque etiàm Cappellani, & cæteri Parochię Sacerdotes, & Clerici. Et quoniam aquam hanc Sacris Ritibus benedictam diligentiſſimè, & decentiſſimè cuſtodiri par eſt, ideò, quæ circa ſacros Fontes, & Baptiſteria in noſtra prima Viſitatione præſcripſimus, accuratè obſeruanda hic quoque denuò præcipimus: nimirùm.

2. Vt

Digitized by Google

2. Vt Fons lapideus ſit, vel ex alia materia ſolida, in qua decenter fiant duæ concauitates, quarũ vnà aquæ cóſecratæ cuſtodiendę cum cooperculo ex metallo inſeruiat; altera verò Sacrarij loco ſit; quod ſi Sacrarium in eodem Fontis lapide, materiauè haberi nequeat, ſaltèm propè eundẽ conſtruatur, & cooperculo ligneo claudatur. Fonti verò, atq; Sacrario ſuper impoſitũ, & benè infixum ſit Tabernaculũ, ſeù, vt appellant, Ciboriũ ſaltèm ligneum decorè fabrefactum: in quo ſit contignatio, vbi vaſcula argentea Oleorum Sacrorum Chriſmatis, & Cathecumenorum cum ſuis inſcriptionibus reponantur; quæ Sacra Olea ſingulis annis in Paſchate mutentur, repetitis nouis ex noſtra Collegiata Eccleſia S. Andreæ Sublaci, miſſa illùc capſula obſerata per Sacerdotem, vel ſaltèm per Clericum in Sacris conſtitutum, cui vaſcula ſtannea includantur, atque etiam claui ſeparatim in Epiſtola ad Vicarium noſtrum Generalem directa ea ratione, & forma, qua in noſtra Viſitatione ſanciuimus. c. Presbyteri, & c. omni tempore diſt. 4. de conſecr.

Vetera verò olea comburantur, & cineres in Sacrarium proijciantur. In eodem ſeruetur cochlear argenteum ad fundendã in caput baptizandi aquam. Sit quoque vas cum ſale benedicto, & denique linteamina ad detergendum eiuſdem caput, quæ, vt & vaſcula dicta, integra, & munda eſſe, nullique alteri vſui inſeruire præcipimus. Tabernaculum verò, ſeu Ciborium decenti velo, ſeu Conopæo veſtiatur, & in eius ſummitate ſit Sancti Ioannis Ba-

ptiſtæ

Digitized by Google

ptiſtæ Chriſtum Baptizantis parua ſtatua, aut certè imago, vel in muro depicta, vel eidem adhærens. Ne verò puluis, vllæuè ſordes supernè decidant, & Tabernaculum præfatum commaculent, eidem, vbi id neceſsè fuerit, ſuperponatur vmbella decenter ornata, iuxtà præſcripta à Nobis in pręfata Viſitatione. Et ne Tabernaculum, & Fons vlli pateant, non modò Cancellis claudi iubemus, ſed & firmiſſimis ſeris, vti pariter Sacrarium, claudi ſtrictiſſimè iniungimus. Claues verò apud Parochum diligentiſſima cuſtodia adſeruentur, nec illas attrectare vllus alius audeat, aut permittatur, abſque eiuſdem Parochi licentia, quam non niſi Sacerdotibus concedat, qui ipſius vices obeundo Baptizant; & tùm quoque ſtatim peracto Baptiſmate eas ad Parochum referant.

3. Nouerint autem ipſi Parochi, alioſque doceant formam legitimam huius Sacramenti à Chriſto Domino præſcriptam, & neceſſariò adhibendam eſſe hanc: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Itá enim à Domino traditum eſt, cum Apoſtolis præcepit: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris &c.* Quorum verborum prolationi contemporanea eſſe debet aquę ſuper Baptizatum trina per modum Crucis infuſio trium Diuinarum Perſonarum nominibus correſpondens: & animaduertendum diligentèr eſt, vt idem ſit aquam adhibens, & verba pronuncians. Strictiſſimè verò prohibemus, ne quidquam addatur,

Matth. 28. v. 19.

Ex Rituali Romano de Sacrament. Baptiſ.

Digitized by Google

tur, detrahatur, aut immutetur in formæ prolatione, ſed ipſamet verba à Chriſto Domino, vt ſupra præſcripta, & ab Eccleſia cuſtodita, exactiſſimè retineantur. Ideò cum ſæpè incidant tempora, in quibus tàm ab alijs de Populo, quàm etiam à mulieribus Baptiſmum adminiſtrari oporteat, vt ſuo loco plenius dicetur, Parochi Populum ea, quæ ad huius Sacramenti ſubſtantiam pertinent, etiam lingua vernacula edoceant, tùm aliàs ſæpè, tùm præcipuè, cum inter Miſſarum ſolemnia rudimenta Fidei recitant, vti præcepimus, & eius articulos Fidelibus explanant; atque etiam tunc, cum Catechiſmum piæ memoriȩ Cardinalis Bellarmini eoſdem fideles, pueroſque ex officio edocent. Et quoniam euenire poteſt, vt Baptiſmus à perſonis rudioribus in caſu neceſſitatis conferatur, atque adeò dubitetur, fuerit ne verè collatus, an non; idcircò Parochi antequàm Baptizent, diligenter inquirant, An, & quomodò Infans ob imminens mortis periculum Baptizatus domi fuerit; & ſi ritè, rectèque peracta omnia ad Baptiſmum neceſſaria compererint, à Baptizando quidem abſtineant, ſed tamen preces, rituſque Eccleſiæ conſuetos prȩtermiſſos, duntaxat ſuppleãt. Quod ſi Parochus poſt accuratam inquiſitionem factam, adhuc tamen probabiliter dubitet, An Infans fuerit rectè Baptizatus, tùm eundem ſub conditione Baptizet dicendo: *Si non es Baptizatus, ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Si verò dubium grauius inciderit, quàm vt Parochus ad Baptizan-

Ex Rituali Romano vbi ſup.

zan-

zandum abſque hæſitatione procedere queat , ne quidpiam feſtinantèr, aut inconſideratè agatur, conſulantur Medici, vti ſi Partus eſt monſtruoſus; aut peritiores Parochi, & iuxtà eorum ſententiam ſe ſe regat; Et quidem, ſi tempus id permiſerit, nihil inconſultis Nobis, aut Vicario noſtro Generali peragatur: Forma verò in huiuſmodi caſibus conſueta

Ibid. vt ſupra. ex Rituali Romano eſt hæc. *Si tu es homo, ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Similiter, & Expoſiti infantes, alijque, quorum certa ſcientia non habetur, an ſint Baptizati, conditionalibus verbis Baptizari debent; *Si non es baptizatus, ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

4. Et quoniam ijs, qui Baptizantur, tanquàm in Dei militiam adſcribendis, nomina, induntur, curabunt Parochi, ne prophana, fabuloſa, vel impiorum Ethnicorum nomina imponantur, ſed potiùs Sanctorum, quorum exemplis Fideles ad piè viuendum excitentur in Terris, & Patrocinijs protegantur in Cœlo. At quia teſte Apoſtolo Baptiſmus eſt

Tit. 3. v. 5. lauacrum regenerationis; ideò Parochi moneant, & efficacitèr hortentur Fideles, vt quotannis Anniuerſarium eius diem tùm pia recordatione characteris, quo tunc inſigniti fuere, & ſponſionis, quam in eodem fecerunt, tùm orationibus, & eleemoſynis, alijſque pijs operibus pro ſua quiſque facultate deuotè celebrent.

5. Vt autem fideles ad altiſſimam de Baptiſmi

Sa-

Digitized by Google

Sacramento æſtimationem, & dignitatis ſuæ agnitionem excitentur, commoneat eos Parochus, & ſæpè doceat vberrimos, quos per Baptiſmum fructus percipiunt, nam non modò à peccato originali liberos efficit, ſed & Gratia ditat, & glorioſo charactere exornat, vt Chriſti Ducis, ac Dei noſtri ſemper, & vbique filij agnoſcantur, hocque argumentum vberiùs explicet ex Catechiſmo Romano, & Tridentino Concilio.

6. Legitimus autem Miniſter Baptiſmi eſt Parochus proprius, vel de eius licentia, aut certè Ordinarij, etiam alienus, & quicunque Sacerdos. At quoties mortis manifeſtum imminet periculum, quilibet eſſe poteſt Baptiſmi miniſter, qui applicata ritè materia, & forma intentionem habeat faciendi, quod facit Eccleſia. Eo tamen caſu hunc ordinem ſeruandum eſſe meminerint, vt præſente Parocho, non Baptizet ſimplex Sacerdos, nec hoc præſente, Diaconus, aut Subdiaconus, nec his adſtantibus, Clericus, neque præſente Clerico, Laicus, nec præſente viro mulier, niſi hæc meliùs ſciret formam, & modum Baptizandi. Et quoniam plerumque qui Baptiſmum in caſibus neceſſitatis adminiſtrant, ſunt Fœminæ, quæ Puerperis obſtetricantur, hæ, licèt aliàs approbatæ fuerint, ſæpè tamen examinentur à Parocho, an Baptiſmi formam, aliaque neceſſaria ad Baptizandum benè didicerint, & memoria retineant. Repertæ autem ea ignorare, vel in eſſentialibus errare, accuratè, & patienter ab eodem edoceantur, atque

Ex Rituali Romano de Sacr. Baptiſ.

G illis

illis interim præcipiatur, etiam coràm teſtibus, & ſub pœnis ad noſtrum arbitrium, ſi opus videatur, vt à præfato munere ſe abſtineant, donec, quæ ſcire debent, plenè, aptèque calluerint. Atque, vt cognoſcatur, an in re tanti momenti Parochi ipſi diligentiam adhibeant, volumus, vt præfatæ Obſtetrices semèl in anno in Terra Sublaci Vicario Generali, in Diœceſi verò Vicarijs Foraneis ſe præſentent, & approbationem ſuper prędictis in ſcriptis gratis dandam teneantur accipere, quam ſi deindè Parochis non oſtenderint, & nihilominùs obſtetricentur, denuntiatas Nobis ſeuerè puniemus. Caueat omninò Parochus nè quidquam petat, aut exigere moliatur pro huius Sacramenti adminiſtratione. Et ſi quem eius culpa ſine Baptiſmo mortuum eſſe conſtiterit, non obſtante quacumque excuſatione, deponetur. Et quia ex vetuſtiſſimo Eccleſiæ inſtituto Miniſter huius Sacramenti cum Baptizato, eiuſque Patre, & Matre ſpirituali cognatione deuincitur; ideò quicunque, ſiue in caſu neceſſitatis, ſiue extra Baptizauerit, de hoc vinculo edoceatur, oportet. Pater tamen, & Mater Baptizantes propriam prolem in mortis articulo, quando non reperitur alius, qui Baptizet, nullam contrahunt cognationem, quæ matrimonij vſum impediat.

c. Baptizandis 1. quæſt. 1. c. quæcunque, diſt. 4 de Coſec.

c. ad limina 30. quæſt. 1.

7. Sed quia ad Miniſtros, qui hoc Sacramentum conficiunt, aliud accedit Miniſtrorum genus vulgò, Patrini dicti, qui ad idem ex antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudine adhiberi ſolent, ideò Parochus

Ex Catechiſm. Rom. de Baptiſ. ſect. 26.

chus antequam ad Baptizandum accedat, ab ijs, ad quos ſpectat, exquirat, qui Patrini electi ſint, nec niſi vnum tantùm ſiue Virum, ſiue Mulierem, vel ad ſummum vnum, & vnam admittere debet, quos tamen, antequàm admittat, priùs examinet, an Symbolum Fidei, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Dei, Eccleſiæque præcepta calleant. Et, ſi ignaros repererit, omninò reijciat. Præterea ad huiuſmodi munus aſſumi prohibemus mares nondum completo decimo quarto ætatis anno, & fœminas nondum completo duodecimo, Sacramento Confirmationis nondum initiatos, ipſius Baptizandi Parentes, notoriè excommunicatos, interdictos, non confeſſos, nec Sacra Communione refectos in proximo Paſchate, publicè criminoſos, aut infames, deniquè quoſcunque Regulares vtriuſque ſexus, & Clericos etiam in Sacris ſine noſtra ſpeciali licentia; Caueant igitur Parochi, nè huiuſmodi admittant, aliòquin grauibus pœnis arbitrio noſtro ſubijciendi, & nè quis conquerendi hac de re occaſionem arripiat, quoties, vt ſupra, Baptiſmi Sacramentum Populo explicant, publicè omnibus denuntient, ſe tales in Patrinos nullatenùs admiſſuros, ſed protinùs expulſuros; quos autem ritè admiſerint, eos de eorum officio commonefaciant, ſcilicèt illud non eſſe nudum nomen, ſed grauem obligationem, eos, quos de Sacro Fonte ſuſcipiunt, in Catholica Fide, & bonis moribus inſtituendi, ſi eorum Parentes id facere, vel negligentia omiſerint, vel morte,

Conc. Trid. c. 2. ſeſſ. 24. de ref.

c. Vos ante 105. de Conſecrat. diſt. 4.

c. non licèt, & c. Monachi, de Conſecr. diſt. 4.

d. c. Vos ante, de Conſecrat. diſt. 4.

Digitized by Google

Conc.Trid.c.2. ſeſſ.24. de ref.

aut alio caſu præpediti nequiuerint. Eoſdem pariter admoneant, quemadmodum, & Baptizati Parentes, de cognatione ſpirituali, (vndè oritur impedimentum impediens matrimonium contrahendū, & dirimens poſteà contractum) quam à Baptizatis, eorumque Patre, & Matre cum ipſis ſuſcipientibus contrahi, eorumque perſonas non egredi intelligant. Et quoniam in Viſitatione comperimus etiam ſuſcipiētium coniuges nomine Compatrum, & Commatrum per errorem appellari, ne fortè vnquàm tales cenſeantur, nouerint omnes inter præfatos Suſcipientium coniuges, atque ipſum Suſceptum nullum cognationis vinculum intercedere. Monere denique debent, & propriæ grauitatis exemplo docere Patrinos, & alios quoque adſtantes, nè riſu, inanibus verbis, vllouè ſtrepitu tantæ venerationis functionem interturbent, quin contrà, vt piè, & omni animi attentione aſſiſtant memoria tacitè recolentes, quæ ipſi olim in ſuſceptione huius Sacramenti Deo ſanctè ſpoponderunt.

c. 1. de cognatione ſpirituali.

B.Pius conſtitutione incip. Cū illius vicem, in ordine Bullarij 14.

8. Precationes, Ritus, & Cæremonias, quæ ex Apoſtolica, & antiquiſſima traditione acceptæ, & approbatæ ad ſolemnitatem huius Sacramenti pertinent, omittere, niſi neceſſitatis cauſa, aut vlla in parte mutare, abſque graui peccato non licèt; quamobrem Parochi tùm illas, tùm earum myſteria, & ſignificationes rectè tenebunt, vt, & ritè hoc Sacramentum miniſtrent, & eadem myſteria Fidelibus, vbi id commodè fieri poterit, peritè, pièque exponant.

Conc.Trid.ſeſſ. 7.c.13. de Sacr. in genere. Ritual.Rom.de Sacram.Baptiſ. in princ.

Digitized by Google

nant. Quoniam verò per lauacrum Baptiſmi regeneramur in ſpem viuam, & in hereditatem incorruptibilem, grauiſſimè peccant, qui infantes filios iræ, & originalis peccati tabe infectos per primos Parentes periculo adoptionem filiorum Dei, & pignus hereditatis æternæ non conſequendi, exponunt: Idcircò monemus, nè vltra tres dies infantium recèns natorum Baptiſmus differatur, quinimò citiùs, mortis periculo imminente, conferatur; quod ſi vltrà octauum diem ſine noſtra, aut Vicarij noſtri Generalis licentia protrahatur, præter alias graues pœnas, etiam quinque aureorum ſolutioni ſubiaceant tàm parentes, quàm quicunque alij, quorum culpa, aut negligentia id commiſſum fuerit. Nemo ante Solis ortum, aut poſt eius occaſum Baptizare præſumat, nec niſi in Eccleſijs, in quibus ſunt Fontes Baptiſmales; niſi mortis impendente diſcrimine Baptiſmus domi ſit conferendus, & tunc, ceſſante periculo, quamprimùm ad Eccleſiam deferatur Infans, vt ritus, preceſque conſuetæ per Parochum ſuppleantur: Quod ſi vltrà octauum diem id facere Parentes diſtulerint, ſubiaceant pœnæ iam ſuprà ſancitę contra differentes vltrà octauum diem ipſum Baptiſmum.

Epheſ.5. v.26. Tit.3. verſ.5. Epheſ.2. v.3. Rom.5. v.12. & 14. Galat.4. v.5. Epheſ.1. v.5.

Clem. vnic. de Baptiſmo.

9. Peracto Baptiſmo Parochi moneant Obſtetricem; vt Parentibus denuntiet, nè aut ipſi, aut nutrix, aut quicunque Infantem ante expletum annum in lecto retineant ſine repagulo, vel ſimili cautione ſub reatu peccati Nobis reſeruati, & ſecuta ſuffoca-

focatione ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ Nobis pariter reſeruatę: Et quia, Verbi Diuini teſtimonio, *Mulier, cum pepererit Puerum, iam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum*, ideò moneantur Puerperæ, vt, cum primùm è domo exierint, ad Eccleſiam ſe conferant, vbi gratias Deo acturæ benedictionem à Parocho recipiant.

Ioãnis 16. v. 21.

10. Denique habeant Parochi ſub diligenti cuſtodia decentem, & benè compactum librum cum ſuis integumentis non libellum, qui vento rapitur, in quo Baptizatorum, eorumque Parentum, & Patrinorum nomina, & diem, & annum collati Baptiſmi, & alia iuxtà formulam Ritualis Romani accuratè, ſtatimque, ſi fieri poteſt, deſcribant, nunquam verò vltrà diem hoc facere differant, ſub pœnà ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ Nobis reſeruatę. Et ſi de licentia Parochi proprij, vel etiam ſine licentia in caſu neceſſitatis, alienus Parochus aliquem baptizauerit, tunc Baptiſmi ſic collati notulam ſub præfata pœna eadem die tranſmittat proprio Parocho, in eius libro tranſcribendam, & in ſuo quòque libro eandem inſerere non prætermittat. Porrò, vt horum librorum plenior ſit Fides, ea aduerſus fraudes adhibeatur cautela, quam in Viſitatione præſcripſimus, nimirùm, vt omnes eorum paginæ chartulentur, & nomina baptizatorum in ijs deſcripta, continuata numerorum ſerie à principio vniuſcuiuſque anni vſque ad finem, in margine calculentur.

Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. matrim. c. 2.

Cum

Cum verò,non ſine graui animi noſtri dolore, in eadem Viſitatione huiuſmodi libros defunctorum Parochorum extare in pleriſque locis non deprehenderimus, vt malis, quæ ex tali librorum iactura euenire ſolent, in futurum occurramus, diſtrictè præcipimus ſub pœna trium aureorum, vt omnes Parochi, alijque Sacerdotes eorum munere fungentes, tùm Terræ Sublaci, tùm Diœceſis, quotannis circà Natiuitatem Domini exemplum authenticum Baptizatorum eo anno,ex ſuo quiſque libro deſumptum, ad Vicarium Generalem tranſmittant, qui illud in Cãcellaria noſtra Eccleſiaſtica reponi, & diligentèr cuſtodiri curabit. Sed originalibus penès Parochos exiſtentibus, nullas Fides, ſeù atteſtationes à præfatis exemplaribus Cancellarius extrahere prę́ſumat; Quod ſi, id, quod Deus auertat, dicta originalia deperdi aliquo caſu contigerit,tunc idem Cancellarius, cum licentia Vicarij noſtri Generalis, Fides extractas petentibus, imò etiam integrum libri deperditi tranſumptum Parocho id poſtulanti, congrua laboris mercede accepta, dare teneatur: pœnam autem ſcutorũ trium pro qualibet atteſtatione contra huius Decreti præſcriptum extracta ſe incurſurum omninò ſciat.

De

Digitized by Google

De Sacramento Confirmationis.

CAPVT VIII.

Epheſ.2.v.9.
1.Pet.2. verſ.2.
Hebr.5.v.13. & 14.
S.Auguſt.ſerm. 157. de tépore.
Ioann.3. v.5.

1 QVamuis per Sacramentum Baptiſmi adſcripti ſimus in Ciues Sanctorum, & Domeſticos Dei, tamen, quia *tanquàm modò geniti infantes*, & tanquam nouella germina Sanctitatis, ex aqua, & Spiritu Sancto renati cenſendi ſumus, abiectiſque operibus tenebrarum, colluctari debemus, non modò aduerſus Carnem, & Sanguinẽ, ſed etiam aduerſus Mundi Principes, & Poteſtates; Idcircò Chriſtus Dominus noſter, Sacramentorum omnium Auctor virtute nos ex alto corroboraturus, ſacro Chriſmate tanquam ſpirituales Athletas inungi, & ſolemnibus verbis conſignari inſtituit, vt fortiores redditi omnia nequiſſimi hoſtis tela retundamus, & tandem à Domino incorruptam Coronam reportemus.

Rom.13.v.12.
Luc.24 v 49.
Epheſ.6. v.16.
1. Corinth.9. v.25.

Breue Vrbani VIII. datũ 15. Nouembris 1638.

2. Cum itaque vigore Indulti, quod San. me. Vrbanus VIII. ex Pontificiæ munificentiæ plenitudine, & paterno erga hanc Abbatiam affectu eiuſdem pro tempore Abbatibus perpetuis Commendatarijs conceſſit, poſſint ijdem per ſe, ſi Epiſcopatus charactere ſunt inſigniti, ſin minùs per quemcunque maluerint Catholicum Antiſtitem gratiam, & Com-

Digitized by Google

& Communionem Sanctæ Sedis Apoſtolicæ habentem ad hoc ſpecialiter ab ipſis deputatum inter alia, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, hoc Confirmationis Sacramentum ſuis in eadem Abbatia Subditis conferre, prout hùc vſque Nos ipſi præſtitimus; ideò licèt illud ad Noſtram Paſtoralem curam, præcipuè pertineat, Parochos tamen, quorum hìc quoque aliquæ partes eſſe debent, in ijs, quę ipſi facere, quæque alijs notificare tenentur, pro ea ſollicitudine, quam Gregi Fidei noſtræ commiſſo debemus, inſtruendos duximus.

3. Poſtquam ergo Parochi ex litteris noſtris circularibus quando, & vbi hoc Sacramentum vniuſcuiuſque Parochiæ populo adminiſtrandum ſit, acceperint, id diebus Dominicis, Feſtiſque inſequentibus inter Miſſarum ſolemnia denunciabunt; itemque eiuſdem Sacramenti naturam, vim, dignitatem, & ſalutares effectus ex Romano Catechiſmo vbertim demonſtrabunt, vt omnes intelligant non modò illud negligendum non eſſe, aut nimiùm differendũ, ſed & ardenti animi voto expetendum, ac ſumma cũ pietate, & religione ſuſcipiendum, cum plenus, vel plenè Chriſtianus dici nequeat, qui Epiſcopali Confirmatione, per quam Diuini Spiritus plenitudo confertur, inungi prætermiſerit. Præſertim verò oſtendent per hoc Sacramentum indelebilem characterem, ac notam imprimi in anima, atque adeò ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Simulque edocebunt cognationem ſpiritualem eandem, quæ in

Rom. Catechiſ. p. 2. cap. 3.

c. omnes Fideles, & c. vt Ieiuni, diſt. 5. de Cõſecrat.

c. dictum eſt, ead. diſt.

Conc. Trid. ſeſſ. 2. c. 2. de refor. matrim. c. 1. §. Ex Confirmatione de cogn. ſpiritual. in 6. c. lex illa 36. quæſt. 1. c. inceſtuoſi 35. quæſt. 8.

Baptiſmo, & inter eaſdem perſonas hìc quoque contrahi, eoſdemque effectus producere, ſicque carnaliter ſe commiſcendo deteſtandum, & nefandum inceſtus crimen committere, eiuſque cum excommunicatione annexa in foro pœnitentiali abſolutionem Nobis reſeruari.

4. Edicent deindè hoc Sacramentum Suſcepturis, vt ad ſe quamprimùm cum Patrinis, vel Matrinis ſuis accedant priuatim inſtruendi, atque examinandi; & quidem cum Sacri Chriſmatis virtute ad Chriſtianam militiam, Spiritualemque Agonem roboremur, ad quod pugnæ genus Pueri rationis vſu carentes idonei non ſunt, ab eiuſdem Sacramenti ſuſceptione minores ſeptennio omninò repellantur. Patrini verò, qui ijs, quos in Confirmatione tenent, veluti Duces in ſpirituali certamine præire, & documenta Chriſtianæ Fidei, ſi opus fuerit, tradere debent, ijdem ſint natu maiores, aut ſaltèm id ætatis, vt proprio muneri ſatisfaciant; A quo eos excludimus, qui adhuc Sacramentum hoc non ſuſceperunt, tùm etiam omnes, quos ſupra in Baptiſmi Sacramento repellendos mandauimus, quibus addimus Patrinum, & Matrinam, qui in eodem Baptiſmo adhibiti fuerunt, niſi neceſſitate cogente, & Vitricum, aut Nouercam reſpectu Priuigni, ac Coniugem reſpectu Coniugis: Illudque ſeruari volumus, honeſtatis ſuadente ratione, vt mares à maribus, fœminæ à fœminis ſuſcipiantur; Sintque tantùm vnus, vel vna iuxtà Sacrorum Canonum diſpoſitionem:

Catechiſ. Rom. de Sacram. Confirmat. num. 17.

Act. Mediolan. p. 4. in Inſtruct. Confirm. c. de Patrinis.

Can. in Baptiſmate 102. de Conſecr. diſt. 4.

c. in Catechiſm. 100. diſt. 4. de Conſecr.

Can. in Catech. 100. & Can nó plures 201. de Conſec. diſt. 4.

His

Digitized by Google

His itàque accuratè perpenſis tàm Confirmandos, quàm ipſorum Suſceptores ſuper Fidei rudimentis Parochi diligentèr interrogabunt, quorum ſi ità ignaros compererint, vt breui inſtructione, quam illius temporis anguſtia patitur, eorum ignorantia ſuperari nō poſſit, ipſos nullatenùs admittant; ijdem autem, quos huiuſmodi peractis diligentijs, & prædictis omnibus attentè conſideratis idoneos iudicauerint, tradent ſchedulam manu ſua ſubſcriptam, in qua nomen, & cognomen, & Parochia Confirmandi, itemque nomina, & cognomina Patris, ac Matris, exprimendo, ſint ne Coniuges, nec ne, ac Patrinorum, ſeu Matrinarum deſcripta ſint; Et hæc apud Epiſcopum Confirmantem erit veluti authentica atteſtatio plenæ quoad omnia approbationis tàm Confirmandorum, quàm Suſcipientium, ideòque non temerè, ſed circumſpectè, & penſatis omnibus tradenda erit, ac ſine ipſa nemo admittetur.

5. Monendi inſuper erunt omnes ad hoc Sacramentum acceſſuri, vt adueniente ſtatuta die, mundo corporis cultu, atque animi deuoto habitu deferentes ſuam quiſque ſecum ſchedulam, & lineam vittam fronti poſt Sacram Vnctionem ligandæ præparatam, ad Eccleſiam deſtinatam ſe conferant. Sciātque animarum curam gerentes ipſorum muneris eſſe, ſedulò, ac diligenter curare, vt Confirmandi omnes, ne ſeptiformi gratiæ Spiritus Sancti, quæ in hoc Sacramento confertur, obicem ponant, conſcientiam priùs per Sacramentalem Confeſſionem emun- *d.cap.vt Ieiuni, diſt.5. de Conf. c. 1. de delictis puerorum.*

H 2 dent,

dent; Imò vt id ipſum à ſingulis fuiſſe adimpletum Epiſcopo Confirmanti teſtari valeant, Parochi omnes cum ſuis quiq; Confirmandis in Eccleſia, in qua ſacra hæc functio peragetur, intereſſe teneantur: Eiuſdemque rei gratia Parochus, ſeù Rector illius Eccleſiæ curabit, vt intereà in Confeſſionali Sede approbatus Confeſſarius ad hunc effectum paratus ſemper reperiatur; cuius pariter curæ erit, vt Eccleſia decenti priùs ornatu præparetur, ſolemniter Campanę pulſentur, omneſque tùm Sacerdotes, tùm Clerici ipſius Eccleſiæ ſeruitio adſcripti interſint, ſuo quiſque officio Epiſcopo Confirmanti miniſtraturi.

6. Animaduertant verò tàm ipſe Epiſcopus Confirmans, quàm illius miniſtri, imò ad id ipſum Parochi in conficiendis, ac ſubſcribendis ſchedulis diligenter attendant, ne vnus, aut vna plures duobus, aut certè tribus in eadem huius Sacramenti adminiſtratione ſuſcipiant abſque Noſtra, ſeu Vicarij Noſtri Generalis licentia, ne nimirùm ſpiritualis Cognationis vincula, ac Suſcipientium erga ſuſceptos onera nimis extendantur. Ac ſi, contra quàm ſupra de Baptiſmo pręcepimus, quempiam nomen Chriſtiano homine minùs dignum habere deprehenderint, curabunt, vt, eo mutato, aliud alicuius Sancti in Confirmatione aſſumat.

7. Præcipua demùm danda erit opera, vt ſit probatæ fidei, & ſolertiæ Sacerdos, qui Epiſcopo Confirmanti pręeundo ſchedulas colligat, & recognoſcat; quas ſtatim, actione peracta, tradet Parocho

Ec-

Eccleſiæ, in qua habita fuit functio Hic autem ex ijſdem ſchedulis in librum benè compactum per omnia Baptizatorum libro ſimilem, cum ijſdem cautelis, & ſub ijſdem pœnis, quas ſupra de Baptiſmo præſcripſimus, tranſcribet intrà decem dies à Confirmatione peracta nomina, & cognomina Confirmatorum, Parentum, & Patrinorum, præmiſſo etiam nomine Epiſcopi Confirmantis, cum die, menſe, & anno, iuxtà formulam Ritualis Romani. Quod ſi qui fortè ex vicinis Parochijs illuc ad ſuſcipiendũ hoc Sacramentum conuenerint, eorum nomina, & cognomina per ſuas quęque Parochias eodem libro diſtinguent: Ex quo primum quidem authenticum, ac fidele eruat exemplar ſuorum Parochianorum Confirmationem complectens, illudque intrà triginta dies ab adminiſtrato Sacramento computandos ad Vicarium noſtrum Generalem in Cancellaria Eccleſiaſtica aſſeruandum ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ tranſmittet. Ac ſimilia alienarum Parochiarum Confirmatorum exemplaria deſumet, quæ pariter intrà triginta dies ſub eadem pœna ad ſuos quæque tranſmittet Parochos, qui illa in ſuum quiſque librum pariter intrà decem dies referent, & poſteà ijdem intrà triginta ſimiliter dies ab eo, quo acceperunt, numerandos ad Vicarium noſtrum Generalem, vbi ſupra cuſtodienda, ſub eadem ſuſpenſionis pœna tranſmittere tenebuntur.

Ritual. Rom. in fine.

De

De Sanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento.

CAPVT IX.

1. QVoniam per Baptiſmum renatos, & in Confirmatione aduerſus hoſtes armatos ali præterea, & cœleſti nos cibo ſuſtentari oportet, ne in miſerę huius peregrinationis noſtrę ad Patriam via deficiamus, Chriſtus Dominus, ac Saluator noſter, cum in finem dilexiſſet ſuos, Auguſtiſſimum Euchariſtię Sacramẽtum in vltima cum Diſcipulis Cœna ante paſſionem inſtituit, in quo ſub ſpeciebus panis, & vini verè, realiter, & ſubſtantialiter eius Corpus, & Sanguis, vna cum Anima, & Diuinitate, atque adeò totus Chriſtus Fons, Authorque omnis gratiæ continetur, vt non modò Fideles pane de Cœlo præſtito enutriantur in vitam æternam, ſed eſſet in Eccleſia ſua Symbolum illius vnitatis, & charitatis, qua Chriſtianos omnes inter ſe coniunctos, & copulatos eſſe voluit.

Joann.13.v.1. Matth.26.v.26. Marc.14.v.22. Luc.22.v.19.

Conc Trid.ſeſſ. 13. c.1.de Sacr. Euchariſt.

Ibid.in princ.& per totum.

Quamobrem cum ea ſit dignitas, excellentia, atque ſuper cętera Sacramenta prærogatiua Sanctiſſimæ Euchariſtię, vt eius Maieſtatem, Diuinitatemq; tot expreſsis, & iteratis Sacrę Scripturę teſtimonijs Spititus Sanctus teſtatam eſſe, & ex ea tanquam à fonte in reliqua Sacramenta, veluti riuulos, quic

quid

quid habent boni deriuari voluerit; Idcircò officij Noſtri ratio poſtulat, vt omni Paſtorali ſollicitudine procuremus tàm eximij erga nos amoris ſacratiſſimum pignus fide firmiſſima ab omnibus credi, religioſiſſima veneratione coli, & reuerentia maxima tractari, & ſummo demùm aſſeruari decore.

2. Itaque Sacrorum Canonum, Conciliorumque veſtigijs inhærentes, & ſancita nuper à Nobis in Noſtra Viſitatione inſtaurantes, ſtatuimus in primis, vt in maiori Eccleſiæ Altari ſit Tabernaculum affabrè factum, & extrà maiori ex parte deauratum cum ſuis Conopeis ſericis albi, rubri, viridis, & violacei colorum pro temporis ratione mutandis. Idem etiam Tabernaculum, eiuſque oſtiolum intùs vndequaque ſerico panno rubri, ſeù alterius decentis coloris conueſtiatur: neque in eo, neque ſubtùs in ipſa baſi, quæ ſemper vacua eſſe debet, quidquam, quantumuis ſacrum aſſeruetur, præter duas pyxides argenteas interiùs auro illitas, & orbiculatas cum ſuis cooperculis: quæ pixides ſuper corporali mundo in planitie contignationis ſtrato, & ſingulis bimeſtribus mutando, collocentur. In harum vna, nempè maiori, quæ Conopeolo, ſeu velo ſerico coloris tempori congruentis contegatur, conſeruentur ſemper ſacræ particulæ, hyeme ſingulis quindecim, æſtate octo diebus mutandæ, ea copia, vt Fidelibus communicari volentibus, & maximè infirmis, nunquam deſint, alioquin Parochi, quorum culpa defecerint, ſeuerè punientur; in altera verò pyxide minori

c. relinqui de cuſtod. Euchar.

nori nullæ ſacrę hoſtiæ, ſeu particulæ aſſeruentur; ſed in ea tùm collocentur, cum ad Infirmos Sanctiſſimum hoc Sacramentum, modo inferiùs præſcribendo, erit deferendum.

Quoties verò aut mutantur, aut conſumuntur particulæ, caueat diligentiſſimè Parochus, aut Sacerdos, ne vlla remaneant fragmenta, ſed primùm colligantur, & pariter cum hoſtijs abſumantur; ſordes denique omnes tàm à pyxidibus, quàm ab ipſo Tabernaculo velis, & Conopeis intùs, foriſque abſtergantur.

d. c. relinqui de cuſtod. Euchar.

Tabernaculi autem oſtiolum firmiſſima ſera, & claui argentea, prout in pleriſque noſtræ Diœceſis Eccleſijs adimpletum inuenimus, aut ſaltèm deaurata funiculo holoſerico appenſa claudatur, quam apud ſe Parochus, ne poſſit ad Sanctiſſimam Euchariſtiam temeraria manus extendi, diligenti cura ſub pœna ſuſpenſionis cuſtodiat.

c. 1. de cuſtod. Euchariſt.

In ſignum verò ardentiſſimi illius amoris, quo Fideles omnes Sãctiſſimum hoc Sacramentum proſequi debent, curæ ſit Parochis, vt diu, noctuque, vnà ſaltèm decentiſſima Lampas ante Tabernaculũ, eorum, ad quos iuxtà conſuetudinem locorum ſpectare ſolet expenſis, continenter accenſa dependeat: quam, ſi vel ob defectum reparabilem, vel negligentia Cuſtodis extingui contigerit, neque ipſe Parochus, neque etiam Cuſtos, alijuè, quorum culpa id euenerit, immunes à pœnis, noſtro arbitrio infligendis, euadent.

3. Iam

Digitized by Google

3. Iam verò ad deuotum, & frequentem tanti Sacramenti cultum, & vſum Parochi tùm per ſe ipſos ſæpè inter Miſſarum ſolemnia, tùm per Concionatores, paterno affectu, opportunè, & importunè Populum hortentur rogando, & obſecrando, vt Sacroſanctam Euchariſtiam religioſiſſimè adorent, ad gratiarum omnium Authorem in ea contentum in ſuis neceſſitatibus recurrant, & ea non modo ſpiritualiter, ſed etiam ſacramentaliter quàm frequentiſſimè ſumant: demonſtrabunt etiam hoc Sacramentum eſſe infiniti in nos Diuini amoris admirabile argumentũ, Dominicæ paſſionis iugem cõmemorationem, & æternæ vitæ certiſſimum pignus: proponent quoque naſcentis Eccleſiæ Inſtituta, Sanctorum Patrũ exempla, & doctrinã, & in primis Sacroſancti Concilij Tridẽtini deſiderium, quo quidem optaret, vt ſingulis in Miſſis Fideles adſtantes communicarent; hæc igitur, & infinitos huius Sacramenti fructus, & vtilitates ex Catechiſmo Parochi vberiùs explicando. Curabunt, vt præter Communionem Paſchalem ab Eccleſia iniunctã, quatèr ſaltèm in anno, videlicèt in Natali Domini, in Pẽtecoſte, in Aſſumptione B. Virginis, & in feſto Sanctorum Omnium, ad ſacra hæc myſteria accedere non prætermittant.

2. Timoth. 4. verſ. 2.
Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 8. de Euch.
Ioann. 13. v. 1. & 6. v. 59.
1. ad Corinth. 11. v. 26.
Act. 2. 42. & 46. c. 6. ſeſſ. 22. de Sacrif. Miſſæ.
c. & ſi, c. Seculares, c. omnis homo, diſt. 2. de Conſecr.

4. Vt verò Fidelis populus curæ Noſtræ commiſſus ad ſalutaria hæc monita libentèr amplectenda, & obſeruanda etiam per exempla inuitetur, volumus, vt Clerici in ſortem, & hæreditatem Domini vocati, & ad Altaris miniſterium deſtinati, quan-

Num. 18. v. 20.
Pſalm. 15. v. 5.
c. Clericus 12. quæſt. 1.

Digitized by Google

Concil. Trid. c. 11. ſeſſ. 23. de reform.

tumnis in minoribus Ordinibus conſtituti, primis ſaltèm Dominicis cuiuslibet menſis coràm Populo ad ſacram hanc menſam ſimul accedant; quod niſi huic præcepto Parochi atteſtatione paruiſſe probauerint, nouerint ſe ad Ordines ſuperiores non aſcenſuros: cum verò Diaconos, & Subdiaconos etiam ſingulis diebus Dominicis, & ſolemnibus, in quibus Altari miniſtrauerint, Sacram Communionem percipere maximè deceat, ideò Sacræ Tridentinæ Synodi ſuaſionibus inhærentes, eos, vt id ipſum præſtent, enixè in Domino cohortamur: Sacerdotes autem omnes, etiamſi curam animarum non habeant, præbentes tamen ſe exemplar bonorum operum, ſaltèm ſingulis Dominicis, & Feſtis ſolemnibus, Miſſas celebrent. Et quoniam maximè expedit, vt Iuuenes ab adoleſcentia ſua pani huic cœleſti aſſueſcant, curabunt omninò Ludimagiſtri, & in eo etiam inuigilent Parochi, vt ij omnes, qui ſcholas frequentant, & aliàs ad Sacram Euchariſtiam admiſſi fuerunt, Sacra hac eſca ſemel ſaltèm intrà menſem omnes ſimul deuotè ſe reficiant.

Idem ibid. c. 13.

Ibid. c. 14.

Tit. 2. v. 7.

5. Sed nè quis temerè ad cœleſtem hanc menſam accedat, & manducando indignè, Iudicium ſibi manducet, non diſcernens corpus Domini, Parochi diebus Feſtis frequentem Communionem præcedentibus, & præcipuè omnibus Dominicis Quadrageſimæ populum ea omnia, quæ ad fidem, & doctrinam huius Sacramenti pertinent, accuratè edocebunt, & illud Apoſtoli: *Probet autem ſe ipſum homo,*

1. Corinth. 11. v. 29.

Ibidem.

mo, & ſic de pane illo edat, ſæpè inculcando, ex Catechiſmo Romano oſtendant, qua ratione præparatos communicantium animos eſſe oporteat, & quomodò, præmiſſo conſcientiæ maturo examine, per Sacramentalem Confeſſionem expurgari debeant. Catechiſ. Rom. de Sacr. Euch. n. 56. & ſeqq. Conc. Trid. c. 7. ſeſſ. 13. de Sacr. Euchariſt.

Cum autem corporis etiam munditics, & modeſta, atque Chriſtiano homini conueniens compoſitio ad tanti reuerentiam myſterij neceſſaria ſit; Idcircò meminerint Fideles, vt ad Sacram hanc menſam lineis, aut ſericis mappis mundiſſimis ſtratam, à media nocte ieiuni, humili corporis habitu, & genuflexi accedant, & quidem Viri ſine armis, & quantùm fieri commodè licuerit, ſeparatim etiam à fœminis, quarum capita, vt panno veloue contegantur, ex Apoſtolo monemus: Coniuges quoque verecunda verborum circuitione monendi ſunt de mũditie hac quibuſuis ad ſacra accedentibus commendata, exemplo Dauidis propoſito, qui ad panem propoſitionis comedendum admiſſus non fuit, niſi profeſſus ſe iàm triduum ab vxore continuiſſe. 1. Corinth. 11. v. 6. & 7. 1. Reg. 21. 1. & ſeqq. c. tribus 23. diſt. 2. de Conſecr.

6. Si exiguo numero communicandi fuerint, poterit Sacerdos poſt ſumptionem ſanguinis ex præſanctificatis, hoc eſt, particulis in ipſa Miſſa conſecratis, & in patena poſitis, eis Communionem impertiri; Si verò maiori numero fuerint, vt ſine periculo particulæ in patena detineri non queant, poſt Miſſam ex Pyxide eos communicet, ſeruatis religioſè ijs, quæ ſacris Ritibus præſcribuntur.

7. Sedulò præterea Parochi caueant, ne quoſ-

Digitized by Google

nis indiſcriminatim ad Sacram Communionis menſam admittant, omninò excludentes publicè excommunicatos, concubinarios, meretrices, blaſphemos, maleficos, vſurarios publicos, itemque publicè criminoſos; eos præterea, qui in odio proximi cum ſcandalo perſeuerant: nec non coniuges cohabitare ſine causa legitima nolentes, niſi priùs hi omnes certum pœnitentiæ cum vitæ emendatione ſignum dederint: Deniquè amentes, qui lucida interualla non habent, quorum omnium nomina, vel ad Nos, vel ad Vicarium noſtrum Generalem ſingulis annis tranſmittere non prætermittant.

8. Verùm quià multi, refrigeſcente deuotione, acrioribus videntur ſtimulis incitandi: Ideò Parochi diebus Dominicis quarta Quadrageſimæ, & Paſſionis Præceptum Eccleſiæ de Communione Paſchali quotannis in propria Parochia ab omnibus, ſub grauibus cenſuris ſumenda, etiam vernacula lingua, populo promulgabunt. Deindè tempore Paſchali, quod clauditur Dominicis Palmarum, & in Albis, ipſi per ſe oues ſuas, niſi earum multitudo aliud exegerit, cœleſti hoc Cibo reficient: nec quemquam extra Parochiam Communicari, niſi de Noſtra, vel Vicarij noſtri Genaralis, aut certè propria ipſorum licentia permittent; quod ſi quis à Parochia tempore Paſchali abfuerit, intrà octo dies poſt reditum in eadem Communicari, ſub pœnis contrà non communicantes ſancitis, teneantur, niſi præcepti in alia Eccleſia adimpleti atteſtationem attulerit; cui, an

c. vtriuſq; Sexus de Pœnit.

Eugen. IV. Cõſtitut. in ordine Bullar. 20. incip. Fide digna.

fides

fides ſit adhibenda, nec ne, Parochus, penſatis perſonarum qualitatibus, pro prudentia ſua, atque conſcientia iudicabit.

Et quoniam aliqui, data opera, vt proprij Parochi iudicium effugiant, à ſua Parochia hoc tempore abſunt; Idcircò nulla habita ratione atteſtationis Communionis alibi forſan factæ, poſt reditum ad præcepti adimplementum teneantur, niſi fortè per octo continuos dies ante Feriam quintam in Cœna Domini abfuerint.

Alienæ Parochiæ Fideles prçter Aduenas, & Peregrinos ad proprium Parochum rem ittantur.

Sæculares inſeruientes in Monaſterijs, vel Conuentibus Regularium, ſecluſis priuilegijs particularibus, Nobis, ſeu Vicario noſtro Generali exhibendis, huic præcepto in Eccleſia Parochiali ſatisfacere teneantur.

Sacr. Congreg. Concil. in vna Firmana 17. Iulij 1655.

Omnes Canonici, Presbyteri, & Clerici in quibuſcunque Eccleſijs exiſtentes, Feria quinta in Cœna Domini in Miſſa ſolemni Communicent, exceptis ijs, qui Sacrum eo die facere tenentur.

Ægrotis etiam in Paſchate Communio afferatur, & miniſtretur. Idque ipſum præſtetur detentis in carceribus à Parocho, in cuius Parochiæ finibus carceres ſiti reperiuntur, prout in ſpecialibus ordinationibus Congregationis pro viſitatione Carcerum inſtitutæ, iam anteà decreuimus.

9. Vt autem hoc Eccleſiæ præceptum ab omnibus inuiolabiliter obſeruetur, Parochi Quadrageſimæ

mæ initio ſtatum Animarum ſibi cõmiſſarum oſtiatim inquirendo,omnium vtriuſque ſexus nomina in peculiari libro, iuxtà Ritualis Romani præſcriptum, deſcribant, illiſque deindè tempore Paſchali communicatis ſchedulam impreſſam ſtatim tribuant, quam, ſi cuipiam non communicato temerario auſu tradiderint, pœnam excommunicationis latæ ſententiæ incurrent.

Ritual.Rom. in fine.

Inſuper, vt fraudibus per ſchedularum mutuationes interdùm committi ſolitis obuiam eatur, communicantium nomina inter communicandum, vbique vel per ſeipſos, vel per notæ fidei, atq; induſtriæ Sacerdotem, aut certè, vbi talis commodè haberi nequit, per Clericum ijſdem moribus prę̨ditum omnino Parochi deſcribi curabunt. Id quod in aliquibus Parochijs iam ſeruari non ſine magno animi gaudio in Viſitatione noſtra comperimus.

10. Peracto deinde tempore Paſchali Curati omnes, prę̨fatis ſchedulis per ſe ipſos oſtiatim recollectis, attentè memoria repetentes conſiderabunt, an cuncti, qui ſchedulas reddiderunt, verè fuerint communicati. Vbi verò duo, vel plures in eadem Eccleſia curam duarum, vel plurium Parochiarum quoad omnes alias functiones diſtinctarum exercẽt, alter ab altero ſciſcitando diligenter inueſtigabunt, an omnes paritèr ab eorum alterutro Sanctiſſimum hoc Sacramentum ſuſceperint. Quos autem non communicatos, ſiue ex non redditis ſchedulis, ſiue aliter deprehenderint, eos pluries priuatim; deinde pu-

Digitized by Google

publicè, ſuppreſſo tamen nomine, ſecunda poſt Paſcha die Dominica, duabuſque inſequentibus, demùm per citationem ad Eccleſiæ valuas, tacito item nomine, cum interminarione cenſurarum admonebunt, vt Eccleſiaſticum hoc præceptum exequantur, & eorum, qui contumaces perſtiterint, notam ad Vicarium noſtrum Generalem antè Feſtum Aſcenſionis omnino tranſmittant; quod ſi intrà præfatum tempus, aut tranſmittere diſtulerint, aut integram non confecerint, pœnam ſuſpenſionis Nobis reſeruatam incurrent. Ac poſteà ex eius mandato in tertia die Pentecoſtes eoſdem adhuc contumaces anathemate ferient, publicèque Populo nominatim denuntiabunt, etiam per affixionem nominum ad valuas Eccleſiæ; de quibus omnibus eundem Vicarium noſtrum Generalem, tranſmiſſa eorundem excommunicatorum notula, ſub grauibus pœnis arbitrio Noſtro infligendis certiorem reddere quotannis teneantur.

11. Pueros autem, quos in conficiendo, vt ſupra, Animarũ ſtatu duodecimũ ætatis annum egreſſos, nec dùm ad hoc Sacramentum admiſſos cognouerint (vix enim antè tantorum myſteriorum ſufficientem cognitionem, & guſtum habere videntur) ſuper rudimentis Fidei priùs examinatos, certis præſtitutis diebus, per ſingulas Quadrageſimæ Hebdomadas, paterno affectu inſtruant in ijs, quæ ad Fidem, & dignam huius altiſſimi Sacramẽti ſuſceptionem pertinent: ſimulque orationes, piaſque preces

antè,

antè, & poſt Communionem recitandas edoceant, & vbi eos idoneos compererint, in Paſchate ad Sacram Communionem omnes ſimul ſeparatim ab alijs admittant, & peracta Communione, ac gratiarum actione, deuota ad eoſdem exhortatione, vel per ſe, vel per Concionatorem, aliumue pium Sacerdotem habita dimittant; Ijs autem, quos minùs idoneos inuenerint, in prouectiorem ætatem, nunquam tamen vltra decimũ quartũ ætatis annum, Communionem differant. Quod ſi qui etiam in hac ætate propter ingenij tarditatem incapaces adhuc videbuntur, de hoc Vicarium noſtrum Generalem opportunè admonebunt.

12. Cum præcipua Parochis, & accuratiſſima cura infirmorum eſſe debeat, caueant diligentiſſimè, ne quis vrgente maximè mortis periculo abſque Sacroſanctæ Euchariſtię Viatico, & Communionis Symbolo ex hac vita diſcedat; quod ſi eorum negligentia euenerit ſeueriſſimè punientur.

Vltro itàque atq; toties quoties vocabuntur, imo etiam non vocati, ſępe ſępius Parochi viſitabunt Infirmos, eoſque conſolando hortabuntur, & monebunt efficaciter, vt peccata ſua tempeſtiuè confiteãtur, & Sacram Euchariſtiam recipiant, neque eò vſque ſumere differant, cum violentia morbi ingraueſcentis vires mentis aggrauante, non ea, qua par eſt, deuotione percipient; aut certè cum phreneſis, faucium ęgritudo, periculum vomitus, & alia huiuſmodi, illam miniſtrari vetabunt. At verò cum Sacroſan-

croſancta hęc myſteria ad Infirmos deferenda ſunt, (ad quod Parochos nulla excuſatione interpoſita paratiſſimos eſſe oportet, quacunque hora vocabuntur) Vocatis, per Campanæ pulſationem, Fidelibus, qui Sanctiſſimum Sacramentum comitari cupiunt, ſolentque (quos quidem frequentiſſimos adeſſe hortamur) atque in primis Societatis Sanctiſſimi Sacramenti Sodalibus, ſaccos conſuetos indutis, ipſemet Parochus, aut ſi legitimè impeditus fuerit, alius Sacerdos ad Confeſſiones approbatus, ſi adſit, duas, aut tres particulas, vel ſi longiùs progrediendum erit, aut certè incommoda tempeſtate, ne Populus in reditu grauetur, vnam duntaxat in parua pyxide collocabit; eamque intra Burſam ſericam albi coloris cum ſuis funiculis holoſericis collo appendet; ſuperpelliceo, ſtola, veloque humerali, imò etiam Pluuiali in Oppidis, indutus, accenſis inſuper quatuor ſaltem intortitijs, ſeu facibus, & duabus laternis, ſeu vna ad minùs per præfatos Sodales præferendis, atque Clerico Tintinnabulum pulſante, & aquam benedictam cum aſpergillo, ac Burſam, intra quam ſit corporale, ſecum aſportante, ſub Baldacchino, aut certè Vmbella, in cuius cacumine Crux emineat, extra Eccleſiam procedat nudo capite, pyxidem ante pectus ambabus manibus cum timore, & reuerentia gerens; & inceſſu graui, lentoque Sanctitatem indicante preces, pſalmoſque conſuetos deuotè recitans, ad domum ægroti emundatam, & pro conditione loci, ac temporis ornatam proficiſ-

catur; atque in præparata illic decenti menſa depoſita Pyxide ſuper corporali ſubſtrato, obſeruatiſque omnibus, quæ in Rituali Romano, ſecum pariter aſportando, præſcribuntur, Sacrum hoc epulum Infirmo religioſiſſimè adminiſtrabit, nullos interea miſcens ſermones, qui ad ſalutem ſpiritualem ægroti non vergant. Eidem etiam ablutione porrecta, præſertim ſi Sacram Hoſtiam deglutiendi difficultas ſit, & breui, ardentique exhortatione facta eodem, quo venerat, ritu ad Eccleſiam regrediatur, ibique Sanctiſſimo in Altari expoſito, populo comitanti indulgentijs pro exhibito obſequio annuntiatis, infirmo eius orationibus commendato, & data benedictione, illud in Tabernaculo, conſueto more recondat. Sacerdoti ægrotanti, etiamſi eodem die celebrauerit, viaticum miniſtrandum eſſe meminerint Parochi.

Conſtit. Martin. V. 12. in Bull. incip. Ineffabile Sacram. §. 2.

Si qui eunti, aut reuertenti obuij fuerint, etiam equitantes proni in terram Sacram Hoſtiam adorent, imò tum ad domum eius, cui deferendum eſt, tum ad Eccleſiam, ad quam eſt redeundum, comitari non grauentur.

13. Recurrente autem Feria quinta Maioris Hebdomadæ, qua Eccleſia huius Sacramenti inſtitutionem, & memoriam colere ſolet, præſcripti ab Eccleſia ritus exactè obſeruentur: atque is in primis, qui circa Particulas pro Infirmis reſeruandas in Miſſali præſcribitur, ſed & ſepulchrum, in quo Sacratiſſima Hoſtia reponi conſueuit, quàm decentiſſimis fieri poterit ornamentis, cereis, atq; lampadibus excoli ſtrictè iubemus. Et

Digitized by Google

Et ad maiorem huius Sacramenti cultum, à Confratribus Sanctiſſimi Sacramenti, aliarumque Sodalitatum, ſi adſint, ſuos ſaccos, vt ſuprà, indutis, & cruce præcedente, diſtinctis horis à Vicario Generali, & Foraneis reſpectiuè præſcribendis, fiant ſupplicationes ad Sacrum Sepulchrum.

14. Sed quia eo tempore Eccleſia in Dominicę Paſſionis commemoratione tota occupatur; curabunt Parochi, vt ex Præcepto Vrbani IV. Feria quinta poſt octauam Pentecoſtes, ſolemnitas Corporis Chriſti, & ſupplicatio eo die fieri ſolita, deuotiſſimè, & quàm maxima pompa à Fidelibus celebretur, atque etiam vt Sacratiſſima Hoſtia per totam Octauam certis horis iuxta Miſſalis Rubricas exponatur, & diuina Officia, aut ſaltem veſperæ quotidie decantentur, quibus, vt populus frequens interſit, indulgentias à Summis Pontificibus conceſſas inter Miſſarum ſolemnia Dominica Sanctiſſimæ Trinitatis publicabunt.

Bulla Vrbani IV. 1. incip. Tranſiturus.

Vrban. IV. d. Conſtit. 1. in ord. Bullar. incip. Tráſiturus §. 4. Martin. V. Conſtit. 12. incip. Ineffabile §. 2. Eugen. IV. Conſt. 6. incip. Excellentiſſimum §. 2.

15. Cæterùm Sacroſanctæ Euchariſtiæ quamcunque publicam expoſitionem, niſi publica ex cauſa à Nobis, vel Vicario noſtro approbata, fieri prohibemus, etiam in Eccleſijs Regularium vtriuſque ſexus.

Sac. Cõgregat. Epiſcop. & Regular. die 10. Decẽbris 1602. & in vna Dertoneñ 13. Martij 1647.

Expoſitio verò præfata non fiat niſi hora cum dimidia ante Solis ortum, deſinat autem hyeme hora ſecunda noctis, & æſtate hora prima eiuſdem: At in Eccleſia Monialium ab ortu Solis vſque ad occaſum duntaxat expoſita Euchariſtia remaneat.

Digitized by Google

16. Quotieſcunque licentiam prædictam exponendi Sanctiſſimum Sacramentum dari contigerit, ſaltem cereos octo, & lampades quatuor accendi, & Altare, Cappellam, atque etiam Eccleſiam pro facultatibus locorum exornari iubemus, ſimulque præcipimus, diſtributis horis, à Clericis, & Sacerdotibus cum ſuperpelliceo, & ſtola, & à Confraternitatis Sanctiſſimi Sacramenti, alijſque, ſi adſint, Sodalibus ſaccos item ſuos indutis preces continenter fundantur; ideoque Parochi populum ſæpè excitent ad laudabile, & pium inſtitutum amplectendum præfatæ Corporis Chriſti Sodalitatis, quam in ſingulis Noſtrę Diœceſis Parochijs erectam inuenimus, & ad eiuſdem deuota exercitia frequenter vſurpanda cohortentur, quæ non ſolùm conſeruare, ſed etiam in dies magis, magiſque augere enixè ſtudeant; quod vt faciliùs conſequantur, Indulgentias à San. mem. Paulo V. Ven. Archiconfraternitati Sanctiſſimi Corporis Chriſti in Eccleſia S. Mariæ ſupra Mineruam de Vrbe conceſſas quotannis in die Dominica infra Octauam Feſtiuitatis Corporis Chriſti inter Miſſarũ ſolemnia publicent, quibus omnibus aliæ Confraternitates eiuſdem nominis vbiuis inſtitutæ in ipſarum erectione, ſine alia noua aggregatione plenè gaudent.

Paulus V. in ſuo Breui incip. Cũ certas. dat. die 3. Nouembris 1606. apud Lauorium de Indulgentijs p. 2. c. 14. n. 98. Sac. Congreg. Indulgẽtiarum die 15 Februar. 1608. apud eundem Lauor. vbi ſup. n. 97.

17. Si quandoque priuata ex cauſa Sacroſancta Euchariſtia exponenda videbitur, à Tabernaculo nunquam extrahatur, ſed in pyxide velata in aperto eiuſdem Tabernaculi oſtiolo cum aſſiſtentia alicuius

Sa-

Sacerdotis ſtola, & ſuperpelliceo induti, & cum ſex ſaltem luminibus cereis collocetur, quod idem in Eccleſijs Regularium ſeruari mandamus. Sac.Cong. Epiſcop. & Regul. ſuper relata die 10. Decembris 1602.

Cum denique Sacra Hoſtia in Tabernaculo reponenda erit, conuocato, per Campanæ ſignum, Populo, ſolitus hymnus adſtantibus Clericis, & Sacerdotibus decantetur, & incenſatione præcedente, Benedictio conſueto more populo impertiatur. Ac quidem, ſi ampliùs expònenda non erit, ſequenti die in Miſſa Hoſtia, quæ expoſita fuerat, ab ipſo Sacerdote conſumenda erit.



De

De Sacrificio Miſſæ.

CAPVT X.

Catechiſ. Rom. p.2.c.4.de Sacr. Euchar.n.7.

Conc.Trid. c.3. ſeſſ.22.de Sacrific. Miſſæ, & c. 1. eiuſdem ſeſſ.

Luc.22. v.19.

Conc.Trid. c.1. d. ſeſſ.

1 CHriſtus Dominus, ac Saluator noſter Sacratiſſimam Euchariſtiam inſtituit, tum in vtilitatem, & alimentum ſingulorum illam, vt Sacramentum ſuſcipientium, tum, vt Eccleſia perpetuum, & viſibile Sacrificium vniuerſis Fidelibus profuturum haberet, quo non tantùm cultus, & laudes ei tanquam Supremo Domino debitæ exhiberentur, gratiæ pro acceptis iam beneficijs agerentur, memoria Sacratiſſimæ ſuæ Paſſionis recoleretur: ſed etiam noua vſque beneficia impetrarentur, &, placata ipſius ira, Fidelium viuorum peccata cum pœnis dimitterentur, & defuncti denique in Domino nondum ad plenum expurgati ritè expiarentur; quę licèt ſint fructus illius cruenti ſacrificij in ara Crucis peracti, ad nos tamen per idem quotidie à Sacerdotibus, quorum miniſterium ſimul cum hoc ſacrificio diuinitùs inſtitutum fuit, incruenter in Altari celebrari ſolitum vberrimè promanant. Atque adeo tremenda hæc myſteria ita obſeruanda ſunt, vt inde omni irreuerentia, negligentia, & auaritiæ vel ipſa ſuſpicione procùl ablegata, quàm maxima puritate, & deuotionis ſtudio,

tam

tam à Miniſtris, quam à Fidelibus concelebrentur.

2. Præcipimus itaque in primis, ne vll ibi ad Miſſam dicendam admittantur publicè, & notoriè criminoſi, aut ſcandaloſi, qui ſi ad Altare accedere præſumpſerint, in pœnam ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ, & Nobis reſeruatæ incident, & ſi hac ſpreta celebrauerint, irregulares declarentur: quo non obſtante ſi Miſſas dicere etiam perrexerint, in eos tanquam de hæreſi ſuſpectos procedetur, neque eis ſuffragabitur vlla excuſatio, etiamſi à Noſtra Curia proceſſus ſuper eorum criminibus factus non fuerit; cum per ſe ipſos abſtinere ab Altari Sacroſancto Domini debeant quouſque, & offenſam populi, & ſcandalum contrarijs actibus aboleuerint.

Concil. Triden. Decret. de obſer. & euitan. in celebr. Miſſ. ſeſſ. 22. de Sacrif. Miſſæ, c. nullus, & c. preter, diſt. 32.

3. Sub eadem ſuſpenſionis pœna Nobis reſeruatæ Miſſarum celebrationem interdicimus Sacerdotibus, qui mala fide alicuius Eccleſiæ, beneficij, vel cuiuſcunque loci pij bona vltra valorem decem iuliorum occupant, vel detinent, quiue, ſi Miniſtri Eccleſię fuerint, rationem adminiſtrationis infra mēſem finito officio interpellati reddere nō ſtuduerint, & Canonicis denique, qui Adminiſtratores bonorum Capituli, quocunque nomine vocentur, opportunis inſtātijs in Curia Noſtra ad reddendam adminiſtrationis rationem vrgere elapſo, vt ſupra, menſe neglexerint.

Concil. Triden. c. 11. ſeſſ. 22. de reform.

4. Arceantur pariter à celebrando in quacunque Eccleſia, etiam Regularium vtriuſque ſexus, omnes Sacerdotes exteri, vagique, niſi literas teſtimo-

Sacr. Congreg. Conc. 29. Nouembris 1670. Epiſc. & Regul. 14. Ian. 1625.

Conc. Trid. Decret. de obſeru. & euitan. in celebr. Miſſ. ſeſſ. 22. de Sacrific. Miſſ. & cap. 16. ſeſſ. 23. de ref.

ſtimoniales ſui Ordinarij non modò oſtenderint, ſed & licentiam Vicarij noſtri Generalis, aut Vicariorum Foraneorum, ſeu Rectorum Eccleſiæ reſpectiuè obtinuerint.

5. Et cùm omnes Sacerdotes cæremonias adamuſſim callere debeant, præcipua diligentia adhibenda eſt, vt Presbyteratu recenter initiati in ijs ſint apprimè inſtructi: Propterea nemo ad primam Miſſam dicendam admittatur abſque licentia Noſtra, aut Vicarij noſtri Generalis, nequaquam concedenda, niſi generali confeſſione præmiſſa, & ſine atteſtatione Magiſtri Cæremoniarum ſuper earumdem peritia; quæ licentia, ſi vltra duos menſes ab impetratione celebrare diſtulerint, nouis Sacerdotibus non ſuffragabitur, qui tunc ad examen ſubeũdum denuò cogantur. Quod ſi quis temerario auſu hoc Noſtrum Decretum violauerit, ipſo facto incurrat ſuſpenſionem à celebratione Miſſæ noſtro arbitrio duraturam, nec vnquam tollendam, niſi examini, vt ſupra, ſe ſubiecerit. Porrò, vt ab huiuſmodi nouis Miſſis omnis nota turpis quæſtus longè amoueatur, cuperemus vehementer nullas in earum celebratione oblationes fieri; certè quidem prohibemus, ne eas Eccleſiam circumeundo petant, ſed in medio Altaris populo obuerſi à ſpontè offerentibus modeſtè recipiant, ſolitumque Pacis inſtrumentum, ſeu Crucem, & non manus ad oſculum exhibeant, nec hac occaſione ludi, choreæ, & immoderata conuiuia intemperantis lętitiæ prophana oblecta-

Sac. Congreg. Concilij apud Zerolam in prax. Epiſc. in verb. Miſſ.

lecta-

lectamenta indecorè agitentur. Curati etiam eleemoſynas, ſeù oblationes, quas in pleriſque Noſtrę Diœceſis Parochijs prima quaque, & tertia die Dominica menſis pro Sodalitatibus Sanctiſſimi Sacramenti, & Roſarij inter Miſſarum ſolemnia colligere conſueuerunt, non circumeuntes Eccleſiam, ſed ad Altare, vt ſuprà, accipiant, prout in Viſitatione noſtra præſcripſimus; Nec illo tempore cuiquam, quocunque licèt munere, vel officio fungenti, inſtrumentum Pacis, ſeu Crucem ad deoſculandum ipſi circumferant, ſed omnibus ad Altare pariter, vt ſupra, ad dictum effectum porrigant.

6. Et quoniam vltra iam præſcripta de nouis Sacerdotibus, eorumque prima Miſſa, multa de Miſſæ celebratione à Sacris Canonibus ſunt ſtatuta, idcirco eorumdem executioni pro Paſtorali zelo intenti omnes Sacerdotes, quos puriſſimos eſſe, & omni labe carere oportet, ſeriò monemus, & obteſtamur in Domino, vt quam ſæpiſſimè, & ſemel ſaltèm in hebdomada peccata ſua, licèt venialia, confiteantur.

Nouerint etiam tam ipſi, quàm Diaconi, & Subdiaconi ſibi, niſi veſtes talares gerentibus, ad huius Sacrificij miniſterium, ſub pœnis arbitrio Noſtro infligendis, accedendum non eſſe, & niſi intra duos menſes à præſentium Conſtitutionum publicatione computandos cæſariem decenter iuxta Sacros Canones depoſuerint, & eandem poſtea, quoties ſuccreuerit, recidendam curauerint, grauibus pœnis arbi-

c. ſi quis de Vita, & honeſt. Cleric.
c. prohibete, & c. clerici, diſt. 33.

arbitrio Noſtro plectentur.

c. 1. de celebrat. Miſſ.

7. Inſuper iuxta Rubricas, Matutino, & Laudibus ſaltem recitatis, ſacras, piaſque preces in genuflexorio, in vnaquaque Sacriſtia iuxta præſcripta in eadem Viſitatione collocando, deuoto animi ſenſu feruenter effundant, &, antequam ad celebrandum ſe accingant, Miſſam, quæ cum Officio plerùmque iuxta rubricas concordare debet, præuideant, & ſignacula ſuis locis in Miſſali diſponant.

Sacris verò veſtibus, & ornamentis nec laceris, nec attritis, nec corroſis, aut commaculatis, ſed honeſtis, & ſeruatis, pro temporum, & Miſſarum ratione, coloribus vtantur, curentque maxima ſollicitudine, vt Amictus, Albæ, Mappæ, Pallæ, Corporalia, Purificatoria cum cruce in medio, & iuſtæ magnitudinis, mundiſſima ſint, atque in primis, vt Calices, & Patenæ ſint integra, nitida, & deaurata; denique cætera omnia ſuper his in præfata Viſitatione præſcripta exactiſſimè obſeruentur, ne quid exteriùs appareat, quod aut populi deuotionem offendat, aut Sacerdotum, & Miniſtrorum incuriam coarguat.

Iniungimus etiam omnibus, & maximè Sacerdotibus ſacras veſtes indutis, vt in Sacrario ſilẽtium ſeruent, maximamque modeſtiam; abſintque clamores, confabulationes, & deambulationes quæcunque, nec alij ſermones habeantur, quam quos Sacri Miniſterij neceſſitas poſtulauerit, quæ ſi obſeruare Sacerdotes neglexerint, vna libra ceræ albæ

mul-

mulctabuntur. Antequàm è Sacrario egrediantur, Hoſtiam mundam abſterſis fragmentis, & nulli proximæ corruptioni obnoxiam ſuper patena collocẽt, & accuratè videant, an cuncta mox dicenda ſint ritè per Clericos parata.

8. Hos autem omnes, & eos maximè, quos in pleriſque Parochialibus Eccleſijs noſtræ Diœceſis peculiaribus reditibus dotatos ad minora ſeruitia Parochis præſtanda ex inſtituto obligatos inuenimus, ſuo fungi officio vbique ijdem Eccleſiæ Rectores compellant, eos adigendo, vt Campanas opportunè pulſent, vrceolos cum peluicula ſaltem teſtacea expolitos in menſula, ſeu feneſtra Altari proxima collocandos: Aquam puram, & vinum, nec acidum, nec mucidum, nec ante biduum deprom-ptum, cercos denique ſuo tempore accendendos, & faces in Cereoſtatis, vt in Viſitatione iniunximus, collocandas præſto, & parata habeant; ſimiliter Sacerdotibus ſacras veſtes induentibus, & exuentibus adſiſtant, & inſeruiant, ac eiſdem Miſſam recitantibus ſuperpelliceo diebus ſaltẽ Dominicis, & Feſtis induti intelligibiliter, & integrè, non muſſitanter, aut dimidiatè reſpondeant; Quod cum rariſſimè præſtent, ſeu ſuamet culpa, ſeu potiùs Sacerdotum, qui interdum, aut ſacra verba ſine vllo pietatis ſenſu, ſed ita curſim, & diminutè pronuntiant, vt aptè reſpondere nemo valeat, aut certè eoſdem Clericos ab initio perperam docent, & prauam reſpondendi conſuetudinem nunquam abolere ſatagunt: Idcirco

c. vt quiſque de Vita, & honeſt. clericorum.

Parochis, & Sacerdotibus omnibus, qui Chriſtianam Doctrinam edocent, ſtrictiſſimè præcipimus, vt Iuuenes de modo inſeruiendi Miſſæ diligentiſſima cura, & ſollicitudine erudiant, eorumque errores, quoties compererint, paterna ſeueritate reprehendant, quouſque eos emendare cogantur.

9. His, alijſque omnibus præparatis, & ſeruatis de cętero Miſſalis Romani rubricis, graui, modeſtoque inceſſu ad Altare procedant, in quo neque biretum ipſum, aut ſubbiretum, neque aliud quidquam huiuſmodi collocent.

Act. Eccleſ. Mediolan. Concil. prou. 1. tit. quæ pertinēt ad celebrationem Miſſæ.

Miſſam ita legant, vt memoriæ parum, aut nihil fidendum ſciant, ſed, oculis continenter in librum defixis, ita verba pronuncient, vt quæ audiri à circumſtantibus debent, altè; quæ verò ſecretò dicenda, ſubmiſsè, ſed attentè perlegant: Atque ita vocis, actioniſque grauitatem moderentur, vt nec breuitatis ſtudio, cum aliqua verborum, & rituum, vel prætermiſſione, vel mutilatione nimium properent, nec importuna prolixitate populum tædio afficiant, ſedulò cauentes ne ipſius Miſſæ celebrationem vltra ſemihoram protrahant, nec anguſtiùs quadrante cum dimidio contrahant.

10. Sed, quia loci ornatus, & mundities ad tanti myſterij reuerentiam plurimùm conducunt, Nullus ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis celebrare audeat in Cappellis, Oratorijs, & Eccleſijs pollutis, interdictis, non benedictis, neque etiam in Altaribus in Viſitatione noſtra ſuſpenſis: Omnes autem

aliæ

aliæ Eccleſiæ, Oratoria, Cappellæ, & Altaria non modò decenter ornata ſint, ſed omnibus ad Miſſæ celebrationem neceſſarijs inſtructæ ſemper, cura, & expenſis eorum, ad quos ſpectat, conſeruentur.

11. Cum autem tàm excelſi operis altitudo expoſcat, vt Fideles eo potiſſimùm tempore ei vacent, quo tam mente, quàm corpore eſſe ſolent, vt plurimum magis experrecti, & purgati, Miſſa nunquam celebretur ante auroram, præterquàm in nocte Natalis Domini, neque poſt meridiem. c. nocte diſt. 1. de Conſecr.

Seriò item monemus Sacerdotes omnes, vt diebus Dominicis, & Feſtis omnino Miſſam celebrent.

12. In Oratorijs verò, quorum Cappellanias ſine Noſtra licentia ſuſcipere nulli Sacerdoti ſub pœna ſuſpenſionis liceat, præfatis diebus Dominicis, & Feſtis de præcepto Miſſæ non dicantur ante Parochialem, quam Parochi celebrare tenentur ijſdem diebus in ſuis quique Eccleſijs, quas ſi aliquo die Feſto ſine Miſſa, vel per ſe, vel per idoneũ Sacerdotem ſubſtitutum celebranda, reliquerint, pęnam ſuſpenſionis latæ ſententię Nobis reſeruatæ incurrent; eoſdem inſuper hortamur, vt ter ſaltem in hebdomada, atque etiam diebus Ieiunij hoc Sacrificium peragant; Miſſa verò Parochialis diebus Dominicis, & Feſtis de præcepto hora vniuerſo populo, iudicio Parochi magis accommodata, celebranda erit, & Parochi meminerint tunc pro populo offerre ſe teneri, de qua obligatione omnes, & ſingulos in Viſitatione ſtrictè monuimus: Quapropter

Concil. Triden. c. 1. ſeſſ. 23. de refor.
Sacr. Congreg. Concilij in Cluſina 5. Iulij 1670.

ſi hiſce

ſi hiſce diebus eleemoſyna pro Miſſa celebranda eis ab aliquo offeratur, ne piorum Fidelium voluntati debita Fides vllo modo violetur, veniam petant ab offerente eam alio die celebrandi.

13. Si autem in Parochiali Eccleſia plures Sacerdotes celebraturi ſunt, horę Sacerdotibus, diebus præſertim Dominicis, & Feſtis, ita diſponantur, vt vna dicatur in ipſa aurora, quam ad Rus profecturi audire poſſint; quæ verò Miſſæ dicendæ ſuperſunt, eædem Sacerdotibus eo ordine diſtribuantur, vt, ſtatutis interuallis celebrando, populi per Campanæ ictus ſingulis vicibus conuocandi tum deuotioni, tum commoditati conſulatur.

In Collegiatis verò Eccleſijs obſeruentur circa diſtributionem horarum pro Miſſarum celebratione laudabiles conſtitutiones, ſeu conſuetudines, quas in peracta Viſitatione noſtra, vel inuenimus, vel inſtituimus.

14. Quoties autem ſolemni Miſſæ, aut Veſperis, aut alijs Sacris functionibus Nos aſſiſtere contigerit, præcipimus Canonicis, Sacerdotibus, & Clericis omnibus illius loci, vt cum ſuperpelliceo, & bireto à principio vſque ad finem ſub grauibus pœnis per Nos infligendis interſint, & eorum, qui in hoc negligentes fuerint, nomina Magiſter Ceremoniarum ad Nos deferre teneatur.

15. Rectores Eccleſiarum, ſeu beneficiorum, qui nullum aliud onus in fundatione adiectum, ſeu aliàs ex conſuetudine inductum habent, in Feſto

ſal-

ſaltem Sancti Titularis Miſſam pro anima Fundatoris, vti in Noſtra viſitatione pręſcripſimus, per ſe ipſos, vel ſi legitimè impediti fuerint, per idoneos Subſtitutos celebrare non prætermittant. Miſſæ Votiuæ non dicantur diebus Dominicis, neque etiam Feſtis duplicibus, etiam ſi fuerint de Sancta Maria in Sabbatho. In Eccleſia verò Monialium Cappellano, qui per Nos approbari debet, permittimus celebrare Miſſam de Sancto, de quo fit officium ab ijſdem, & ſi non habet propriam ſumatur de communi in Miſſali Romano, cuius Rubricas in his, & in omnibus alijs accurratè obſeruari mandamus.

Sac.Cong. Epiſcop. 9. Nouēbrjs 1629.

16. Vt autem Populus de Altiſſimo hoc Sacrificio dignam exiſtimationem concipiat, ac eidem ſingulari pietate, & deuotione frequenter interſit, ſæpe, & pręcipuè inter Miſſarum ſolemnia eius excellentiam, vim, & fructus, atque etiam aliquid ex eis, quæ in eo leguntur, & maximè partem aliquam myſteriorum eiuſdem, Parochi declarent; Parentes item, & Dominos frequenter admoneant, vt liberos, famuloſque Miſſam diebus ſaltem Dominicis, & Feſtis ad ſatisfaciendum Eccleſiæ pręcepto, quo omnes Fideles tenentur, omninò audire procurent. Qui huic Sacrificio pręſentes fuerint, abſque riſu, ſtrepitu, alijſque indecoris actibus, ſed cum modeſtia, & ſilentio, nudato capite, flexiſque genibus adſtare meminerint, & à teneris annis aſſueſcant, ad lectionem dumtaxat Euangelij aſſurrecturi.

Concil.Triden. c.8. ſeſſ.22. de Sacrif. Miſſæ.

c. omnes Fideles, c. Miſſas, diſt. 1. de Conſecr.

Pro-

c. Apoſtolicæ, diſt.1. de Conſ. c. Sacerd. 30. diſt.2. de Conſ. c.1. de Vita, & honeſt. Cleric. c. Inhibendum de cohabit. Clericorum.

Prohibemus verò ſtrictè Parochis, alijſque Sacerdotibus, ne vllos, dum Miſſa celebratur, & maximè mulieres, intra Altaris cancellos admittant, neu, ſi hi deſint, tam propè ad Altare accedere permittant, vt ſacra Myſteria celebrantem interturbent.

Acta Eccleſ. Mediolanen. Concil. prou. 1. tit. quæ pertinent ad celebr. Miſſ.

E contrà neminem foris ſub dio, vel etiam in veſtibulo, niſi id aut magna populi multitudo, aut Eccleſiæ anguſtia coëgerit, conſiſtere patiantur, ſed omnes intrò vocabunt, atque etiam, ſi opus fuerit, compellant, vt Diuina Myſteria non eminus ſpectent, ſed in ipſa Dei domo coràm adorent, & venerentur.

Bulla Decret. S. Congr. Conc. Iuſſu Vrbani VIII. edita de celebr. Miſſ. §.1. Ead. Sac. Congr. in reſponſo ad primum dubiũ ſuper dictis Decretis. d. Bulla §.2.

17. Vt autem onera Miſſarum ex defunctorum relictis, vel aliorum piorum eleemoſynis iam impoſita quanta maxima fieri poteſt integritate adimpleantur, & nulla noua in poſterum, niſi cum certa plenę ſatisfactionis Fide, imponantur; omnes, qui huiuſmodi oneribus ſunt obnoxij, ſciant eadem ſub quouis, etiam tenuitatis eleemoſynę, ſeu reddituum prętextu, nulla, pręterquam Sedis Apoſtolicę, auctoritate poſſe reduci, niſi in ipſa fundatione aliter fuerit cautum.

Ead. Sac. Cong. in reſponſo ad ſecundum.

Deinde Eccleſiarum Rectores, Capitula, & Sacerdotes, qui receperunt, aut in poſterum recipient ſtipendia, quantumcunque incongrua, pro pluribus Miſſis, grauiter ſe peccare nouerint, & ad reſtitutionem teneri, niſi tot Miſſas celebrauerint, quot ad rationẽ attributæ eleemoſynę fuerint preſcriptæ

ab

Digitized by Google

ab eo, qui eleemoſynam tribuit: Nullique Sacerdoti licitum eſſe recepta ab aliquo pro Miſſæ celebratione eleemoſyna, aliam ab altero accipere pro applicatione ſpecialis fructus ipſi celebranti debiti.

Ead. Sac.Cong. 25. Ianuarij 1659.

Sciant pariter non licere Sacerdoti, qui Miſſam cum certa eleemoſyna celebrandã ſuſcepit, eandem alteri retenta ſibi parte dictæ eleemoſynæ committere, aliòquin ipſum grauiter peccare, & teneri ad reſtitutionem, etiam ſi alter ſciens maiorem committenti tributam fuiſſe eleemoſynam, ſibique tantum partẽ eius dari, ea ſit contentus, intelligens alitér à dicto primo Sacerdote celebrationem ſibi non committendam, ac proinde vel ipſa minore eleemoſyna ſe cariturum; imò nec pro expenſis luminum, vini, hoſtiæ, & aliorum &c. quidquam vtcumque minimum detrahi poſſe, niſi Sacriſtia nullos habeat reditus: Et tunc in ſubſidium poterit aliquid retineri, à Nobis, ſeu Vicario noſtro Generali pro regionis, & Eccleſiæ conditione, cæteriſque omnibus penſatis taxandum.

d. Bulla §.4.

Ead. Sac.Cong. in Anconitana 5. Iulij 1664.

Ead. Sac.Cong. in reſponſo ad ſeptimum.

Ead. Bulla §.5.

Manuales eleemoſynas pro Miſſis celebrandis, ita demùm Capitula, Societates, & Eccleſiarum Rectores accipere ſe poſſe intelligant, ſi pro iam acceptis ſatisfecerint, aut ſi ſatisfacere poſſunt infra modicum tempus, vnius nempè menſis.

Ead. Bulla §.8.

Ead. Sac.Cong. in reſponſo ad ſecundum.

Ead. Sac.Cong. in vna Regularium 17. Iulij 1655.

Anticipatas autem Miſſarum celebrationes pro incerta eleemoſyna offerenda ab vniuerſali Eccleſia improbatas eſſe.

18. Præterea pecunias, vel bona mobilia Ec-

cleſijs, vel Societatibus acquirenda cum onere perpetuo Miſſarum, ſub pœna Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, à die acquiſitionis ſtatim deponi debere meminerint penès idoneam perſonam ad effectum illas, ſeu illorum pretium in ſtabilibus cum oneris expreſſione inueſtiendi.

Verùm quia pro huiuſmodi onerum perpetuorum ſuſceptione certa regula in hac noſtra Diœceſi neceſſariò videtur conſtituenda; idcircò Nos inhærendo Decretis Sacræ Congregationis Concilij de celebratione Miſſarum auctoritate San. mem Vrbani VIII. editis, diſtrictè prohibemus Capitulis, Parochis, Eccleſiarum Rectoribus, Confraternitatibus, alijſque locis pijs, & eorum Adminiſtratoribus Nobis ſubiectis, ne in poſterum ſine Noſtra, aut Vicarij noſtri Generalis licentia in ſcriptis obtinenda, ſub pœna Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrendi, noua onera perpetua Miſſarum celebrandarum ſuſcipiant, &, vt reditus, qui præfatis Eccleſijs, & locis pijs relinquuntur, omnino reſpondeant oneribus adiunctis, volumus, & declaramus, onera perpetua Miſſarum inſpecto more huius Abbatiæ non ſuſcipi, niſi ad rationem obulorum, ſeu baioccorum viginti, vel iuliorum duorum pro qualibet Miſſa.

d. Bulla §.7.

Inſuper mandamus dicta Sacræ Congregationis Decreta, vt melius intelligantur, & obſeruentur, in Congregationibus Caſuum Conſcientiæ quater in anno per Secretarium, vel Præfectum earundem legi,

legi, & ſuper ijs, eorumque ſano intellectu dubia ſtudioſè diſcutienda excitari, & diligenter ab omnibus animaduerti, an aliquo caſu per incuriam, ignorantiam, vel fraudem fuerint in vlla parte violata.

19. Et quia nonnulli Beneficiati, ſeù Cappellani ſatisfactiones Miſſarum, quæ ſingulis diebus, vel hebdomadis, ſeu menſibus cadunt, eas in vnam hebdomadam, ſeu menſem omnes ſimul pro libito reducebant, fraudantes Eccleſiam, ſeu Cappellam ſeruitio, ac cultu prçfinitis temporibus debito, prouidere huic abuſui volentes, omnibus beneficia Eccleſiaſtica poſſidentibus, quibus onus Miſſarum annexum eſt, alijſque Cappellanis ſtrictè iniungimus, ſub pœna trium librarum ceræ albæ, pijs locis arbitrio Noſtro applicandæ, pro qualibet vice, ne in futurum onera prædicta vlla ratione transferant, ſed quoties in die, ſeu hebdomada, vel menſe cadunt, toties adimpleant.

20. Demum, vt omnis negligentia, ſiue potiùs fraus, qua piæ diſpoſitiones depereunt, & diuinus cultus diminuitur, penitùs eliminetur, aut certè detecta ſeuerè puniatur, omnibus Parochis, Eccleſiarum Rectoribus, & etiam Societatum Adminiſtratoribus enixè prçcipimus, vt ſedulò perquiſitis, &, quatenùs fieri poteſt, inſpectis omnibus ſcripturis, quibus Miſſarum onera ſuis Eccleſijs, Oratorijs, aut priuatis Sacerdotibus incumbentia continentur, ſuam quiſque Tabellam in Sacriſtia pu- Sac. Cong. Cóc. 15. Decembris *1663.*

 blicè

blicè exponendam, diligenter, illis etiam quorum intereſt vocatis, conficiant, in qua dilucidè, & diſtinctè eadem onera notata ſint cum ſuis qualitatibus, nimirùm, ſint ne titulo Beneficij fundata, an ex pia aliqua diſpoſitione tantùm conſtituta, ad tempus, an perpetua, quo die, & quoties in hebdomada, menſe, vel anno adimplenda, nomina quoque, & cognomina Fundatorum, vel Benefactorum, & rogitus Notariorum, & Officia vbi reperiuntur, deſcribantur.

Plures etiam fiant, ſiue ſeparatim, ſiue coniunctim in vnum grandiorem compacti libri diſtincti, itaut ſuus cuique reſpondeat oneri, cui in principio titulus oneris iuxta tenorem Tabellę conceptus pręfigatur; In hoc ergo libro Sacerdos, qui in illius oneris adimplementum celebrauerit, ſtatim peracto ſacro nomen ſuum, &, cum Altaris expreſſione, teſtimonium celebrationis, tali die, menſe, & anno factæ, manu propria inſcribat.


Et qui Miſſam non dictam falsò notauerit, in ſuſpenſionis pœnam ipſo facto incurret.

Qui verò ſe Miſſas debitas celebraſſe ex hoc libro non probauerit (alibi enim dictarum, & etiam ſcriptarum ratio habenda non eſt) ad earundem, tanquam omiſſarum, celebrationem compelletur, & inſuper quatuor libris ceræ albæ, vt ſuprà applicandę, pro primis vicibus mulctabitur, & ad extremum ſuſpendetur.

Idcirco tam Vicarij Foranei, quàm Parochi librum

brum præfatum ſub diligenti cura in Sacriſtia retentum ſæpiſſimè inſpiciant, deficientes notent, & in fine cuiuslibet menſis, vt dictis pœnis afficiantur, Nobis deferant, vel Noſtro Vicario Generali, qui in Terra Sublaci pari diligentia id ipſum ſolerter explebit.

Porrò Tabella, ſicut, & liber poſt duos menſes à publicatione hujus Synodi computandos ſub pœna vnius aurei perficiantur, & deinde Tabellæ quidem authenticum exemplar quamprimùm ad Noſtrum Vicarium Generalem in Cancellaria Eccleſiaſtica reponendum trāſmittatur; Liber verò ipſe, poſtquam fuerit totus ſcriptus, & expletus, in Archiuio Eccleſiæ, cui onus incumbit, fideliter aſſeruetur.



De

De Sacramento Poenitentiæ.

CAPVT XI.

1 CÆleſtis Medicus noſter Ieſus Chriſtus per ſalubria Baptiſmatis lauacra nos peccati originalis tabe liberauit, & per ſalubrem Chriſmatis Vnctionem cõtra malorum nobis ab hoſtibus immiſſorum incurſus communiuit: atque etiam per viuificam Sanctiſſimę Euchariſtiæ alimoniam in vitam æternam quotidie nos enutrit, & paſcit. Imbecillitatis tamen noſtræ, & figmenti ab adoleſcentia in malum proni conſcius agnouit nos per ſummam ingratitudinem in criminum morbos frequenter relapſuros. Et, ne humana infirmitas opportuno deſtitueretur remedio, ſed poſſet, etiam poſtquam decideret, priſtinæ reſtitui ſanitati, Pœnitentiæ Sacramentum ex immenſa Diuinæ bonitatis ſuæ miſericordia inſtituit, cuius vi à ſceleribus abſoluti, amiſſam gratiam recuperare, Deo reconciliari, pacem, & ſerenitatem conſcientiæ, cœleſteſque conſolationes adipiſci poſſemus, quibus allecti, ac corroborati, & peccata horrere, deteſtarique, & bona opera ſectari alacriori animo pergeremus.

Pſal.102.v.14.
Geneſ.8.v.21.
Concil.Triden. ſeſſ.14.c.1. de Sacram. Pœnit.

Ioann.20.v.22.
Matth.16.v.19.

Concil.Triden. vbi ſupra c.3.

Et quoniam huius Sacramenti, lapſis poſt Baptiſ-

mum

mum omnino neceſſarij, adminiſtrationem Sacerdotibus tanquam Iudicibus, & ſpiritualibus Medicis committi Dominus voluit, poſtulat officij Noſtri Paſtoralis ſolicitudo, vt & ſaluberrimam hanc medicinam in ſalutem Pœnitentium fideliter ab ijſdem diſpenſari, & iuſtam ſuper eorum peccatis ſententiam pronunciari ſedulò procuremus. Conc.Trid.c.2. ſeſſ. 14. de Sacr. Pœnitentiæ.

2. Quamobrem præcipimus, vt nullus Sacerdos ſiue ſęcularis, ſiue regularis in hac Noſtra Diœceſ. ſub pœna excommunicationis, confeſſiones Sęcularium, etiam Sacerdotum, extra mortis articulum excipere præſumat, niſi aut Parochus ſit, aut à Nobis, vel à Vicario noſtro Generali, præuio examine, ſi videbitur, approbatus licentiam obtinuerit, quam nec vltra ſex menſes duraturam, ſed ſingulis ſemeſtribus renouandam, nec extra fines loci, ad quem approbati fuerint, valituram omnes intelligant. Conc.Trid. c.7. ſeſſ. 14. de Sacr. Pœnit. Conc.Trid.ſeſſ. 23. de reform. c.15. Bulla Clem.X. incip. Superna. §. Ad hæc.

Cum autem ad Confeſſiones audiendas ijs Sacerdotibus licentiam concedi deceat, qui pœnitentes ad viam ſalutis reducere vtiliùs valeant, ideo non niſi viri maturæ ætatis, illibata, & exemplari vita, doctrina ſufficienti, & maximè omnium prudentia præſtantes approbandi erunt. c. quem pœnitet diſt.1. de Pœnitentia.

3. Et licet Confeſſarij, etiam, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus Sancti in ordinatione collatam, functionem remittendi peccata exercere validè poſſint, nihilominùs vt id muneris ſanctiùs, & abſque ſuomet periculo obeant, oportet Conc.Trid.c.6. ſeſſ.14. de Sacr. Pœnitentiæ. c 1. diſt.6. de Pœnitentia.

eos

Digitized by Google

eos omni labe carere, ac proinde, ſi in peccatis fuerint, antequam ad functionem hanc accedant, eadem cõfiteantur, aut certè, ſi copia Confeſſarij non fuerit, & miniſtrandi Sacramenti vrgeat neceſſitas, actum contritionis eliciant, gnari ſe mortaliter peccare, ſi crimine aliquo contaminati, aut Cenſuris, & Canonicis impedimentis irretiti hoc Sacramẽtum adminiſtrauerint.

4. Fideles verò hortari, & monere non ceſſent tam Concionatores, quàm Parochi, ne ad grauis ægritudinis, & periculorum imminentium tempora, & momenta procraſtinando, diſcrimen ſubeant, rationem villicationis ſuæ ex inopinatò reddendi, ſed vt vigilantes, & parati ſemper inueniantur, hoc Sacramentum quàm ſæpiſſimè frequentent, qui ſi ſingulis menſibus, quod optamus, & obteſtamur, ſe ſe non expient, quater ſaltem in anno, in Feſtis videlicet Natiuitatis Domini, Pentecoſtes, Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, quibus Fideles Communione reficiendos monuimus, peccatis animum exonerent.

Tandem acceptabili ſaltem Quadrageſimæ tempore, Fideles omnes poſtquam rationis, & doli capaces per ætatem fuerint, præcepto Eccleſiæ ſatisfacturi, quotannis ſub pœna excommunicationis poſt diligentem ſui excuſſionem confiteri non prætermittant.

c. omnes vtriuſque ſexus de Pœnitentia, & remiſsione. Conc. Trid. c. 5. in fine ſeſſ. 14 de Pœnit.

Et ne in Hebdomadam Sanctam huius obligationis adimplementum reijciant, quando Sacerdotes

tum

tum propter multitudinem confitentium, tum propter diuina officia, quibus intereſſe debent, tum etiam propter temporis anguſtias ſuo officio congruenter ſatisfacere ſine graui animarum periculo nequeunt, etiam atque etiam inuitentur ab eiſdem Parochis, vt tempore eiuſdem Quadrageſimæ opportuniori conſcientiam expurgent.

5. Quod quidem vt faciliùs faciant tam inter Miſſarum ſolemnia, quàm inter explicandum Chriſtianam Doctrinam edoceantur, non modo qua ratione, & methodo conſcientiæ examen fieri debeat, quæ nam ſint huius Sacramenti partes, & explicitis verbis quid ſit Contritio, quid Confeſſio, quid Satisfactio, verùm etiam inter confitendum præſertim, rationibus ex probatis authoribus, & maximè ex Catechiſmo Romano depromendis per exhortationes, & obteſtationes admoneantur, vt de commiſſis delictis ex animo doleant, vitam emendandi, & ad criminum vomitum non redeundi, firmum propoſitum eliciant, eadem peccata Confeſſarijs ſigillatim, diſtinctè, & integrè aperiant, iniunctam pœnitentiam promptè, & hilariter acceptent, ac eandem poſtmodùm fideliter exequantur. par.2. cap.5.

6. Ijdem inſuper Parochi infirmitate detentos inuiſentes ad Pœnitentiam cohortentur, quin & ipſi Medici iuxta Bullam B. Pij V. quam obſeruari exactè ſub pœnis in illa contentis, alijſque Noſtro arbitrio infligendis præcipimus, de facienda Confeſſione commonefaciant. Quod niſi poſt triduum fa- Bulla B. Pij V. tertia, incipien. Super gregem.

Digitized by Google

ctæ Confeſſionis fidem habuerint, ad eos amplius non reuertantur: Si tamen Confeſſario longius tempus ex rationabili cauſa concedendum non videatur: Qui præterea ſiue Regularis, ſiue Secularis de audita Infirmi confeſſione Parochum certiorem reddere eodem die, vel ſyngrapham ſua manu ſubſcriptam in domo Infirmi relinquere ſub pœna ſuſpenſionis à facultate audiendi Confeſſiones teneatur. Quam pariter ſuſpenſionis pœnam vltra alias grauiſſimas arbitrio Noſtro infligendas ipſo facto incurrat, qui temerario auſu, quod abſit, in hac re falſum teſtatus fuerit.

Bulla Clem. X. incip. Superna.

7. Poſtquam Confeſſarij approbati fuerint, non inani gloria elati, non curioſitatis ſtudio, aut turpis lucri vlla cupiditate adducti, ſed pij, graues, & humiles ad Confeſſionalem ſedem accedant, gratiam à Domino feruenti oratione efflagitando ad functionem hanc ita peragendam, vt in tremendo eius iudicio tanquam alienorum criminum rei, & participes non condemnentur.

Quapropter nemo, ſecluſis infirmitatis, aut neceſſitatis caſibus, audiendis confeſſionibus, præſertim mulierum, alio quàm diurno tempore, nec alibi quàm in ſede Confeſſionali conſpicuo Eccleſiæ loco ſeſe exponat, in qua affigantur Bulla Cœnæ Domini, & nota Caſuum reſeruatorum à Confeſſarijs ſæpiùs percurrenda, ſintque in eadem ſede feneſtellæ, ſeu crates ſaltem ligneæ, ſeu potiùs laminæ ferreæ ſpiſſis foraminibus terebratæ, ac bene

vnde-

vndequaque hærentes, quæ inter Sacerdotem Confeſſiones excipientem, & Pœnitentem interponantur cum prætento velo, ſeu aſſerculo verſatili, cuius obiectu facies eiuſdem Sacerdotis populo occultetur, ac cum pia imagine ex parte pœnitentis affigenda. Super quibus omnibus obſeruentur demum quæcunque in Noſtra Viſitatione præſcripſimus.

Quod ſi tulerit infirmitatis caſus, vt extra Eccleſiam confeſſiones mulierum excipi oporteat, ſiue diu, ſiue noctu, aperto cubiculi oſtio, vt conſpici quidem, non tamen auſcultari valeant, & interpoſito præ manibus linteolo audiantur.

Omnes hoc Sacramentum vbicunque, & quandocunque adminiſtrantes, eius, cuius vicem gerunt, memores, talari quam maximè fieri poteſt veſte induti, & operto capite ſedentes, Iudicis perſonam grauiter ſuſtineant.

In Eccleſijs verò diebus Feſtis, atque etiam quolibet alio tempore, ſi plures pœnitentes excipiendi ſunt, Confeſſarij ſeculares ſuperpelliceo amicti cum ſtola, & caput bireto ſacerdotali tecti ſacram hanc peragant functionem. Regulares autem eo vtantur habitu, quem Feſtis diebus in Choro ex regulæ ſuæ præſcripto geſtare conſueuerunt.

8. Et ne Confeſſariorum copia vnquam deſit, meminerint aſſiduæ operæ, ac diligentiæ, quam præſtare debent, adeòque non modò Dominicis, & Feſtis, ſed ferialibus etiam diebus, præſertim ante Natiuitatem Domini, aliaſque ſolemniores Fe-

ſtiuitates, & ſignanter Hebdomada maiori in ſuis ſe confeſſionalibus exponant, quoſcunque confiteri volentes benignè excepturi, non tamen eos, qui participes fortaſse eorundem ſecum criminum fuerint, quorum confeſſiones, ne ſine erubeſcentia, quæ partem habet remiſſionis, fiant, ab illis audiri poſſe nullatenùs volumus.

c. quem pœnitet diſt. 1. de Pœnitentia.

9. Et accedentes ſine armis, omnique alio indecoro cultu, ſupplices, & genuflexos antequam Confeſſionem incipiant, paterno affectu Confeſſarius interroget.

Primò, de ætate, exercitio, ſtatu, & conditione, niſi aliunde hæc eidem Confeſſario innoteſcant.

Secundò, quampridem ſit confeſſus, & ſi quidem à multo tempore abfuiſſe ab hoc Sacro Tribunali, & raró confiteri ſolitum deprehenderit, & interea multitudo pœnitentium, & temporis anguſtiæ coarctent, dummodo commodè, & abſque ſcandalo fieri poſſit, in aliud tempus magis opportunum confeſſionem differre humaniſſimis verbis, & efficacibus rationibus, ſed prudenter ſuadeat: quod ſi pœnitens non conſentiat, patienter, & hilari vultu erit audiendus, attamen diligentiſſimè caueatur, ne quidquam per negligentiam omittatur, quod Confeſſionis officiat validitati.

Tertiò, an aliàs ritè, & integrè confeſſus fuerit, quod ſi de præteritarum Confeſſionum valore incertus, & anceps fuerit Confeſſarius, re tota pro temporis breuitate perpenſa, Pœnitentem commoneat,

neat, vt confeſſiones nulliter factas omnino renouet: ſi secùs, interrogare pergat.

Quartò, an iniunctam in præteritis Confeſſionibus pœnitentiam adimpleuerit,ſuadeatque Confeſſarius, vt eidem quamprimùm, ſi adimpleta non fuerit, ſatisfaciat, qui ſi difficultatem alleget, quam ſuperare non poſſit, poterit Confeſſarius, attenta Pœnitentis qualitate, pro ſua prudentia pœnitentiam prefatam in aliud pium opus æquale, quod vires ipſius pœnitentis non excedat, commutare, modò is confeſſionem integrè repetat, vel ſaltem probabilem cauſam exponat, propter quam ei talis pœnitentia fuit impoſita.

Quintò, an conſcientiæ examen, & neceſſarium doloris actum, vt debuit, diligenter præmiſerit, quæ etiam ſi omiſiſſe cognouerit, non propterea vllo pacto eum repellat, ſed interrogationibus, ac monitionibus prudenter, & accuratè faciendis magna cum charitate,& patientia ſic Pœnitentem adiuuet, vt idem Confeſſionem faciliùs proſequi, & ad dolorem valeat excitari.

Sextò, an calleat rudimenta Fidei, quorum ſi ignarum Pœnitentem Confeſſarius repererit, eum breuiter ijs, alijſque ad ſalutem neceſſarijs, inſtruat, ſuauiterque admoneat, vt hæc poſtmodùm diligentius addiſcat: obſeruetque hìc Confeſſarius exactè ea omnia, quæ circa hæc in capite de Doctrina Chriſtiana ſanciuimus.

Septimò, an cenſuris, aut peccato Summo Pontifici,

tifici, ſeu Nobis reſeruato ſit ligatus, quo caſu, cum abſolutionem impertiri nequeat, confeſſionem non audiat, niſi ad ipſius Pœnitentis inſtantiam, cui tamen omnino abſolutionem differat, quouſque facultatem neceſſariam obtinuerit. Atque id ipſum præſtet, ſi non modò ab initio, ſed in progreſſu excipiendæ confeſſionis huiuſmodi peccata, ſeu in ſe, ſeu ob cenſuram adnexam reſeruata audiuerit, niſi fortè in caſibus à Iure permiſſis etiam ab illis abſoluendi facultas eidem tunc conceſſa intelligatur.

10. Cæterùm meminerint omnino Confeſſarij omnes tam Seculares, quàm Regulares, ne quẽquam à caſibus, aut cenſuris, ſeu Summo Pontifici, ſeu Nobis reſeruatis, ſub quouis priuilegiorum prætextu, ſeu aliter abſoluere, excepto mortis articulo, præſumant ſub pœna excommunicationis latę ſententiæ, alijſque contentis in Decretis iuſſu San. mem. Clementis VIII., Pauli V., & Vrbani VIII. editis, & appendici huius Synodi inſeruiendis; imò quantumuis facultatem habeant à caſibus omnibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis abſoluendi, non ideò à Nobis reſeruatis, poterunt abſoluere ex nouiſſima Sanctiſſimi Domini Noſtri Conſtitutione.

incip. **Superna** §.7.

Et ne ignorantiæ excuſationem, quam non admittemus, quiſquam adducat, præter ſuperiùs præſcripta circa notam Caſuum, & Bullam Cœnæ in Confeſſionali ſede affigendas, præcipimus, vt Parochi ſingulis annis Dominica quarta Quadrageſimæ, & quarta Aduentus, Bullæ Cœnæ Domini

ſum-

ſummarium, & notam Caſuum reſeruatorum in præſentium Conſtitutionum appendice ſubtexenda inter Miſſarum ſolemnia populo vulgari idiomate promulgent.

11. Peractis, ſeu pro Confeſſarij prudentia omiſſis hiſce, alijſque interrogationibus, Pœnitens peccata ſua recenſere humiliter, & cum doloris ſenſu incipiat, neque à Confeſſario interpelletur, niſi cum res ipſa exegerit, vbi ſcilicet inquirendum erit ſuper circumſtantijs peccatorum, quæ ſpeciem mutant, vel prauitatem valde augent, alijſque contentis in ſequenti verſu. Conc.Trid.c.5. ſeſſ. 14. de Pœnitent. Catechiſ.Rom. par.2.c.5.§.47.

Quis, quid, vbi, quibus, auxilijs, cur, quomodo, quando.

Cauendum tamen erit circumſpectè Confeſſario, ne imprudentibus, & alienis à perſonarum conditione percunctationibus, pœnitentibus præſertim pueris, & fœminis peccandi rationes, & vias antea ipſis fortaſſe incognitas ſuggerat, atque ita, quæ enixè arcere debet peccata, incautè doceat. Ac præcipuè animaduertat, ne nimis curioſè impudica inueſtigando ipſemet in laqueum incidat tentationis.

12. Ante omnia id obſeruabit, ne, dum hæc exequitur, vlla iræ, aut auerſionis indicia commonſtret, nec vllos geſtus faciat, quibus adſtantes conijcere quidpiam de confitentium peccatis poſſint: obiurgationeſque, quas neceſſarias iudicauerit, ad finem confeſſionis differat, ne intempeſtiuo rigore deterriti pœnitentes, quæ ſuperſunt peccata, aperire vereantur, quinimò humaniter, quæ videbuntur,

ſugge-

ſuggerendo fiduciam addat, vt remota omni ſtulta verecundia, omnes animi ſinus liberè, & confidenter patefaciant.

13. Si Confeſſarius in excipiendis Confeſsionibus deprehendat pœnitentes ab alijs diabolico inſtinctu ad turpia, ſeu inter confitendum, ſeu occaſione Confeſſionis, ſeu in ſede Confeſſionali, ſiue ante, ſiue poſt confeſſionem, quocunque modo ſolicitatos fuiſſe, eos ſeriò admoneat de obligatione huiuſmodi Solicitantes ad Sanctiſsimæ Inquiſitionis, ſeu Noſtrum Tribunal denunciandi, iuxta Bullam Gregorij XV., & eiuſdem Sacræ Inquiſitionis Decreta; aliàs denunciare renuentibus abſolutionem deneget. Et ne vllus ab huiuſmodi denunciatione abſterreatur, commonefaciat pœnitentes Confeſſarius, denunciantium honori, pudori, & ſecuritati omnibus rationibus conſultum iri.

Bulla Gregorij XV. incipien. Vniuerſi.
Decret. Sacr. Inquiſitionis ſub die 25. Iulij 1624.

Pœnitentem pariter, quem blaſphemias hęreticales in Deum, Beatam Virginem, Curiæque cœleſtis Sanctos, audiuiſſe Confeſſarius agnouerit, non abſoluat, niſi prius illos, qui impiè eas profuderũt, Curię Noſtrę detulerit, iuxta ea, quæ in hac ipſa Synodo capite de Blaſphemijs ſanciuimus.

14. Inſuper ſi Confeſſarius Pœnitentes offenderit, qui ad reſtitutiones rerũ, ſeu famę teneantur, eos exactè de ſua obligatione commoneat: cui, ſi ſatisfacere, aut expreſsè nolunt, aut aliàs nolle eam adimplere, liquidò iudicari poſſint, eis abſolutionem deneget: neque eorum pollicitationibus, ſeu

ipſi

ipſi Confeſſario, ſeu alijs pluries factis, & ſemper effectu carentibus facilè credat, ſed eo caſu, niſi ex circumſtantijs certa ſpes faciendę ab eis reſtitutionis effulſerit, abſolutionem tandiu differat, quouſque reſtitutione re ipſa, ſi poſsint, facta, illata damna reparauerint.

Eòq; diligentiorem in hac materia operam, probatos Authores legendo, & iuſtitiam præ oculis habendo Confeſſarius adhibeat, quò maius ei periculum imminet, Pœnitentium ſe peccatis, atq; etiam obligationibus irretiendi, ſi iniuſta conſilia, etiam per ignorantiam craſſam, & affectatam, ſuggerendo, alieni damni cauſa extiterit.

Quando autem, & reſtituere parati ſunt Pœnitentes,& reſtitutionem per ipſummet Confeſſarium fieri volunt, nullatenus ipſe reluctetur, ſed hoc in ſe onus promptè ſuſcipiat, id tamen tunc ſedulò curans, vt à recipientibus ſyngrapham eliciat, poſtmodùm pœnitenti ſuo tempore exhibendam.

At ſi reſtitutiones fuerint incertis faciendæ, quæ propterea pauperibus, Eccleſijs, & in pios vſus erogari debent, nec ſibimet, nec eius Eccleſiæ, ſeu Cõuentui Confeſſarius vllatenùs faciendas iniungat, ſed pœnitentium arbitrio omnino relinquat.

15. Cum ijs, qui nec peccata, nec proximas peccandi occaſiones relinquere volunt, abſolutio tanquam indignis deneganda ſit; Prohibemus ne Confeſſarius hoc beneficium impertiatur Concubinarijs, Meretricibus, Vſurarijs, blaſphemare inter

ludendum ſolitis,& tamen ludere pergentibus,odia, & inimicitias exercẽtibus,nec tamen deponentibus, aut ignoſcere recuſantibus, alijſque huiuſmodi, niſi per tantum temporis ſpatium ab his ſceleribus ſe abſtinuerint, vt Confeſſarius ſpem moraliter certam habeat, eoſdem in poſterum vitam emendandi firmum propoſitum animo concepiſſe.

16. Poſtquam verò Pœnitens peccata, vt ſuprà, enumerauerit,& Confeſſarius conſcientiæ illius ſtatum introſpexerit, quàm maximam curam adhibebit, propoſitis ei peſtiferis peccatorum effectibus, amiſſione videlicet gratiæ, & amicitiæ Diuinæ, iactura hæreditatis æternæ Filiorum Dei, ſeruitute Diaboli, alijſque calamitatibus, quibus Deus peccata iuſtiſſimè caſtigat, præcipuè tamen exaggerando Diuinæ Maieſtatis, & Bonitatis offenſam, qua Spiritum Sanctum cõtriſtare peccatores non horreſcunt, vt grauitatem primùm peccatorum ſuorum, ac turpitudinem apprehendant; deinde ſalutari timore concuſſi, ſed inconcuſſa Fide, Spe certa, & Charitate non ficta erecti, præteritos annos in amaritudine animæ recogitantes, vetera commiſſa deteſtari, & meliorem vitam incohare incipiant, atque admiſſas noxas,non ſolum per humilem miſeriarum huius vitæ perpeſſionem, verùm etiam per ſalutares pœnitentias abolere proponant.

Ephef.4. v.20.

2. Corinth. 6. verſ.6.
Iſaiæ 38. v.15.

Quos animi ſenſus ſi Confeſſarius pœnitentem nec habere, nec in eo excitari animaduertat, cum iterum, atque iterum, opportunè, & importunè arguat,

2. Timoth. c.4. verſ.2.

guat,

Digitized by Google

guat, obſecret, increpet in omni patientia, & doctrina, donec, aut contritionem, aut certè attritionem eliciat. Sed ſi fruſtra laborare ſe idem Confeſſarius agnoſcat, caueat ne impœnitentibus beneficium abſolutionis, in ipſo etiam articulo mortis, impertiatur.

17. Et cum Confeſſarium memorem eſſe oporteat, ſatisfactiones pro peccatis, non tantùm ad nouæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed ad præteritorum etiam criminum vindictam, & caſtigationem eſſe debere, caueat diligentiſſimè, ne conniuendo, & indulgentiùs cum pœnitentibus agendo, pro delictis grauiſſimis opera leuiſſima imponat, & ſe alienorum criminum participem efficiat. Debebit ergo, quantùm ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate peccatorum, & pœnitentium facultate, inſpecta etiam doloris magnitudine, ſalutares, conuenientes, & peccatorum redemptrices ſatisfactiones pœnitentibus iniungere. Et quamuis ob refrigeſcentem Fidelium charitatem, Canonum pœnitentialium rigor paulatim remiſſus, multùmque iam relaxatus in Eccleſia reperiatur, poterit tamen Confeſſarius antiquam illam Sanctiſſimorum Hominum diſciplinam pœnitentibus, delictis grauioribus obſtrictis ob oculos ponere, vt cum lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis manſuetudinem, & ſuperbis præcipit humilitatem, ſcelerum ſuorum magnitudinem pœnarum grauitate commetientes, & benigniùs ſecum agi,

Conc.Trid. c.8. ſeſſ.14. de Sacr. Pœnitentiæ.

quàm commerentur, videntes, libenter, & promptè
1.Ioann.2.v.16. ieiunia ad domandam carnis concupiſcentiam, eleemoſynas ad corrigendam concupiſcentiam oculorum, orationem denique ad ſuperbiam vitæ deprimendam, non modò cum iniunguntur, ſed vltro etiam, & ſpontè amplectantur.

18. Vt autem ab huius Sacramenti Miniſtris, & functione hac tota, omnis auaritię, quæ Fideles maximè offendere ſolet, ſuſpicio longiſſimè propulſetur, Confeſſarius à pœnitentibus in ipſo confeſſionis actu, aut ſede Confeſſionali, nulla munera, dona, aut aliud huiuſmodi acceptet, nedum poſtulet. Et in pœnitentijs imponendis, id omnino obſeruet, vt pecuniarum largitiones pro perſonarum duntaxat facultate pręſcribat, & quoties iniungendas iudicauerit, ſtrictè prohibemus, ne ſibi, ſuiſque, neque etiam Eccleſiæ ſuæ, domuique applicare, aut iubeat, aut ſuadeat. Quamuis autem à pœnitentibus conſultus, in quod opus pium impendi pecunias expediat, poſſit, quod ſibi in Domino videbitur, ſuggerere; onus tamen in ſe non ſuſcipiat præfatas pecunias per ſe ipſum diſpenſandi, ſed earum diſtributionem omnino pœnitentium arbitrio faciendam relinquat.

19. Etiamſi verò occultè delinquentibus publicas ſatisfactiones, aut nunquam, aut certè raro, cum ipſi videlicet Pœnitentes præ contritionis, & doloris vi, id poſtulant, imponi pro Confeſſarij prudentia oporteat; attamen ſi publicè peccantes, quos abſol-

Digitized by Google

àbſoluendi facultatem Confeſſarius habuerit, ad hoc Sacramentum recurrant, iubemus publicas eis pœnitentias, antequam abſoluantur peragendas, iniungi, vt cæteri Fideles timore deterriti, peccata ſibi diligentiùs vitanda, & priſtinos mores, ſiquidem praui fuerint, corrigendos eſſe intelligant.

20. Iniuncta igitur ſalutari pœnitentia, & repetito, etiam ore pœnitentium, ſi videbitur, contritionis actu, conſuetas preces, & formam abſolutionis, vt in Rituali Romano præſcribitur, ſubmiſſa voce, diſtinctè tamen, & grauiter, ad amuſſim pronuncient.

21. Ita toto huius Sacramenti miniſterio ritè peracto, religioſiſſima diligentia caueat Confeſſarius, ne quidquam in eo auditum, vllo prætextu, etiam vrgentiſſimæ neceſſitatis, ſiue directè, ſiue indirectè, verbis, ſignis, ſcripto, geſtibus, aut vlla alia ratione reuelare, ſacrilego auſu præſumat: ſed gnarus pœnarum in Sacris Canonibus contentarũ, & abſque vlla remiſſione, ſi ſecus fecerit, executioni demandandarum, arctiſſimum Confeſſionis ſigillum, & inuiolabile Secretum ſemper, & vbiq; cuſtodiendum meminerit.

c. omnes vtriuſque ſexus de Pœnitentia, & remiſſione.

Quod ſi ipſi Pœnitentes, quandoque, quoniam ita expediat, conſentiant, vt de auditis in confeſſione loqui Confeſſarius poſſit, nihilominùs maximè animaduertat, ne eorum conſenſum vlla vnquam importunitate eliciat, verùm ſpontanea, & liberrima voluntate, & in vrgentiſſimis tantùm

caſi-

caſibus recipiat; neque,eo contentus,in re tanti momenti vlteriùs pergendum putet, niſi eundem conſenſum ipſi Pœnitentes extra confeſſionis actum denuò confirment, & precibus Confeſſarium vrgeant.

22. Tandem, quia non omnia, quæ ad huius Sacramenti rectam adminiſtrationem pertinent,vno capite comprehendi poſſunt, ſed multa ſparſim in Iure, & his Conſtitutionibus eò ſpectantia continẽtur, idcirco Confeſſarij Sacros Canones, & præcipuè Concilium Tridentinum, Rituale, & Catechiſmum Romanum, vniuerſaque hæc Synodi Noſtræ Decreta indefeſſo ſtudio ita perluſtrent, ſicque orationibus, pijſque operibus aſſiduè vacent, vt nec Nobis, quod ſperamus, eos coarguendi, ſed potiùs commendandi anſam præbeant, nec Fideles peccati vllius, quinimò ædificationis, & exercendarum virtutum incitamenta, ab eorum exemplis valeant deriuare.

Caſus reſeruati Eminentiſſimo Abbati cum Excommunicatione.

1. Suffocatio Puerorum pro vtroque Parente, Nutrice, & quocunque alio.
2. Sponſi, & Sponſæ cognoſcentes ſe carnaliter ante Matrimonij celebrationem, imò etiam ſimul cum ſcandalo cohabitantes.
3. Stuprum etiam cum promiſſione matrimonij.

4. Con-

Digitized by Google

4. Concubitus inter cognatos ſpirituales.
5. Abuſus Sacramentorum, & Sacramentalium.
6. Inceſtus in primo, & ſecundo gradu conſanguinitatis, & affinitatis.

Caſus reſeruati Eminentiſsimo Abbati ſine Excommunicatione.

1. Blaſphemia in Deum, vel Beatam Virginem.
2. Percuſſio Patris, & Matris, & verba contumelioſa contra eos.
3. Homicidium voluntarium, tam quoad occidentem, quàm quoad mandantes, & conſilium dantes.
4. Procuratio abortus tum opera, tum conſilio, etiam effectu non ſecuto.
5. Sodomia pro quocunque ſexu, & Beſtialitas.
6. Concubinatus etiam occultus, ſi per menſem ſaltem ante confeſſionem pœnitens non ſe abſtinuerit.
7. Detentio Infantium in lecto ante annum completum ſine repagulo, ſeu alio inſtrumento pro cautela.
8. Periurium in iudicio.

De

De Extremæ Vnctionis Sacramento.

CAPVT XII.

Concil.Triden. in princ.ſeſſ.14 de Sacram. Extrem. Vnct.

Iacobi 5.v.14. Marc.6.v.13.

Concil.Triden. ibid. c.1.

1 HOc Sacramentum, quod Pœnitentiæ complementum, & totius Chriſtianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia eſſe debet, conſummatio eſt, ad ſubleuandos graui morbo affectos, eorumque peccata, ſi qua inexpiata adhuc reſtant, remittenda Sanctificato Oleo, & ſolemni, Fidelique Presbyteri precatione Clementiſſimus Redemptor noſter inſtituit, & per Sanctiſſimum Apoſtolum, eundemque Fratrem ſuum, Chriſtianis commendandum, & promulgandum reliquit.

2. Itaque Parochi eius naturam, & multiplicem vtilitatem accuratè, & frequenter, ſed præcipuè, dum Infirmos ex ſui muneris officio inuiſunt, Fidelibus exponent, quo pleniùs omnibus ad eius ſalutarem perceptionem neceſſarijs inſtructi, cœleſti ope tum plurimùm iuuentur, quando, corpore ſæuiſſimis doloribus æſtuante, animo anteactæ vitæ, inſtantis mortis, Supremique Iudicij horrendis imaginibus exterrito, & Dæmone cunctas perdendi artes, tunc cum maximè adhibente, omni alio auxilio prorſus deſtituuntur: atque ita memores periculorum, in quibus exeuntes è vita verſantur,

hoc

hoc Sacramentum, & tempeſtiuè à Parochis petant, & opportunè recipiant. Quibus ne diuinum hoc remedium vllo vnquam tempore deeſſe poſſit, meminerint ijdem Parochi, Sanctum iſtud Oleum ſingulis annis renouandum eſſe, ea copia, vt toto anni tempore ſufficiat. Quod ſi frequentiori vſu, vel alio caſu illud ita diminui infra annum contigerit, vt, ne omnino deficiat, prudenter timeri poſsit, & aliud benedictum haberi nequeat, Oleum non benedictum, ſed minori quantitate, quo reparetur, ſuperinfundant. c. quod in dubijs, de conſecr. Eccleſ.

3. Cauendum tamen eſt Parochis, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ, alijſque, arbitrio Noſtro, infligendis, ne Sacrum Oleum Infirmorum, ſicut nec alia, Catechumenorum ſcilicet, & Chriſmatis, aliunde ſibi comparent, quàm à Miniſtro Collegiatæ noſtræ Eccleſiæ Oppidi Sublacenſis, ad quam intra duas hebdomadas poſt Feſtum Paſchatis Reſurrectionis nullo pacto laici, ſed ipſi Parochi ea petituri veniant, aut certè Sacerdotem, ſeu ſaltem Clericum in Sacris conſtitutum, mittant cum tribus vaſculis ſtanneis, ſua vnoquoque inſcriptione diſtinctis, & capſulæ ligneæ corio contectæ, & claue obſeratæ incluſis, cum alijs cautelis, quas ſuprà capite de Sacramento Baptiſmi pro Oleis Catechumenorum, & Chriſmatis fusè præſcripſimus. Miniſter verò pręfatus Olea ſacra nulli alteri ſuppeditabit, quàm Parochis, aut ijs Regularibus, quibus Oleum Infirmorum in ſuorum duntaxat vſum ha- c. Presbyteri, & c. omni tempore, de Conſecr. diſt. 4.

Clement. 1. de Priuileg.

bere permittitur: ita tamen, vt ijdem Regulares, nec Clerico, nec Laico, qui ex eorum numero non ſit, illud miniſtrare, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, præſumant. Eiuſdemque Miniſtri cura erit, quotannis nomina Sumentium Olea ſacra, cum die, menſe, & anno, in libro ad id benè compacto deſcribere.

4. Delatis ad Parochialem Eccleſiam oleis, alijſque duobus in loco, vbi ſuprà, capite de Baptiſmo præſcriptum eſt, collocatis, iſtud Infirmorum intra vaſculum argenteum, quale in omnibus noſtræ Diœceſis Parochialibus Eccleſijs nuper inuenimus, cautè transfundatur, atque id in ampliorem capſulam ligneam, circumpoſito vndequaque goſſipio, reponatur, quæ demum in feneſtella ad cornu Euangelij maioris Altaris, vbi commodè fieri poteſt, ſita, intus panno ſerico obducta, ac foris etiam decenter ornata, inſcripto titulo *Oleum Infirmorum*, religiosè conſeruetur ſub claue, quam Parochus apud ſe ſecuro loco cuſtodiat.

5. Pari cura, & ſolicitudine animaduertat Parochus, ne temporis iniuria, viarum aſperitate, aut longinquitate deterritus, nec excuſationem aliam prætexens viſitationem negligat Infirmorum, præſertim periculosè decumbentium: Verùm paratus ſemper, & impiger, quacunque hora, ſiue diu, ſiue noctu, vocatus, atque etiam non vocatus, ſtatim vbi ei innotuerit infirmitas, quam pro paſtorali erga oues ſuas affectu ſcire tenetur, ad eos etiam ruri, &

in

in Mapalibus ægrotantes, ſpiritualem, & quam poterit etiam temporalem opem allaturus confeſtim aduolet;& eodem celerrimè reuertatur,quoties opus fuerit, erit autem ſæpiſſimè, niſi fortè ad vicinius oppidum per conſanguineos, amicos, aut alios pios viros, id quod ab eis quàm citiſſimè fieri obſecramus, atque etiam monemus, Chriſtiana charitate reducantur, vt ita corporali, & ſpirituali eorum ſaluti ſecuriùs, atque expeditiùs proſpiciatur.

6. Ad Ægros vbi acceſſerit Parochus, ſpiritualibus eos conſolationibus ſubleuans, ad Fidem, Spē, Charitatem,cum Diuina voluntate conformitatem, aliaſque Chriſtianas virtutes efficaciſſimè adhortetur. Monebitque in primis, prudenter tamen, de Confeſſione facienda, & de Sacra Communione maturè percipienda, promptumque ſe ad dicta Sacramenta eis adminiſtranda, non modò offerat, ſed etiam præbeat.

Ritual. Roman. cap. de Extrem. Vnct. Sacram.

7. Deinde Ægrotum Confeſſione Sacramentali expiatum, & Sanctiſsima Communione refectum, vt ingraueſcente morbo Sacram Vnctionem vltrò depoſcat, & ſana adhuc mente, & integris ſenſibus ad vberiores inde fructus capiendos tempeſtiuè ſuſcipiat, efficaciſsimè cohortabitur. Atque huic miniſterio ipſe Parochus ſe ſe promptè accingens, ſuperpelliceo cum ſtola indutus, vno ad minus comitante Clerico, vaſculum Sacri Olei ſerica Burſa violacea incluſum, & cordulis item ſericis collo appenſum reuerenter, & cautè ferat.

Digitized by Google

gendum decedentes, non eſſe vlterius liniendos. Quod ſi dubium etiamnum remanet, viuat adhuc, nec ne, vnctionem ſub conditione proſequatur forma in Rituali præſcripta.

12. Et cum diligentiſſima cautione curandum ſit Parocho, ne vlli grauiter ægrotantes, quocunque tempore, aut loco abſque Sacramento hoc è vita excedant, ſi eius culpa, aut negligentia id vnquam, quod abſit, euenerit, ſe vltra pœnas in Sacris Canonibus contentas, à Nobis quoque ſeuerè puniendum intelligat. Et, ne vlla excuſatione incuriam ſuam tueri præſumat, vltra ſuperiùs eidem iniuncta, ſtrictiſſimè prohibemus, ne conſanguinei, affines, amici, ſiue vlli alij, quicunque demum ſint, eundem ad Ægros accedere, aut apertè vetent, aut callidè impediant, aut denique Infirmi ſtatum, & periculum vllo prætextu occultent, & celent: huiuſmodi autem tranſgreſſores Parochus non modò acriter reprehendat, & intrepidè increpet, verùm etiam ad Nos quàm diligentiſſimè deferet, ne tantæ impietatis rei impuniti remaneant.

13. Demum, ne Parochus, hoc Sacramento Infirmis adminiſtrato, officio ſatisfactum ſuo vllatenùs exiſtimet, omnino volumus, vt eoſdem pijs monitis, feruentibus ad Deum, Beatiſſimã Virginẽ Mariam, Angelum tutelarem, Sanctoſque omnes precibus, reiteratis etiam contritionis actibus, alijſque ex libro, quo Clerici Regulares vtuntur, qui Miniſtri Infirmorum appellantur, eruendis, aſſiduè,

duè, & tempeſtiuè adiuuando, ad vitæ exitum vſque proſequatur: neque vllo modo, niſi idoneo Sacerdote, aut pio Clerico, ſi fieri poteſt in ſacris conſtituto, aut certè deuoto, & inſtructo Laico, qui ſuas vices obire nouerit, ab Infirmo diſcedat:
& tandem in agonia laborantis, & mox
expiraturi animam ipſemet Paro-
chus ex Rituali Romano
pijſſimè, & religioſiſsi-
mè commen-
det.

Digitized by Google

De Sacramento Ordinis.

CAPVT XIII.

1 QVò maiori maieſtate, & vene-
ratione Diuina myſteria pera-
gerentur, inſtitutum eſt, vt
plures in Eccleſia miniſtri eſ-
ſent, qui alicui certo miniſte-
rio addicti, in ſanctitate, &
iuſtitia, per ordinatiſsimos huius Sacramenti gra- Conc. Trid. cap.
dus, ſtatis interuallis ambulantes, tum denique ad 14. ſeſſ. 23. de
Sacerdotium aſcenderent, cùm doctrina Fidei, & reform.
Sacramentorum ritibus inſtructi, caſtorumq; mo- Lucæ 1. 14.
rum exemplo conſpicui, *ad dandam ſcientiam ſalu-* Lucæ 24. 19.
tis in remiſſionem peccatorum, opere, & ſermone po-
tentes eſſent.

2. Et quia tam ſancto muneri, ſine quo reli-
qua Sacramenta partim confici nullo modo poſſunt,
partim ſolemni cęremoniarum cultu ſpoliata viden-
tur, nemo, niſi *qui vocatur à Deo tanquam Aaron*, Hebr. 5. v. 4.
aſpirare debet, idcircò, cùm ex priuilegijs Apoſto-
licis, tum antiquis, tum modernis, Inſignis huius Conſtit. Alex.
Abbatiæ pro tempore Abbatibus Commendatarijs IV. data Nea-
Dimiſſoriales literas ad omnes, etiam ſacros, & Preſ- poli 2. Ianuarij
byteratus ordines, Secularibus perſonis præfatę Ab- 1255. relata in
batiæ ſubiectis concedendi, nec non Clericalem Bullario Caſsi-
tonſuram, ac quatuor Ordines minores iiſdem con- nenſi tom. pri-
feren- mo conſt. 38.
Breue Vrbani VIII. datum 15. Nouemb. 1638.

ferendi facultas, & ius competant, Nos pro Paſtorali ſolicitudine prohibemus, ne quis ex hac Noſtra Diœceſi cum falſis, aut etiam abſque vllis Noſtris Commendatitijs literis, Clericalem Tonſuram, vllumue ordinem ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ, alijſque grauiſsimis, arbitrio Noſtro infligendis, ſuſcipere audeat; imò etiam in pœnam amiſſionis priuilegij fori eos incidere declaramus, qui primam tonſuram, minoreſue ordines ſuſcipere, vt ſuprà, præſumpſerint.

Concil. Triden. cap. 8. ſeſſ. 23. de reform. Sac. Cong. Concilij in Auerſana 4. Decẽbris 1666. Conſtit. 33. Vrbani VIII. Sac. Congr. Immunitatis Eccl. in Licieñ 7. Septembris 1624.

3. Qui ergo Eccleſiaſticæ militiæ adſcribi cupiunt, Nobis, vel Vicario noſtro Generali patefacto prius hoc ſuo deſiderio, legitimam atteſtationem Baptiſmi, Confirmationis, vitæ, & morum, frequentationiſque Doctrinæ Chriſtianæ, vnica ſcriptura, ſi in loco originis ſemper manſit, comprehenſam, à proprio Parocho afferet; ſin alibi ad minus per annum moratus fuerit, vel adhuc moretur, tunc teſtificationes de ſupradictis partim à Parocho originis, partim à Parochis locorum, vbi moram, vt ſupra, traxit, vel trahit, literis ſeparatis exhibebit; aliam inſuper à Magiſtro Scholæ de morum probitate, & profectu in literis portabit. Incolæ autem huius Abbatiæ non originarij, nec in ea eccleſiaſticum beneficium obtinentes, decennalem habitationem, aut aliter acquiſitum domicilium per legitima documenta oſtendent.

Conc. Trid. c. 4. ſeſſ. 23. de refor.

4. Quibus omnibus recognitis, & adhibito etiam, ſi videbitur, Examinatorum iudicio, appro-

probatis; ad examen coram Nobis, vel pręfato noſtro Vicario Generali, quater in anno, ante ſolemnes Ordinationes ſtatis temporibus fieri ſolitas, die præſcribendo, habendum, modeſto corporis cultu accedat. Concil. Triden. cap. 7. ibid.

Et tunc Examinatores, conſilium eius ſolerter indagando, exquirent, metune, & vi parentum, aut Secularis Iudicij fugiendi cauſa, vllòue alio terreno affectu impulſus; an ſpontè, ac cultus Diuini zelo motus, cum propoſito perſeuerandi, hoc vitę genus eligere velit. Concil. Triden. cap. 4. ibid.

Cunctos etiam corporis, animi, famæque defectus, ob quos certa hominum genera ex Sacrorum Canonum præſcripto ab Altari arcentur, memoria reuoluentes, aliquòne ex ijs laboret, attentè conſiderabunt. Denique, an rudimenta Fidei, an legere, & ſcribere ſciant, diligenter experientur. His diligentijs adhibitis, Curati ſuorum quiſque Parochianorum, qui in examine approbati fuerint, nomina, & deſideria de Noſtro, vel Vicarij noſtri Generalis mandato, die Feſto, in Parochiali Eccleſia, inter Miſſarum ſolemnia populo promulgabunt; ac vbi nullum ex canonicis impedimentis, quæ pariter proponenda ſunt, & Nos vernaculo idiomate pro vulgi captu in appendice huius Synodi inſeri curauimus, oppoſitum fuiſſe per eorundem Parochorum teſtimoniales literas ad Nos quamprimùm tranſmittendas conſtiterit, Dimiſſoriæ literæ benignè concedentur, quarum vſum ſi quis vltra duos Concil. Triden. d. cap. 4. ibid.

Q post

poſt Datam menſes, quouis caſu, diſtulerit, ijs, niſi per Nos confirmatis, vti amplius non audeat, & hoc in quibuſcunque Dimiſſorijs, etiam ad Sacros Ordines locum habere volumus. Omnes porrò earundem effectum conſecuti, ſuſceptę tonſuræ literas teſtimoniales in Noſtra Cancellaria Eccleſiaſtica, vt ipſi in album Clericorum referri poſſint, præſentare intra menſem teneantur; id quod pariter in quorumlibet ſuſceptorum ordinum teſtimonialibus literis ſeruari mãdamus. Ad Sacram militiam iam admiſſi ſibi deinceps in clericali habitu, & tonſura incedendum eſſe meminerint, ſi quidem priuilegijs clericalibus gaudere, & ad ordines aſcendere volunt.

Acta Mediol. par. 1. Concil. Prou. 4. tit. quæ pertinent ad Sacram. Ord.

Concil. Triden. cap. 6. ſeſſ. 23. de reform.

5. Iam verò adminores ordines promoueri deſiderantes exhibebunt literas teſtimoniales tonſuræ, vel vltimi ordinis ſuſcepti, bonum teſtimonium à Parocho de moribus, geſtatione habitus clericalis, frequentatione Sacræ Communionis, & Doctrinæ Chriſtianæ, iuxta iam ſancita in hac Synodo, teſtificationem tum Magiſtri Scholæ de morum probitate, progreſſuque in ſtudijs, tum Pręſidis collationum Caſuum cõſcientię de frequenti ad eas acceſſu; atteſtationem denique Rectoris Eccleſiæ, cui adſcripti ſunt, de præſtito eidem ſeruitio, niſi fortè ſtudiorum cauſa abſuerint, & tunc, ſi in Terra Sublaci ad hunc effectum commorati fuerint, ſe ibidem in Eccleſia Collegiata Sancti Andreæ inſeruijſſe legitimè teſtatum facient: quas teſtificationes, ſicut & illas pro clericali tonſura, & maioribus Ordinibus intra

duos

duos proximos menſes ſcriptas fuiſſe oportet, antiquioris enim Datæ non recipientur.

Acta Mediol. vbi ſupra.

Omnes autem, ad quos huiuſmodi teſtationes facere ſpectat, maximè Parochi, quibus hæc cura præcipuè incumbit, quàm ſancta, præſertim in re ſanctitatis plena, teſtimoniorum fides eſſe debeat, diligenter meminerint, ſeueriſſimis à Nobis, ſi quid ementiti fuerint, pœnis afficiendi, Deo, cuius præſentiam falſidici teſtes contemnere veriti non ſunt, grauiores expenſuri.

cap. 1. de crimine falſi.

Teſtimonialibus, vt ſuprà, recognitis, Examinatores explorabunt, an promouendi ita linguam latinam intelligant, vt ſpes ſcientiæ oſtendat, eos dignos aliquando futuros, qui ad maiores Ordines aſcendant.

Concil. Triden. cap. 11. ſeſſ. 23. de reform.

Iam ordinati Eccleſijs, quibus adſcripti ſunt, diligenter inſeruiant, & ij præcipuè, qui in hac Abbatia de prouentu aliquo eccleſiaſtico iuxta Sacri Concilij Tridentini diſpoſitionem prouiſi fuerint, quo, ſi negligentes reperientur, ſe ex parte mulctandos, aut in totum priuandos eſſe pro modo culpæ, ſciant.

Concil. Triden. ibid. cap. 16.

Idem Concil. ead. ſeſſ. cap. 17.

Exorciſtatus tamen officium à nemine, etiam Regulari, in propria Eccleſia, abſque Noſtra ſpeciali licentia ſub grauiſſimis pœnis exerceatur.

6. Altiùs porrò aſcendere volentibus, ne in ipſo limine laqueis cenſurarum impliciti grauiter offendant, pro paterna charitate declaramus, eos, qui extra tempora à iure ſtatuta, vel ante legitimam

Digitized by Google

ætatem, nulla diſpenſatione Apoſtolica præuia, aut abſque Ordinarij dimiſſorijs literis ad aliquem ex maioribus Ordinibus ſe promoueri faciunt, eſſe ipſo iure ſuſpenſos, &, ſi durante ſuſpenſione in Ordine ſuſcepto miniſtrauerint, vltra irregularitatem, & alias canonicas pœnas ipſo iure inflictas, beneficijs, quæ poſſident, priuari poſſe. Præterea monemus, titulum, ſine quo nemo ad Sacros Ordines promoueri debet, nec reſignari, nec extingui, neque alienari poſſe, niſi legitimè conſtito, quòd Ordinatus ad illum habeat, vnde honeſtè viuere poſſit; Clericum autem qui doloſè confićto titulo ſe initiari curauerit, eſſe ipſo iure ſuſpenſum.

Conſt.7. Pij II. incip. Romanũ Pontificem.

Concil. Triden. cap.2. ſeſſ.21. de reform.

Sac. Congreg. Concil. 27. Nouembris 1610. apud Fagnan. ad cap. Ad ſecũdum, in fine, de præben.

Itaque, vt fraudes, quæ præcipuè in patrimoniorum titulis conſtituendis committi ſolent, ab hac Noſtra Diœceſi arceamus; huiuſmodi patrimonia conſtituentes iurare in actis Noſtræ Cancellariæ eccleſiaſticæ volumus, conſtitutiones, quas faciunt, eſſe veras, & reales, nullamque inter ipſos, & ordinandum colluſionem intercedere; pœnam inſuper excommunicationis ipſo facto incurrendæ contra peierantes decernimus; quin etiam ijſdem conſtituentibus ſub pœna centum ſcutorum pijs locis arbitrio Noſtro applicandorum prohibemus, ne deinceps bona ad hunc effectum donata, vel quomodocunque aſſignata ſub coloni, procuratoris, aut quouis alio nomine poſſideant; Et quia ex antiqua huius Abbatiæ conſuetudine patrimonia iſta conſtitui ſolent in re fructifera, cuius annui reditus iudi-

cio

cio peritorum per Vicarium noſtrũ Generalem deputatorum ad ſummam ſcutorum triginta ſex aſcẽdere debent, ideò ſancimus, peritos huiuſmodi, ſi in æſtimatione facienda fraudulenter ſe geſſerint, teneri de proprio ſupplere quicquid patrimonio, vt ſuprà, taxato, deeſſe compertum fuerit: patrimonium ita deſignatum poſt Subdiaconatus ſuſceptionem, & non antè, ab oneribus laicalibus exemptũ eſſe declaramus; exemptionemque, vbi beneficium poſtea obtentum in patrimonij locum legitimè ſubrogatum fuerit, ex toto ceſſare, ſi beneficium congruo victui ſufficiat, ſin minus, pro ea tantùm rata durare, quæ valori fructuum beneficij deeſt ad integram patrimonij ſummam complendam.

Sac.Congr. Immunitatis Eccl. in Aquilana 4. Auguſti 1627. Sac.Congr. Immunit. Eccl. in Auximana 28. Septembris 1666.

7. Ad ſingulos maiores Ordines aſſumendi per menſem ante ordinationem, apud Nos, vel noſtrũ Vicarium Generalem, nomen, parochiam, deſiderium, titulumque, ad quem ordinari petunt, profiteantur, vt eadem mox vniuſcuiuſque Curatus de Noſtro, vel præfati Vicarij mandato, in ſua Eccleſia parochiali die Feſto inter Miſſarũ ſolemnia proponat, & deinde ex perſonis fide dignis ſuper ipſorum natalibus, ætate, moribus, & titulo diligentem inquiſitionem habeat.

Conc.Trid.c.5. ſeſſ.23.de refor.

Interea Ordinandi ſeriò recogitantes, quanta virtute eſſe debeant, qui Diuinis his myſterijs initiantur, vt animum in ea, quæ ſunt mundi, ſparſum recolligant, per decem ad minus dies in ſeceſſum apud Sacerdotes in Vrbe ad id deputatos ſeſe conferant,

Argum. Conſt. Alexandri VII. 22. Aug. 1662. incipien. Apoſtolica.

rant, qui ex laudabili inſtituto, tum peregrè per laborioſiſſimas excurſiones cum ingenti leuamento, ſimul, ac ſolatio Prælatorum Eccleſiæ, qui eos vocant, id quod non vno experimento deprehendimus, rudium, & agreſtium populorum ſpiritualibus neceſſitatibus ſubueniunt, tum domi maioribus Ordinibus deſtinatos ſalutarium meditationum, ſacrarumque cæremoniarum exercitationibus ad hoc Sacramentum dignè ſuſcipiendum, & ritè exercendum diligenter inſtruunt.

Tempore deinde ad examen præſtituto exhibendæ erunt teſtimoniales literæ, videlicet.


8. De vltimo ſuſcepto Ordine maiore, vel minore reſpectiuè; De denunciatione perſonæ, deſiderij, titulique, & de inquiſitione in natales, & mores per Parochum factis; De reali exiſtentia ſufficientis ad victum tituli nulli æris alieni, hypothecę, ſimiliue oneri obnoxij, cum pacifica eiuſdem poſſeſſione, & fructuum inde perceptione; De ætate annorum inceptorũ viginti duorũ pro Subdiaconatu, viginti trium pro Diaconatu, viginti quinque pro Presbyteratu; De geſtatione habitus Clericalis, & ſeruitio per Ordinandum præſtito Eccleſiæ, cui adſcriptus eſt; De Sacræ Communionis, Doctrinæ Chriſtianæ, ac collationum Caſuum conſcientiæ frequentatione, &, ſi promouendi erunt de Terra Sublaci, inſuper afferenda erit atteſtatio à Lectore Sacræ Scripturæ, quòd ſex ad minus continuis mẽſibus eius Lectionibus vacauerint. Teſtificatio denique

nique Superioris Sacerdotum Miſſionariorum, de ſeceſſu apud ipſos facto.

9. Quibus recognitis, approbatiſque, Examinatores ſcientiam Ordinandorum, pro ratione Ordinis, quem quiſque ſuſcepturus eſt, non perfunctoriè, ſed accuratè experientur. Atque omne examinandi munus quacunq; humana affectione poſtpoſita incorruptè obibunt, memores, ſe, ſi quid contra officium admiſerint, non ſolùm Deo reddituros eſſe rationem, ſed etiam ſeueriſſimam indignationis Noſtræ ſubituros cenſuram.

Nemo demum vllum Ordinem non præmiſſa Confeſſione Sacramentali ſuſcipere audeat, nec quiſquam inito iam Sacerdotio primam Miſſam ſine Noſtra, vel Vicarij noſtri Generalis licentia celebrare præſumat, vt alibi in hac Synodo explicatiùs decreuimus.

Catechiſ. Rom. de Sacram. Ordinis num. 33.



De

De Sacramento Matrimonij.

CAPVT XIV.

VEtuſtiſſimum humani Coniu-
1 gij fœdus, quod ab ipſo Mun-
di primordio tanquam naturæ
officium, & humanitatis ſola-
tium in horto voluptatis diui-
nitùs inſtitutum fuit, poſtea
vti legis obſequium, & concupiſcentiæ remedium
acceptum, demum à Chriſto Domino in temporum
plenitudine Sacramenti dignitate decoratum; me-
Ephes.c.5.v.32. ritò ab Apoſtolo magnum in Chriſto, & Eccleſia
Sacramentum nuncupatur: arctiſſimæ ſiquidem, &
æternùm duraturæ illius neceſſitudinis vinculum,
quæ Chriſto cum Eccleſia intercedit, eiuſque erga
nos immenſę charitatis myſterium, hac potiſſimùm
maris, & fœminæ ſancta, ac indiſſolubili coniun-
ctione declaratur.

2. Vt igitur ea, qua decet, ſanctitate, ac reuerentia præſtantiſſimum hoc Sacramentum recolatur, ſedulò curent Parochi, Fideles à ſe matrimonio iungendos, tum in ipſamet illius celebratione, tum opportunè inter Miſſarum ſolemnia, ſæpiùs edocere, depromptis ad id ex Romano Catechiſmo doctrinis, quanta ſit eiuſdem Sacramenti dignitas, atque præſtantia, vt ita non humanam aliquam rem

ſe

ſe aggredi exiſtiment, ſed diuinam, in qua proinde ſingularem mentis integritatem, & pietatem adhiberi oporteat, adeòque ad vberrimos diuinæ gratię fructus aſſequendos, ac copioſam bonorum, quæ indè proueniunt, vbertatem promerendam, religioſa animi pręparatione diſponantur.

3. Ante omnia, publicæ denunciationes à Sac. Tridentino Concilio præſcriptæ, tribus continuis diebus Feſtis, (qui, quantum fieri poteſt, inter ſe conſequentes non ſint) inter Miſſarum ſolemnia, cùm populus frequentior aderit, à proprio Contrahentium Parocho faciendæ, matrimonij cuiuſcunque celebrationem omnino pręcedant: nec quauis ex cauſa, quantumuis grauiſſima, abſque Noſtra, vel Vicarij noſtri Generalis diſpenſatione in ſcriptis concedenda, omittantur, ſiue minuantur. Quòd ſi in diuerſis Parochijs contrahentes inhabitent, in vtraque trinæ denunciationes ex Romani Ritualis formula præmittantur, nec antea alter ex Parochis celebrandis nuptijs interſit, quàm alterius atteſtationem acceperit, quæ gratìs omnino detur, de huiuſmodi proclamationibus in ſua Parochia ritè factis, quodque nullum inde detectum fuerit legitimum impedimentum. Si verò alteruter contrahens ſit alienæ Diœceſis, & ſui Parochi conſimile teſtimonium adducat, non aliàs id admittatur, niſi proprij Epiſcopi legalitate munitum fuerit, atque à Nobis, ſeu Vicario noſtro Generali recognitum, & approbatum.

c. cum inhibitio, de clandeſt. deſponſ. Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 1. de refor. matrimonij.

Digitized by Google

Conc.Trid.ſeſſ. 24.c.7.de refor. matrim.

4. Caueant tamen quicunque animarum curam gerentes, ne exteros, ignotos, incertis vagantes ſedibus, aut ex aliena Diœceſi propinqua, vel longinqua, ſiue etiam eos, qui per ſex menſes continuos à Noſtra Diœceſi abſuerint, ad matrimonia contrahenda vllo pacto admittant, imò nec ea quidem in Eccleſijs denuncient, abſque Noſtra, ſiue eiuſdem Vicarij noſtri Generalis licentia in ſcriptis, non aliter danda, niſi prius legitimis documentis eorundem ſtatus liber per Teſtes in Curia Noſtra examinatos probatus fuerit, iuxta inſtructionem omnino ſeruandam Sac. Congregationis Supremæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis poſt præſentes conſtitutiones imprimendam.

c. Dominus, de ſecũdis nuptijs, & c. in præſentia, de ſponſalibus, & matr.

5. Similiter, vbi agitur de coniugijs cum Viduis contrahendis, denunciationes ne fiant, niſi prius coram Nobis, ſeu noſtro Vicario, vt ſupra, per legitimas, ac claras probationes de obitu prioris coniugis liquidò conſtiterit, præſertim ſi hic extra Noſtram Diœceſim ſecutus aſſeratur, adeo aut nulla quantumuis longa abſentia, aut alia probabilis mortis coniectura ad hunc effectum ſuffragetur, ſi secùs actum fuerit, inobedientes grauiſſimas arbitrio Noſtro pœnas dabunt.

6. Vniuerſim autem ad pręfatas cuiuſuis coniugij denunciationes non aliter Parochi deueniant, niſi priùs diligenti examine contrahere volentium qualitates explorauerint; An ſcilicet legitimæ ſint ætatis, vt vir ſaltem decimum quartum, mulier verò duo-

duodecimum annum expleuerit: an eo anno Paſchalis Communionis pręcepto ſatisfecerint: an ſumma, & eſſentialia Doctrinæ Chriſtianæ capita rectè teneant, in quibus liberos, quos ſuſceperint, erudire valeant: an aliquod inter eos adſit propinquitatis vinculũ, ſiue qua alia intercedant canonica impedimenta, ſuper quibus, ſi Apoſtolicas diſpenſationes ſibi conceſſas, Nobiſque commiſſas quandoque exhibuerint, non aliter illæ executioni demandentur, niſi priùs in Curia Noſtra, ſeruato iuris ordine, de precum veritate conſtiterit: præcipuè verò exquirent, an ſpontè, ac liberè, nulliſue Parentum, ſiue aliorum minis, vel ſeductionibus coacti, contrahendis nuptijs aſſentiant, ac propterea ab ipſiſmet Spõſis ſeorſim, & ſemotis arbitris, non modò ab illorum Parentibus, ſiue alijs eorum nomine, faciendarum denunciationum aſſenſum excipient. Maximè tamen hortandi erunt filij familias, honeſtatis id ſuadente ratione, licet ad Sacramenti validitatem minimè ſit neceſſarium, vt Parentibus, & ijs, in quorum fide, ac poteſtate ſunt, eum honorem tribuant, vt ipſis inconſultis, nedum inuitis, & repugnantibus, rem tanti momenti non ineant, imò potius illorum conſilijs, & placitis humiliter obſequantur. Quos autem Parochi compererint, cuiuſcunque tandem ſint gradus, vel dignitatis, minis, & colluſionibus directè, vel indirectè matrimonij libertatem quoquo modo violantes, confeſtim Nobis deferant, vt præter anathematis ſententiam, quam ex ca-

Ritual. Roman. de Sacram. matrim. §. has autē.

Catechiſ. Rom. de Sacr. Matrimon. n. 32.
c. honorantur 32. quæſt. 2
Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. matrim. c. 1. in princip.

c. cum locum, c. requiſiuit, & c. Gemma, de ſponſal. & matrim Cõc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 9. de refor. matrim.

Digitized by Google

canonicis ſanctionibus ipſo facto incurrunt, alijs etiam pœnis, arbitrio Noſtro, ſeuerè plectantur.

Catechiſ. Rom. de Sacr. Matr. n. 30.

7. At quia inutiles planè forent coniugiorum promulgationes tam enixè à Tridentina Synodo, ad eruenda, ſi quæ ſint, canonica impedimenta requiſitæ, niſi ea populo, quæ matrimonium contrahendum impediunt, & contractum dirimunt, ſępiùs edicerentur, idcirco ipſimet Parochi ex probatis Auctoribus matrimonij impedimenta exactè nouerint, eaque ſuis plebibus bis ſaltem in anno, ijs nempè temporibus, quibus ſolemnes nuptiæ aperiuntur, ex formula ad Synodi Appẽdicem reiecta inter Miſſarũ ſolemnia recenſebunt; præſertim verò ad eiuſdem Concilij præſcriptum, ne Fideles falſo nuptiarum nomine decepti, turpium amorum fœdera incautè ineant, quàm execranda, & prorſus irrita ſint clandeſtina coniugia, ſępiſſimè edocebunt.

c. cũ inhibitio, de clandeſt. deſponſ. Cõc. Trid. d. c. 1. ſeſſ. 24. de ref. matrim.

8. Quodcunque autem inter ipſas denunciationes, vel poſt, ante tamen contractum matrimonium, impedimentum proponatur, etiamſi falſum, ac doloſum probabiliter credatur, Parochi tamen neque ad Matrimonij celebrationem, neque ad vlteriores denunciationes, Nobis, aut Vicario noſtro Generali inconſultis, procedere præſumant; imò, ne quid temere agant, id ipſum pręſtent, ſi quę alia ſuper matrimonijs contrahendis dubia exoriantur. Verùm, qui falſum aliquod impedimentum malitioſè detulerint, quò futurum legitimè matrimoniũ differre, aut peruertere poſſint, pręter pœnas

falſi

Digitized by Google

falſi à legibus inflictas, excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrant, eodemque anathematis gladio ij pariter feriantur, qui vera ſcientes impedimenta, poſtquam denunciationes in Eccleſia factas fuiſſe intellexerint, ea non reuelauerint, ſed dolosè reticuerint.

9. Præmiſſis, vt ſupra, denunciationibus, vt vnicuique detur ad impedimenta, quæ fortaſſe inſunt, detegenda temporis opportunitas, eadem die, qua poſtrema denunciatio facta fuerit, nequaquam matrimonium celebretur, ſed in proximam ad minus protrahatur. Contrà verò nec tandiu differatur, vt nouum aliquod interim ſuboriatur impedimentum, ideoque ſi duobus menſibus elapſis matrimonium in facie Eccleſiæ celebratum non fuerit, expectandum vlteriùs erit, donec trinæ proclamationes, niſi aliter Nobis viſum fuerit, iterum repetantur. Ritual.Roman. de Sacr. Matr.

10. Ad euitanda tamen grauium malorum pericula, quæ propter lapſæ naturæ fragilitatem, & corruptos hominum mores, ex frequenti Sponſorũ conſuetudine ante matrimonij celebrationem, exoriri ſolent, atque ad perniciosam Noſtræ Diœceſis in hac re corruptelam (quod dolentes dicimus) prorſus extirpandam, vehementer cuperemus, exactis denunciationibus, matrimonium per verba de præſenti quamprimùm contrahi, imò & ad ipſas denunciationes poſt inita Sponſalia quàm citiſſimè deueniri, quæ propterea ſedulò aduertant Parochi, ne temere contrahantur, nèue contracta, iniquo iure,

Digitized by Google

iure, dirimantur. Quòd ſi expletis, vt ſuprà, proclamationibus, ſiue ob non paratam dotis ſolutionem, ſiue ob quamuis aliam rationem, vltra duos menſes nuptiarum celebratio protrahatur, præter adiectum repetendarum denunciationum præceptú, duorum aureorum mulcta pijs vſibus applicandorum, refractarij punientur; Præterea, vt radicitus inualeſcentis abuſus originem euellamus, enixè interdicimus, ne ſponſi, antequam matrimonium per verba de præſenti ex ritu contraxerint, vllam ob cauſam quantumuis honeſtam, ſe inuicem vltra tres vices inuiſant, aut alloquantur: quibus quidem vicibus, vt modeſtæ vrbanitatis officium explere poſſint, ad modicum tempus conuerſari permittimus, Parentibus tamen, aut duobus eorum conſanguineis ſemper præſentibus, & habita priùs licentia Parochi, cuius in hoc conſcientiam diſtrictè oneramus. Verùm ſi alterutrum ex his defecerit, aut vltra præſcriptas vices mutua conſuetudine, vel commercio vti, quoquo modo præſumpſerint, pœna decem librarum ceræ albæ Parochiali Eccleſiæ illico exſoluenda mulctabuntur, imò &, pro auctæ inobedientiæ culpa, grauioribus pœnis, atque etiam in ſubſidium, excommunicatione plectentur. Parochi autem, qui huiuſmodi contrauenientes Nobis denunciare neglexerint ſeuerè pariter, atque ipſa à diuinis ſuſpenſione punientur. Demum ſi, quod damnabilius eſt, Sponſi, vt ſuprà, ante matrimonij celebrationem rem ſimul habuerint, aut etiam

Sac. Congregat. in vna Hieraceñ 20. Aprilis 1587.

cum

Digitized by Google

eum proborum ſcandalo, licentia penè maritali, cohabitauerint, vel ſub eodem tecto pernoctauerint, præter excommunicationis ſententiam quam ipſo facto incurrent, cuius abſolutionem in foro pœnitentiali Nobis reſeruamus, grauiſſimis inſuper, etiã corporis afflictiuis pœnis coërcebuntur. Mandamus proinde Parochis, vt ſæpius populo cùm opportunum duxerint, ac præſertim ſi ſponſalium contractibus quandoque interfuerint, pręſentis Noſtri Decreti diſpoſitionem modeſtè, ac prudenter inſinuent.

Sac. Congr. 25. Octobr. 1583. 26. Aug. 1589. 15. Maij 1590. 14. Decembris 1635. 15. Febr. 1636. apud Nicolium verbo Sponſalia, n. 2.

11. Ipſa autem huius Sacramenti celebratio, de mane, orto iam Sole, in Eccleſia Parochiali Spõſi, vel Sponſæ coram proprio Parocho, ſiue alio idoneo Sacerdote de illius, vel Noſtra licentia, non temere, aut facilè cuicunque concedenda, duobus itidem, aut tribus teſtibus præſentibus, omnino peragenda erit; nec vnquam extra Eccleſiam id fiat, niſi ex cauſa à Nobis, vel Vicario noſtro Generali ſcriptis approbanda. Eodem verò tempore ſacrum proprium de Sponſis ex Romano Miſſali celebrabitur, cui ijdem deuotè intererunt, & Sacramentali prius Confeſſione expiati, ſimulque diuino Dominici corporis pabulo refecti, Sacerdotalem benedictionem ex ritu ſuſcipient, vt ita peculiari Spiritus Sancti dono recepto, ad perpetuam in ſancta charitate concordiam firmiores reddantur, ac Diuinam gratiam coniugalis amoris, & indiſſolubilis vnitatis complementum aſſequantur, quam ipſe Chriſtus vene-

Concil. Triden. d. cap. 1. d. ſeſſ. 24.

Concil. Trid. d. ſeſſ. 24. de refor. matrimon. in princip.

Digitized by Google

venerabilium Sacramentorum inſtitutor, atq; perfector, ſua nobis paſſione promeruit.

c. non oportet, & tribus ſequẽtibus 33. q. 4.

12. Antiquæ tamen ſolemnium nuptiarum prohibitiones, quas ab Aduentu Domini vſque in diem Epiphaniæ, & à Feria quarta Cinerum vſque in Octauam Paſchatis incluſiuè Tridentina Synodus renouauit, diligenter, ac ſeuerè cuſtodiantur, ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrendi. Cętera item omnia, quæ ad legitimam matrimonij celebrationem ex ijſdem Tridentinis Sanctionibus in Romano Rituali fusè pręſcribuntur, exactiſſimè expleantur.

Concil. Trid. d. ſeſſ. 24. cap. 10.

Tobiæ c. 8. v. 5.

13. Et quia filij Sanctorum non debent ita coniungi ſicut Gentes, quæ ignorant Deum, modeſtè, ac religiosè ita cuncta peragantur, vt omnes prorſus ioci, riſus, & cantus, alijque indecori, ſuperſtitioſi, ac prophani abuſus, à ſacris hiſce ritibus penitùs excludantur. Si qui verò, quod abſit, execrandis, ac damnatis artibus maleficia, faſcinationeſue in matrimonijs peruersè moliri, aut quouis modo ad ea conſilium, mandatum, vel auxilium præſtare auſi fuerint, excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quam illos ſubire decernimus, à tanto, tamque nefario crimine perpetrando deterreantur.

Conc. Trid. d. ſeſſ. 24. cap. 1.

14. Expleta demum Sacramenti adminiſtratione, illico quidem, ſi fieri poteſt, ſin minus, eadem die Parochi omnes in librum ad id bene compactum, ac fideliter cuſtoditum, eodem modo, ac

ſub

Digitized by Google

ſub ijſdem omnino pœnis, quas pro deſcribendis baptizatis ſupra impoſuimus, atque hic repetitas volumus, contractus omnes matrimoniorum accuratè, ac diligenter referant, adnotatis coniugum, ac teſtium, qui interfuerint, nominibus, cognominibus, & Patria, nec non die, ac loco celebrati contractus, adiectis inſuper diebus factarum denunciationum, alijſque omnibus fusè, ac diſtinctè in Rituali Romano pro caſuum diuerſitate deſignatis, cuius formulam nullatenus cōtrahant, ſed ad vnguem exequantur. Huius autem libri exemplar, vt de alio Baptizatorum pariter mandauimus, ipſimet Parochi quotannis, ſub pœna trium aureorum, circa finem menſis Decembris, ad Vicarium noſtrum Generalem tranſmittant, in Eccleſiaſtico Archiuio cuſtodiendum.

15. Nè verò indiuidua vitæ conſuetudo, quæ in coniugali conſortio ſeruanda eſt temerè contemnatur, ſi coniuges aliquando abſque legitima cauſa à Sacris Canonibus permiſſa, ac Eccleſiæ iudicio probata, à communi cohabitatione diſceſſerint, ac maritalem conuictum recuſauerint, ſedulò Parochi ſtudeant, vel per ſe ipſos, vel aliorum opera, vt ad priſtinam vitæ ſocietatem reuertantur, & niſi profecerint, rem ad Nos deferant, vt opportunis remedijs, eorum, qui ſic fidem, ac coniugia maculant, damnabilem contumaciam compeſcamus.

c. vxor 32. qu. 7. c. ſæculares, c. an quod in Subditos, & c. hiſtoria 33. quæſt. 2. c. tua nos, il ſecondo de iureiuran. c. lator, de ſenten. & re iud. c. porro, & c. de illa, de diuortijs. Sixtus V. conſt. 46. incipien. ad compeſcēdum, §. 2.

Digitized by Google

De Sacris Reliquijs.

CAPVT XV.

Geneſ. c. 26. v. 5. & 24. c. 20. v. 7. & 17. Exodi c. 32. v. 13. & 14. 3. Reg. c. 11. v. 12. 13. 32. & 34. & c. 15. v. 4. & 5. 4. Reg. 19. v. 34. & c. 20. v. 6. Iſai. 37. v. 35. Eccleſ. 44. v. 24. Hierem. 15. v. 1. Iob. 12. v. 12. & c. 42. v. 8. Machabęor. 15. verſ. 14. 2. Pet. 1. v. 15. Conc. Chalced. in fine. Cóc. 6. & 7. & alia apud Bellarm. lib. 1. c. 18. & 19. de Sanct. Beat. & ibid. Patres plurimi. Cóc. Trid. ſeſſ. 25. de inuocat. venerat. & reliq. Sanctorú. Catechiſ. Rom. p. 3. c. 2. n. 11. & ſeqq. Exodi c. 13. v. 10. & ſeqq. Concilia, & PP. apud Bellarm. lib. 2. cap. 3. de reliq. Sanctorú.

1 QVotidiana, quæ à Deo per interceſſionem Sanctorum impetramus beneficia, ſacrarum Veteris, nouique Teſtamenti paginarum teſtimonia, Chriſtianæ ipſius Religionis primordia, atque receptus iam tum, retentuſque in præſentem vſque diem vſus, Patrum conſenſu, & Conciliorum Decretis approbatus, luculenter ſuadent, perſuadentque Fidelibus, eoſdem Sanctos de ſua iam felicitate ſecuros, de noſtra tamen ſalute eſſe ſolicitos, charitatemque, qua viui flagrabant in proximos, nequaquam poſt mortem excidiſſe, ſed immensùm auctam, communionem militantis, triumphantiſque Eccleſiæ, noſtro omnium beneficio, continere, & enutrire. Exigit itaque Chriſtiana pietas, & deuotio, vt quorum opem noſtris in neceſſitatibus religioſè imploramus, eorundem memoriam ſanctè recolamus, atque etiam Sacra Oſſa, & Reliquias, quin & ipſos Cineres proni veneremur.

2. Et quoniam pleraſque Inſignis huius Abbatiæ, & Diœceſis Noſtræ Eccleſias multis Sanctorum reliquijs dotatas in noſtra Viſitatione comperi-

perimus; poſtulat officij Noſtri Paſtoralis ratio, & munus, vt tantorum Pignorum conſeruationem ſolicitè procurando, & cultum, qua decet pietate, augendo, eorundem protectione Sanctorum defendi, & adiuuari precibus, commereamur.

3. Quapropter præcipimus, vt omnes Eccleſiarum Rectores, Thecis ſaltem ex ligno deaurato affabrè elaboratis, & chryſtallo, ſeu vitro integro pellucidoque contectis, non confusè, ſed ſeparatis cellulis, & ſua vnaquaque inſcriptione, & nomine diſtinctis authenticas Reliquias repoſitas, ſeu reponendas, vti in Viſitatione noſtra præſcripſimus, diligentiſſimè cuſtodiant. Si quas verò ignotas, dubiæue Fidei, legitimis quippe documentis carentes, habeant, eas ſeparato, ſed mundo vaſculo conſeruandas quidem, ſed ſine Noſtra licentia non exponendas meminerint.

Thecæ verò præfatæ, & vaſcula, non vbilibet, ſed in Armarijs intus, foriſque decenter ornandis, & vel in Eccleſia ipſa, vel in Sacriſtia fixo loco, nec aëri humidiori obnoxio, cum hac Epigraphe, *Reliquiæ Sanctorum*, appoſita, ſeu apponenda, collocandis, atque etiam claui ſaltem vna, vel duplici, vbi vigeat conſuetudo, altera apud Rectorem Eccleſię, altera penes eos, ad quos pro diuerſo locorum more ſpectet, remanſura, obſerandis religiosè includantur, nec illic aliud quidpiam quantumuis Sacrum reponatur.

Harum autem Thecarum, Vaſculorum, & Ar-

mariorum, & vniuerſim cuſtodiendarum Reliquiarum laudatam à Nobis in Viſitatione noſtra rationem ex inſignibus Noſtris Sublacenſi, & Trebana Collegiatis, aliarum Rectores Eccleſiarum commodè deſumere poſſunt, & adinſtar ſua ab ijs confici plurimùm optamus, atque ſuademus.

Ex Armarijs autem, Thecis, & Vaſculis, ſi quis abſque Noſtra licentia ſacras Reliquias, aut earum partem aliquam extrahere, ſeu ſibi attribuere, ſeu alijs donare irreligioſo conatu præſumpſerit, excommunicationi, atque etiam alijs pœnis, arbitrio Noſtro, ſeuerè, & irremiſſibiliter irrogandis, ſe ſubiacere intelligat.

4. Præterea ne Reliquiarum memoria, aut tam pretioſi Theſauri pars vlla vnquam deperdatur, curabunt ijdem Eccleſiarum Rectores, vt earum catalogum, quem penè in omnibus Diœceſeos Noſtrę Parochialibus Eccleſijs confectum in Viſitatione noſtra inſpeximus, atque probato, & conſtito Nobis antiquo illarum cultu, ſubſcripſimus, in Sacriſtia collocatum, & patenti loco expoſitum habeant: & earundem authentica etiam documenta, ſicubi habentur, in Eccleſię quiſque ſuæ Archiuio diligenter adſeruent: cuius item Catalogi, ſeu Indicis exemplar à ſe ſubſcriptum, confeſtim, ſi id ab eis, vtì in eadem Viſitatione iuſſimus, nondum eſt præſtitum, nulla interpoſita mora, prætextu, aut excuſatione, ad Eccleſiaſticam Noſtram

Digitized by Google

ſtram Cancellariam tranſmittere nequaquam negligant.

Neque in poſterum vllas nouas Reliquias abſque authenticis à Nobis, ſeu Vicario noſtro Generali recognoſcendis, & Cancellariæ itidem Noſtræ Regeſto, vt ſuprà, inſerendis, vlli, etiam Regulares, publicè expoſitas habere præſumant.

5. Verùm vt non modò Cuſtodiæ, ſed & cultus, atque Sacrarum Reliquiarum venerationis, quę par eſt, ratio habeatur, & in dies augeſcat, ſtrictè iniungimus Parochis, & Concionatoribus, vt captata ſæpiùs occaſione Fidelem populum accuratè edoceant, qua reuerentia, & pietate Sanctorum memoriam recolere, preces, opemque apud Deum expoſcere, & quo eorum Reliquias honore afficere teneantur: Vt quoties eorum Sacra Lipſana adeunt, aut expoſita viderint, æternitatis hæc ſemina eſſe, viua olim Spiritus Sancti habitacula fuiſſe, ſuſcitanda in cæleſtem, æternamque vitam, glorioſiſque dotibus decoranda, cum Chriſto in perpetuum regnatura recordentur, atque adeò quorum Sacros Cineres venerabundi agnoſcunt, & precabundi reuerentur, eorum virtutes imitari non pigeat; & eorumdem exemplo ediſcant, vitam etiam ipſam pro Domino effundere, quem Sancti Homines pretioſa morte, & glorioſis confeſſionibus honorauerunt.

S.Ambr.ſer.93. de SS.Nazario, & Celſo. Conc.Trid. ſeſſ. 25. de inuocatione, veneratione, & reliquijs Sanctorũ. S.Auguſt. ſerm. 47. de Sanctis. S. Ambr. ſerm. 93. de SS.Nazario, & Celſo. Pſal. 115. v.15. Martyrolog. Rom. paſſim.

6. Qui quidem Religionis, pietatiſque ſenſus, vt mentibus Fidelium altiùs defixi inhęreant,

Prohi-

Prohibemus, ne vlla occaſione, prętextu, aut colore, ex Armarijs, multò minùs, è Thecis, & cellulis ſuis ſacræ Reliquiæ amoueantur, neque etiam paſſim oſtendantur, aut ad priuatas domos, quantumuis ægrotantium, cum Thecis, abſque Noſtra, ſeu Vicarij noſtri Generalis licentia tranſportentur: imò neque à quocunque niſi à Sacerdotibus, aut ijs Clericis, quibus res ſacras contingere permiſſum eſt, ſuperpelliceo tamen, & ſtola reſpectiuè indutis vllatenus contrectentur.

7. Quod ſi ad earum cultum,& venerationem, & ad Fidelium excitandam pietatem,& deuotionem Sacras Reliquias exponi, religioſa conſuetudo, aut recurrentis Feſti præcipua ſolemnitas poſtulauerit, caueant Eccleſiarum Rectores, ne vlla irreuerentiæ ſigna, occaſione dicta, commonſtrent, ſed ſtola, & ſuperpelliceo, vt ſuprà, induti, accenſis facibus, præmiſſiſque thurificatione, & conſuetis orationibus, ex armarijs Thecas extrahant, & in Altari decentiſſimè collocent, ijſdem ritibus, cum in Armaria referentur, exactè obſeruandis.

Quoties etiam Reliquiarum nomina Fidelium Plebi prælegenda erunt, clara voce, vulgarique idiomate, ab aliquo ſaltem ex Clericis ſuperpelliceum induto, diſtinctè, & grauiter pronuncientur, ijs tamen exceptis, quas in Viſitatione Noſtra exponi, ac ſolemniter publicari vetuimus.

8. Suademus denique, & enixè hortamur in Domino, vt ante Sanctorum, vbi habentur, Cor-

pora,

pora, & inſigniores Reliquias, pro facultatibus Eccleſiæ, lampas, aut continenter, aut Dominicis ſaltem, Feſtiſque diebus ardeat.

De

De Sacris Imaginibus.

CAPVT XVI.

1 CAtholicam Eccleſiam à ſuis iam inde incunabulis ſacrarum vſum Imaginum amplexam fuiſſe, eaſdem conſtanter vbique terrarum retinuiſſe, ob earum conſeruationem, acerrimam ab Iconomachis perſecutionem perpeſſam fuiſſe, & earum cultum, & venerationem, ſacrorum etiam Oecumenicorum Conciliorum Decretis ſtabiliuiſſe, mirari deſinet, imò piè collaudabit quiſquis veteris etiam legis teſtimonia, nouæ traditionem, Sanctorum Patrum fidem, & ſententias, ac earundem Imaginum vtilitates maximas, religioſa ſecum mente recogitauerit; Imagines enim, id quod Parochis Noſtræ Diœceſeos plebem Fidelem ſępe docere præcipimus, rudes inſtruunt, Myſteriorum Fidei noſtræ, geſtorum à Chriſto Domino pro ſalute noſtra, Sanctorum memoriam fideliter renouant, excitant, & conſeruant: Fideles ipſos ad eorum, quos repræſentant, amorem, atq; imitationem ſuauiter inuitant; docent nos habere Aduocatos, ad quorum patrocinia recurramus, quorum exemplo moneamur fidem non erubeſcere, ſed eandem palam, audacterque profiteri, mores, pieta-

Exod. 25. v. 18. n. 21. v. 8. 3. Reg. c. 6. v. 35. c. 7. v. 25. 29. & 36. c. 10. 19. 2. Paralip. c. 3. v. 10 & 14. cap. 4. verſ. 3. Vid. Bellarm. toto tract. de Sanctor. Imaginibus.

Digitized by Google

pietatemque ęmulari, doctrinam ſequi; Et quantum denique per Imaginum venerationem, Chriſtum, Sanctoſque earum Prototypa honoramus, & colimus, tantundem ſuperſtitionem omnem, & idololatriam deteſtamur.

2. Cum itaque picturæ eloquentiſſima taciturnitate ex ipſis Eccleſiarum parietibus Fideles vtiliſſimè alloquantur, & commoueant, ne vlla, aut turpis quæſtus fœditas, aut ſuperſtitionis impietas, errorue in populorum mentes irrepat, ſed decor Imaginum, ac veneratio illibata cuſtodiantur, & creſcant, Paſtorali noſtro muneri ſatisfacturi, prohibemus in primis, ne in hac Noſtra Diœceſi Imago vlla publicè in Eccleſijs veneranda exponatur, abſque Noſtra, Vicarijue noſtri licentia, nullatenùs concedenda, niſi Imago ipſa eccleſiaſtico priùs ritu benedicatur. Benedicendas verò vetamus, non modo inſigni turpitudine indecoras, ſed etiam procaci, & prophana magis venuſtate, quàm religioſa modeſtia, & ſancta maieſtate commendatas.

Pauimentis autem, lociſq; ſordidis, & irreuerentiæ obnoxijs Sacras effingi Imagines nullatenus permittimus, ſed ſicubi fuerint, protinus inde auferendas, honeſtiori ſede collocandas, aut certè comburendas, & earum cineres in Sacrarijs reponendos, ſtrictè iubemus.

Si quas item Imagines, aut ſitu, aut vetuſtate, aut humidiori aëre, aliòue caſu deturpatas, & de-

Digitized by Google

formatas in hac Noſtra Diœceſi reperiri contigerit eas, vt in Viſitatione noſtra pręcepimus, aut tollendas, aut igne conſumendas, & earum cineres in Sacraria inferendos, aut certè, ſi tolli nequeunt, dealbandas omnino mandamus.

Timoth. 3. v. 15
1. Corinth. c. 5. verſ. 8.
Timoth. 3. v. 8. tit. 1. v. 7. & 11.
1. Petr. 5. v. 2.
Epheſ. 5. v. 5.

3. Et quoniam Eccleſia Dei Magiſtra, atque amica ſinceritatis, & veritatis, inimica auaritiæ, & mendaciorum, fictionumque hoſtis, ſuperſtitionem omnem, atque turpem quæſtum, tanquam idolorum ſeruitutem, procul iubet eliminari; curabunt Vicarij Generalis, & Foranei reſpectiuè, ne Fideles paſſim lampades, aut luminaria accendere, & votiuas Tabellas ad ſepulcra Defunctorum, quantumuis in opinione ſanctitatis deceſſerint, afferre, aut vllas imagines eorum, qui nondum ab Eccleſia inter Sanctos, Beatoſque relati fuerint, cum laureolis depingere, aſſueſcant. Quod ſi Fidelibus, ob accepti re vera cęlitùs beneficij memoriam, aut grati animi teſtimonium, huiuſmodi anathemata appendere permittendum fuerit, cauendum tamen erit diligenter ab ijſdem Vicarijs, ne tam inſigni deformitate ſint, vt riſus materiam, & occaſionem præbeant; ſed potiùs Chriſtiana modeſtia ita decora, vt pietatem, & deuotionem commouere, ac enutrire valeant: neque verò, aut Rectores Eccleſiarum, aut alij quicunque, abſque Noſtra, aut Vicarij noſtri Generalis licentia, præfata anathemata diſtrahant, aut deperdi ſinant, ſed tuto loco, & ab irreuerentia omni remoto, diligenter aſſeruentur.

4. Et ne ſuperſtitio, & infamis lucri fœdiſſimum crimen, ex occaſione miraculorum, ſeu ad Sacras Imagines, ſeu alia ratione patratorum, ſeu patrandorum in hac Noſtra Diœceſi, quod abſit, committatur, nèue Fidelium credulitati, atque ſimplicitati per fictionem, & iactationem miraculorum imponatur, ac illudatur, & ne Fides noſtra, quæ firmiſſimis veritatis fundamentis innixa, mendaciorum fallacijs nunquam indiguit, nec indiget, imò verò huiuſmodi figmenta condemnat, & exhorret, reuocari in dubium, & ſugillari ab impijs poſſit, prohibemus, ſub ſeueriſſimis pœnis, à Nobis irremiſſibiliter infligendis, ne quiſquam, ſiue Secularis, ſiue Clericus, etiam Regularis temerario, & nefando impietatis auſu, noua miracula euulgare, prædicare, aut iactare præſumat: Quòd ſi Omnipotens Deus, cuius eſt miracula, ſeu per ſe ipſum, ſeu per Sanctorum interceſſionem facere; Eccleſiam ſuam illuſtrare, Fidem noſtram confirmare, & Fideles ſolari, per miraculoſas operationes, complacita benignitate dignabitur, accuratiſſima diligentia, rem totam Vicarius noſter Generalts examinet, & ad Nos deferre quamprimùm ſatagat, & quid eo caſu faciendum ſibi præſcripturi fuerimus, præſtolando; omnem concurſum fieri interea prohibebit, atque etiam Eccleſiarum, Cappellarum, ſeu locorum aditus, ſi opus fuerit, occludendos curabit.

1.Timoth. 3. v. 15. Prouerb.6.verſ. 19.

Pſalm.71. v.18. Hebr.c.11.verſ. 4. & ſeqq. vſq; ad 33.

5. Neque ſolùm in Eccleſijs, Capellis, locisque

que ſacris, pias Imagines haberi, colique laudamus, hortamur, & commonemus, ſed enixè vnicuique Fidelium Diœceſeos Noſtræ ſuademus in Domino, vt prophanarum, & quandoque impudicarum, quas non tolerabimus, Imaginum loco, pias Chriſti Saluatoris, Sanctiſſimæ Virginis Mariæ Dei genitricis, Sanctorum Tutelarium Icones in domibus ſuis decenter habeant, vt coram ijs mane, cum è cubili exſurgent, & veſperi, antequam lectum conſcendant, preces effundant, examen Conſcientiæ faciant, & per diem, modeſtiæ, & virtutis memores, nec quidquam facere audeant, quod Deo, Sanctiſque præſentibus perpetrare erubeſcerent.

De Indulgentijs.

CAPVT XVII.

1 INexhauſtus meritorum Chriſti, Beatiſſimæ Virginis, reliquorumque Sanctorum Theſaurus, per benignitatem eiuſdem Saluatoris noſtri, ſic ab Eccleſia in ſalutem Fidelium diſpenſatur, vt non ſolùm per ea culpæ reatus, & pœna æterna peccatis debita in Sacramento Pœnitentiæ remittatur, ſed etiam temporalis eorundem peccatorum poſt Sacramentalem Confeſſionem, inflicta, & debita caſtigatio, per maternam Eccleſiæ Indulgentiam in opera facilioris executionis commutata,nonnunquam minuatur, nonnunquam plenè condonetur.

Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 14. de iuſtificatione, & ſeſſ. 14. c. 8. de pœnitentia. ſeſſ. 25. in Decreto de Indulgentijs.

2. Verùm,ne diſpẽſatio,ſeu diſtributio huiuſmodi, & Indulgentiarũ laudatiſſimus, cæteroqui vſus, aut diſciplinæ Eccleſiaſticę rigorem obtũdat, aut relaxationem morum, varioſq; abuſus,ſpe,& occaſione earundem, progignat; pro Paſtorali Noſtra ſolicitudine præcipimus Parochis, Concionatoribus, Confeſſarijs, & Cathechiſtis quibuſcunque, vt Catholicæ Eccleſiæ Matris, & Magiſtræ noſtræ circa Indulgentias ſenſum, iuxta Inſtructionem à Nobis dan-

dandam, Plebem Fidelium, tum aliàs ſæpe, tum præſertim Iubilæi occaſione, ad Collegiatas, ſeu Parochiales Eccleſias conuocandam, accuratè edoceant, & inſtruant; & ad cordis contritionem, peccatorum ſuorum Sacramentalem Confeſſionem, & iniunctorum à Summo Pontifice Indulgentiarum Diſpenſatore operum, quæ ſigillatim, diſtinctèque enumerabunt, humile, deuotum, & fidele adimplementum, cæteraſque neceſſarias ad Indulgentias conſequendum diſpoſitiones, paternè adhortando, inuitent.

3. Vt verò exacta earum Indulgentiarum, quę aliàs à Summis Pontificibus huic Noſtræ Diœceſi conceſſæ fuere, notitia habeatur, memoria conſeruetur, & fructus ſalubres percipiantur, mandamus, vt omnes Eccleſiarum quarumcunque in hac Noſtra Diœceſi exiſtentium Rectores, Confraternitatum item Officiales, & Priores, quocunque nomine vocentur, Indulgentiarum huiuſmodi, aut aliàs impetratarum, ſeu in poſterùm obtinendarum exemplaria, ſimul cum authentico earum Breui ad Vicarium noſtrum Generalem quamprimùm tranſmittant, qui exemplaria dicta cum originalibus cōferendo, recognoſcat, & in Cancellaria Eccleſiaſtica, reddito Rectoribus, ſeu Officialibus Breui, reponat: Diplomata verò ipſa in ſuis quique Eccleſiarum Archiuijs, tranſumpta priùs Indulgentiarum notula, ſeu Tabella in Sacriſtijs appendenda, diligenter aſſeruent.

4. Et

4. Et quoniam Fideles Noſtræ curæ commiſſos, pretioſi huius theſauri fructibus carere nolumus, ſtrictè mandamus omnibus Eccleſiarum Rectoribus, & Confraternitatum Officialibus, vt ſi Eccleſiæ præfatæ Indulgentias non habent, eas à Sancta Sede Apoſtolica, ſaltem in die Sancti Titularis Eccleſiæ, ſeu alterius præcipuæ Feſtiuitatis, maturè impetrent, & lapſo tempore, quo fuerint conceſſæ, renouari procurent.

5. Nouas verò Indulgentias, etiam impreſſas, quæ in poſterum obtinebuntur, nemo, etiam Regularis, abſque Noſtra, aut Vicarij noſtri licentia in ſcriptis obtinenda, publicare, euulgare, aut commiſſis Noſtræ curæ populis proponere, & prædicare, ſub pœnis à Nobis infligendis, audeat.

6. Quòd ſi vagabundi, aut mendici Indulgentias tamquam Numiſmatis, imaginibus, aut alijs deuotionis, & pietatis ſignis adnexas diuendere, & iactare deprehendantur, à Vicarijs noſtris Generali, & Foraneis reſpectiuè, ſeuerè, etiam per expulſionem à Diœceſi, puniantur, ne pretextu pietatis queſtum turpem faciant, & ſimpliciorum animos fallendo, introducant. Concil. Triden. ſeſſ. 21. cap. 9.

7. Eandem etiam ob cauſam prohibemus, ne occaſione Indulgentiarum vllæ fiant importunæ eleemoſynarum exactiones, potiùs quàm ſpontaneæ oblationes, atque, ne in loco, vbi colliguntur eleemoſynæ, ſed alio omnibus patenti, Indulgentiarum Bullæ, Breuia, ſeu literæ Apoſtolicæ exponantur.

De

Digitized by Google

De Feſtorum Obſeruantia.

CAPVT XVIII.

Exodi 20. v.10. Deuter.5.16. c.1.de Conſecr. diſt.3. c.peruenit,ibid.

cap. 3. de ferijs.

Conſtit.Vrbani VIII. incipien. Vniuerſa, ſub data 1642. idib. Septembris.

1 SAbbathum Dominus primùm inſtituit, vt non intimis tantùm hominum ſenſibus, ſed etiam externo, publicoq; cultu adoraretur. Conſummata deinde vetere Lege, Eccleſia Spiritu Sancto afflata Feſtam huius venerationis celebritatem in diem Dominicum tranſtulit, aliaſque ab initio, & conſequentibus temporibus addidit, nuper à ſanctæ recordationis Vrbano VIII. declaratas, quibus Nos memoriam Myſteriorum redemptionis noſtræ, victoriarumque illorum, qui triumphato mundo cum Chriſto regnant, recolentes, diuinæ bonitati, & potentiæ gratias, ac laudes, ſanctiſque meritum honorem ſolemniter, & piè tribueremus.

Conſtitut. B.Pij V. incip. Cum primum, inter eius conſtit. in ord. Bullarij 5. Conc.Trid. decreto de ieiunijs, & diebus bus feſtis, ſeſſ. 25. de reform. Deuter.5. v.14. Catechiſ. Rom. c.de Feſtor. obſeru.n.11.& 26.

2. Parochi igitur ſolicitè curent, vt Populi ſibi commiſſi hos dies ritè obſeruent, ſimulque doceant eorum obſeruantiam conſiſtere in perfecta, & plena applicatione ad diuina, & operum ceſſatione, atque adeò totos ſacris meditationibus, precibus, alijſque charitatis, & religionis operationibus eſſe impendendos, præcipuè autem moneant, vt integro Sacrificio Miſſæ in Parochiali Eccleſia hora oppортu-

Digitized by Google

portuna celebrandæ, deuota, & reuerenti attentione interſint, vtque liberi, & famuli, idem faciant, diligenter procurent, nec non verbum Dei ibidem audiant, hortandi præterea, vt diuinis officijs, pręſertim veſpertinis, cõpetenti hora pariter recitandis, deuotè aſſiſtant. Sacerdotes verò, & Cappellani, Clericique Eccleſiæ ſeruitio quomodocunque obſtricti intereſſe, vel potiùs pſallere omnino teneantur.

c. Miſſas, & cap. omnes, diſt. 1. de Conſecr. Conc. Trid ſeſſ. 22. Decr. de obſeru & euit. in celebr. Miſſar. c. Apoſtolica, diſt. 1. de Conſecrat. Idem Conc. c 4. ſeſſ. 24. de refor. c. 2. diſt. 3. de Conſecr.

3. Interea dum Miſſa, Officia diuina, Sacra Concio, Doctrina Chriſtiana, vel quæcunque alia Eccleſiaſtica functio peragitur, nulli in Eccleſia, vel propè ipſam ſtrepitus, clamores, aut importunæ confabulationes permittantur; Cantilenæ autem, inſtrumentorum concentus, ſaltationes, luctæ, ſpectacula, circulatorum ineptiæ, luſusue quilibet, prope Eccleſiam nunquam, nec etiam alibi per plateas dictorum Sacrorum tempore vllatenus tolerentur, inordinatas denique, ac intemperantes compotationes, taxillorum, & chartarum ludos, toto die Feſto, etiam per Carnis priuium, omnino prohibemus, ſicut & comœdias in priuatis domibus habendas prædictis diebus, & tempore, dum diuina officia celebrantur, pariter vetamus.

c. irreligioſa, diſt. 3. de Cõſec.

c. qui die, diſt. 1. de Conſecr.

4. Præterea cum in Feſtis omni ſeruili labore ſit abſtinendum, Nos ſpecialiter opera ruſtica quæcunque, opificia mechanica, quarumuis rerum, & cuiuslibet generis vecturas, mercatus, (qui cùm in ſolemnitatem aliquam incidunt, vno die anticipari poſſunt) iudicialia, contractuum rogitus, exceptis

cap. 1. de ferijs. cap. conqueſtus de ferijs.

iure permiſſis, interdicta declaramus. Officinæ quorumcunque mercatorum, atque artificum tempore Miſſæ, Concionis, ac Officij diuini ex toto claudantur, reliquo autem die, illas duntaxat, in quibus aliquid ad victum diurnum neceſſarium vẽdi ſolet, apertas, non tamen niſi oſtiolo recluſo, remanere permittimus; qui in aliquo ex præmiſſis deliquerit, vel alijs delinquentibus author fuerit, filioſue, & famulos, ne delinquerent, non impedierit, pœnis Edicti Noſtri de obſeruantia Feſtorũ per Vicarios noſtros ſeuerè mulctentur. Quod ſi quis tam impius fuerit, vt nullo Dei, legumue metu, lucri cupiditate, aut alio quouis prauo affectu adductus dies Feſtos frequentiùs violare nihil penſi duxerit, eum ad Nos prefati Vicarij, vbi in delicto deprehenſus fuerit, omnino deferant, vt vltra pœnas edictales grauiſſima aliqua extraordinaria animaduerſione coërceatur.

5. Tempore autem Vindemiarum, meſſis, recollectionis fructuum, vel quandocunque aliquid ſimile fieri neceſſitas exigit, aut pietas ſuadet, Vicarius noſter Generalis in Terra Sublaci, in reliqua Diœceſi Vicarij Foranei, atque ijs abſentibus, Parochi conſulantur, qui pro prudentia, conſcientiaque ſua, quam in hoc grauiter oneramùs, gratìs licentiam petentibus concedant, monitis priùs, ne ſe per huiuſmodi veniam religione audiendi Sacrum vlla ratione ſolutos arbitrentur. Ijdem porrò Vicarij, Curatique alijs rigidæ Feſtorum obſeruantiæ exem-

cap.final.de fer. l. 1. 2. & 3. ff. eod. tit.

exemplum præbentes, ex ſuis, ſuorumuè negotijs, ac operibus, ſine cauſa vrgentiſſima nihil fieri permittant, ne, ſi fortè, quod abſit, aliter fecerint, in ipſos, vltra pœnas Edicti, acriore cenſura animaduertere cogamur.

6. Vt autem omnia præ[illegible]ata inuiolatè ſeruentur, nec tranſgreſſoribus vlla ignorantiæ excuſatio ſuffragetur, Parochis vniuerſis diſtrictè, ſub grauibus contra negligentes pœnis, præcipimus, vt ſingula Feſta de præcepto, ſiue fixa, ſiue mobilia per vnamquamque hebdomadam recurrentia die Dominico præcedente inter Miſſarum ſolemnia populo ſignificent, & deinde pridie cuiuslibet Feſtiuitatis ſtatim poſt Angelicam ſalutationem veſpertinam parochialium campanarum, continente per aliquod ſpatium ſono ſacræ ſolemnitatis recordationem excitent. Inſuper in Epiphania Domini, Feſta mobilia totius anni inter Miſſæ celebrationem in Eccleſijs Collegiatis iuxta formulam Pontificalis Romani ſolemniter publicentur, in alijs verò Eccleſijs parochialibus italico ſermone legantur, & in Feſtis Circumciſionis, & Sancti Ioannis Baptiſtæ præfatum Noſtrum Edictum de obſeruantia Feſtorum inter Miſſarum pariter ſolemnia quotannis promulgetur.

c.Pronunciãdũ, diſt.3. de Cõſec.

Pontificale Roman.part.3. in princ.

7. Iam verò Natalē S.Benedicti principaliſſimi Inſignis huius Abbatiæ Patroni, pro Feſto ex præcepto in tota hac Diœceſi colendum declaramus. Igitur Parochi omnes præcedente die Dominico ſuum

d. Conſtitutio Vrbani VIII.

d.c. pronunciãdum, diſt.3.de Conſecr.

V 2 quiſ-

quiſque populum efficaciter moneant, vt eundem diem præcipua religione ſanctificare meminerint, nec non paternè adhortentur, vt, Sacramentali Cõfeſſione præmiſſa, ſe Sanctiſſima Eucharistia ſpiritualiter reficiant, & ſacrũ ſpecum magno habitatori tot cœleſtium gratiarum conſcium, indulgentijſque in beneficium piè accedentium abundantem deuotè inuiſere recordentur. Sanctorum denique peculiares ſolemnitates, quas huius Abbatiæ Oppida in honorem ſui quodque principalioris Patroni particularis, annua celebritate colunt, ex præcepto pariter ibidem ſeruandas ijdem Parochi opportunè præmoneant, &, vt, qua decet, maxima pietate celebrentur, ſedulò incumbant.

d. Cõnſtit. Vrbani VIII.

d.c. pronũciandum, diſt. 3. de Conſecr.

Dies Feſti obſeruandi.

Ianuarij 1. Circuncifionis Domini noſtri Ieſu Chriſti.
6. Epiphaniæ eiuſdem.
Februarij 2. Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.
24. Sancti Matthiæ Apoſtoli, & 25. anno biſſextili.
Martij 19. Sancti Ioſephi Confeſſoris.
25. Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis.
Maij 1. Sanctorum Philippi, & Iacobi Apoſtolorum.

3. In-

	3.	Inuentionis Sanctæ Crucis.
Iunij	24.	Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ.
	29.	Sanctorum Petri, & Pauli Apoſtolorum.
Iulij	25.	Sancti Iacobi Apoſtoli.
	26.	Sanctæ Annę Matris Beatæ Mariæ Virginis.
Auguſti	10.	Sancti Laurentij Maptyris.
	15.	Aſsũptionis Beatę Marię Virginis.
	25.	Sancti Bartholomæi Apoſtoli.
Septembris	8.	Natiuitatis Beatæ Mariæ Virginis.
	21.	Sancti Matthęi Apoſtoli.
	29.	Dedicationis Sancti Michaëlis Archangeli.
Octobris	28.	Sanctorum Simonis, & Iudę Apoſtolorum.
Nouembris	1.	Omnium Sanctorum.
	30.	Sancti Andreę Apoſtoli.
Decembris	21.	Sancti Thomę Apoſtoli.
	25.	Natiuitatis Domini Noſtri Ieſu Chriſti.
	26.	Sancti Stephani Protomartyris.
	27.	Sancti Ioannis Apoſtoli, & Euangeliſtæ.
	28.	Sanctorum Innocentium.
	31.	Sancti Sylueſtri Papę, & Confeſſoris.
		Dominicæ omnes per annum.
		Paſchatis Reſurrectionis Domini

No-

Noſtri Ieſu Chriſti, cum duobus ſequentibus diebus.

Aſcenſionis Eiuſdem.

Pentecoſtes cum duobus ſequentibus diebus.

Sanctiſſimę Trinitatis.

Corporis Chriſti.

Dies Feſti particulares huius Abbatiæ.

Die 15. Ianuarij. Canterani. S. Mauri Abbatis.

Die 20. Ianuarij. Cerreti. Sancti Sebaſtiani Martyris.

Die 3. Februarij. Marani. B. Blaſij Epiſcopi, & Martyris.

Die 21. Martij. Sancti Benedicti per totam Diœceſim.

Die 23. Aprilis. Pontij. S. Georgij Martyris.

Die 8. Maij. Arcis Canterani. Apparitionis Sancti Michaëlis Archangeli.

Die 6. Iunij. Iennis. Dedicationis Eccleſię Sancti Andreæ Apoſtoli.

Die 2. Iulij. Cerbariæ. Viſitationis Beatę Mariæ Virginis.

Die 10. Iulij. Affilarum. Sanctę Felicitatis Martyris.

Die 10. Iulij. Hierani. Sanctę Anatoliæ, & Audacis Martyrum, quorum Corpora requieſcunt in Baſilica Monaſterij S. Scholaſticę.

Die

Die 22. Iulij. Arcis Mediæ. S. Marię Magdalenę.

Die 5. Auguſti. Ciuitellanum. S. Sixti Papæ, & Martyris.

Die 28. Auguſti. Auguſtæ. S. Auguſtini Epiſcopi.


Die 31. Auguſti. Trebarum. S. Petri Eremitę, cuius Corpus requieſcit in Eccleſia ſubterranea Collegiatæ S. Marię Trebarum.

Die 1. Septembris. Cammeratæ. S. Ægidij Abbatis.

Die 13. Octobris. In Terra Sublaci. S. Chelidonię, cuius Reliquię requieſcunt in hac Eccleſia Abbatiali S. Scholaſticæ.

Die 9. Nouembris. Roiatis. Dedicationis Sanctiſſimi Saluatoris.

Die 26. Decembris. Arcis Sancti Stephani. S. Stephani Protomartyris.



De

De Ieiunio.

CAPVT XIX.

c. Quadrageſima diſt. 5. de conſ. Cõc. Trid. ſeſs. 25. de delectu cibor. c. ſint tibi ead. diſt. Conc. Trid vbi ſupra.

1 Ciborum delectus, & Ieiunia, quibus Deo cultus, Eccleſiæ obſequiũ, carni ſalutaris mortificatio, animæ ſanctificationis remedium præſtantur, vt à Fidelibus quibuſcunque pręcipua religione obſeruentur, omni diligentia curandum eſt.

c. 1. diſt. 3. de conſecr. cap. 2. de obſeruat. ieiunij diſt. 76. per totam. c. denique diſt. 4.

2. Parochi itaque Vigilias, & quatuor anni tempora, præcedentibus diebus Dominicis inter Miſſæ celebrationem populo diligenter notificent; ſimul denunciando grauem obligationem, omnibus à carne, alijſque vetitis cibis abſtinendi, egreſſis verò vigeſimum primum ætatis annum, nulla legitima cauſa impediente, etiam ieiunandi ita, vt, non, niſi ſemel in die circa meridiẽ comedant, nec aliam deinde refectionem præterquàm ſerotinam, ac parcam capiant. Idque ipſum, pridie quàm ieiunandum ſit, prima circiter noctis hora, parochialis campanæ continuo per medium quadrantem ſono, cunctis in memoriam reuocetur: nec non media nocte ante ſolemnia Cinerum, eiuſdem ſigni per dimidiam horam prius continuati ceſſatione, quadrageſimale ieiunium tunc incipere ſignificetur.

3. Toto

3. Toto porrò Ieiunij tempore præfatos cibos publicè vendere, venales exponere, aut emere nemini liceat; ad vſum autem Infirmorum in ſecreto ijs duntaxat vendantur, qui teſtificationem Medici à ſuo Parocho ſubſcriptam, ac in Terra Sublaci à Vicario noſtro Generali, in reliqua verò Diœceſi à proprio Vicario Foraneo approbatam exhibuerint, ſub pœna duorum ſcutorum pro qualibet vice, alijſque noſtro arbitrio contra tranſgreſſores ſtatuendis. In locis verò, vbi copia Medici deeſt, prudentia, ac iudicium Parochorum, & Vicariorum Foraneorum ad hunc effectum ſuppleat, qui, ſicut & alij ſupradicti, quibus hanc facultatem impertimur, huiuſmodi teſtificationes, & approbationes gratis omnino, nec niſi cauſa maturè examinata, in quo ipſorum conſcientias oneramus, vllatenus concedant.

cap. 2. de obſer. ieiunij.

4. Vt autem Sacrum, & maximè acceptabile Quadrageſimæ tempus, eo, quo debet, fructu, à populis celebretur, eos Parochi efficaciter, & opportunè præmoneant, illius obſeruationem, licentia, atque intemperantia præcedentium dierum non rectè ſuſcipi, nec in peccatis ieiunando benè peragi, & ſine magno ieiunio, abſtinentia ſcilicet iniquitatum, Paſchali cæleſtis panis ſaturitate non licere frui. Propterea, vt omnis, non ſolum culpa, ſed etiam culpæ occaſio cautiùs tunc, quàm aliàs vitari poſſit, à Feria quarta Cinerum vſque ad Feſtum Paſchatis, ſpectacula inania, comœdias, tripudia, compotationes, conuiuia, alearum, & taxillorum

Conc. Trid. cap. 5. ſeſs. 14. de pœnitentia.

c. Denique diſt. 4.

Eccleſiaſt. 34. 31.

c. Ieiunium diſt. 5. de Conſecr.

c. Nihil enim prodeſt ead. diſt.

c. Ieiunium diſt 76.

Digitized by Google

ludos, & quælibet licentioſa conuenticula ſub grauibus pœnis, tam contra auctores, quàm contra quomodocunque aſſiſtentes diſtrictè prohibemus. Omnes denique in Domino hortamur, & Parochi quoque Vigilias ab Eccleſia præceptas denunciantes ſuo tempore opportuna adhortatione inſtent, vt cuncti illam etiam Sancti Benedicti, glorioſiſſimi Abbatiæ huius totius Patroni, nec non illas Sanctorum Tutelarium ſui quiſque Oppidi cum ieiunio deuotè velint celebrare.

Dies Ieiuniorum.

Quadrageſimæ ſinguli dies, exceptis Dominicis.
Quatuor Tempora totius anni, videlicet.
Hyemalia, menſe Decembri poſt Feſtum S. Luciæ.
Vernalia, poſt primam Dominicam Quadrageſimæ.
Æſtiua, poſt Dominicam Pentecoſtes.
Autumnalia, menſe Septembri poſt Feſtum Exaltationis Sanctæ Crucis.
Vigilia Pentecoſtes.
Vigilia Sancti Matthię 23. Februarij, & 24. in anno biſſextili.
Vigilia Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ 23. Iunij.
Vigilia Sanctorum Petri, & Pauli 28. Iunij.
Vigilia Sancti Iacobi 24. Iulij.
Vigilia S. Laurentij Martyris 9. Auguſti.
Vigilia Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis 14. Auguſti.

Vi-

Vigilia Sancti Bartholomæi Apoſtoli 24. Auguſti.
Vigilia S. Matthæi Apoſtoli 20. Septembris.
Vigilia Sanctorum Simonis, & Iudæ Apoſtolorum 27. Octobris.
Vigilia Omnium Sanctorum 31. Octobris.
Vigilia Sancti Andreæ Apoſtoli 29. Nouembris.
Vigilia Sancti Thomæ Apoſtoli 20. Decembris.
Vigilia Natiuitatis Domini Noſtri Ieſu Chriſti 24. Decembris.

Feria ſexta, & Sabbatho per totum annum eſus carnis interdicitur.

c. Ieiunia, & c. Sabbatho, diſt. 3. de Conſecr. c. quia dies, diſt. 5. de Conſecr.



De Proceſſionibus.

CAPVT XX.

1 QVanto iure Catholica Eccleſia Mater noſtra à Spiritu Sancto edocta ſolemnem ſupplicationum, Litaniarum, atque Proceſſionum vſum ab ipſo ſui exordio amplexa ſit, & in hunc vſque diem retentum etiamnum Fidelibus commendet, vſurpetque, non modò veteris, nouique Teſtamenti exempla, ſed & pericula vſque imminentia, neceſſitates tum priuatæ, tum publicæ continenter vrgentes, & beneficia, quibus à Domino quotidie cumulamur, luculenter, & abunde comprobant.

1.Reg.7.2.Reg.6.& alibi paſſim, vbi fit ſermo de Arca. Baronius in notis ad Martyrolog.Roman.25. Aprilis. Item in Annalibus anno Domini 58. Cōcilium Bracharenſe 3. anno Domin.675.

Quamobrem ne optimus, & probatiſſimus colendi, placandi, atque exortandi Deum mos in hac Noſtra Diœceſi ceſſet, aut vlla profana fœditate deturpetur, quinimò qua decet modeſtia, & ordine, tam à Clero, quàm à Populo noſtræ curæ commiſſis peragatur,& ad poſteros quaſi per manus illibatus transferatur, Prohibemus omnino, ne proceſſiones vllæ nocturno fiant tempore, quarum occaſione magis oriri ſcandala, quàm augeri pietatem, experientia docet.

2. Vetamus quoque, ne abſque Noſtra, vel Vi-

Vicarij noſtri Generalis licentia vllæ nouę proceſſiones, ſiue publicæ, ſiue priuatæ inſtituantur. Regulares autem intra Clauſtri ambitum, aut circa Eccleſiarum ſuarum duntaxat muros proceſſiones ſuas ducant.

3. Et quoniam functionem hanc maxima Fidelium modeſtia, & humilitas, cum primis commendant, arceantur ab eadem repræſentationum, & ſpectaculorum, ſeu noua inuenta, ſeu veteres abuſus, & maximè ſacrarum veſtium geſtationes.

4. Quoties verò publicæ proceſſiones, ſiue ex Eccleſiæ more, vti in maioribus Litanijs, in Rogationibus, & in Feſto Sanctiſſimi Corporis Chriſti, pro diuerſa locorum conſuetudine, fient, ſiue aliæ ob publicam cauſam à Nobis indicentur, meminerint eis intereſſe debere Clerici omnes tam in minoribus, quàm in maioribus ordinum gradibus conſtituti, talarem veſtem, mundum ſuperpelliceum, & biretum amicti, abſque pileo tamen, pallioque, niſi pluuia, aut ventorum vis, aëriſue intemperies aliter permittendum perſuaſerit: chirothecas tamen, aut flores manu geſtari omnino prohibemus.

Conueniant pariter, & proceſſionibus interſint Regulares quicunq; iuxta Sacroſancti Concilij Tridentini Decreta, Sacrarum Congregationum reſpōſa, & reiterata reſcripta. Similiter interuenire teneātur quarumcunque Societatum, ſeu Confraternitatum tum Priores, tum Sodales, ſaccos talares ge-

Seſſ. 25. c. 13. de Regul. Sac. Cong. Concil. in Interamnen. 18. Auguſti 1663.

ſtantes

ſtantes cum ſuis quique Crucibus, vexillis, ſeu labaris; ſed caueant diligenter, ne vllo pacto arma vllius generis ſiue palam, ſiue clam ferre præſumãt, niſi velint grauiſſimis pœnis à Nobis infligendis ſubiacere.

2.Paralip. 12.v. 7.c.12.v.5.c.34. v.27. Iudith.4.v.5. Eſther.14.v.1.

5. Et ne hanc circa functionem, quæ humiliationis coram Domino ſpecimen eſſe debet, vllæ de præcedentia controuerſiæ, quæ vix à ſuperbiæ ſpiritu, certè quidem à ſcandalo rariſſimè ſeparari ſolent, intempeſtiuè exoriantur, eas omnes ad Nos opportuno tempore deferri iubemus iuxta Sac. Concilij Tridentini ſancita, & Summorum Pontificum Bullas definiendas, aut maturè componendas. Quòd ſi per temporis anguſtias id fieri nequeat, vtpote imminente, aut iam inchoata proceſſionis faciendę hora, ad euitanda ſcandala, & ad ſaluanda partium iura, fiant conſuetę coram teſtibus proteſtationes: & iuxta Euangelicum monitum, & Apoſtolicam ſuaſionem *ex charitate fraternitatis honore inuicem præuenientes*, recumbere in nouiſſimo loco non erubeſcant, primum ſuo tempore maiori cum gloria, & cum aduerſantium rubore aſcenſuri, neque vllum ſibi prẹiudicium vnico illo actu facturi.

vbi ſupra ſeſſ. 25.c.13. de Regular. Gregor. XIII. Bulla incipien. Expoſcit.

Lucæ 14.verſ.8. & ſeq. Rom.12.v.10.

Lucæ 14. v. 10. & 11.

6. Præcipimus verò, vt præfati omnes ſtatuendis per Vicarios noſtros tempore, & hora adeſſe procurent, & vt hora prima noctis proceſſionem præcedentis, omnium loci Eccleſiarum campanæ pulſentur, quò earum ſonus, non modò ſit ſignum futuræ proceſſionis, ſed etiam eodem ad inſequentis

Digitized by Google

tis diei functionem tum præfati, tum populus ipſe inuitati, & commoniti, ad pietatem, & deuotionem ſeſe componant, & iam tum religiosè præparent.

7. Summo mane, antequam ſupplicationes progredi incipiant, viæ omnes, per quas tranſeundum fuerit, à vicinis eas incolentibus verrantur, & abſterſæ ſordes, è dictis vijs amoueantur: claudantur quoque omnes opificum officinæ, atque hi pariter artis ſuæ exercitia, etiam Ferialibus diebus, tandiu intermittant, quouſque proceſſio è conſpectu abierit.

8. Statuta verò per Vicarios noſtros hora omnes, qui proceſſionibus publicis interuenire tenentur, ad Eccleſiam maiorem conuenientes, nullo pacto per eandem vagentur, ſed delecto ſibi loco conſiſtentes, & orationibus cum ſilentio vacantes, expectent ſolemnis Miſſæ, aut, poſt meridiem, Veſperarum finem, donec per Cæremoniarum Magiſtrum ſuo vnicuique procedendi loco, & ordine adſignato, præcedentem propriam Crucem, & vexillum ſequentes bini, & bini adinſtar diſcipulorum Chriſti progrediantur, & magna cum modeſtia, grauitate, & pietatis exemplo, Pſalmos, Hymnos, Litanias, aliaſque conſuetas preces alternatim concinentes, æquis, quantum licuerit, paſſibus, lentoque magis, quàm feſtino gradu, & ordine, quem nulli liceat interturbare, ad deſignatam Eccleſiam, ſeu conſuetos proceſſionum terminos pergant, nec Marc.6.v.7. Luc.10.v.1.

inde

inde diſcedant, quouſque preces, & functiones ſolitæ ritè, & pro more peractæ fuerint.

9. Hęc porrò Decreta tum in omni ſupplicationum, Litaniarum, ſeu proceſſionum functione obſeruari volumus, & mandamus, tum præcipuè in ſolemniſſima illa Sanctiſſimi Corporis Chriſti quotannis celebranda, vtì in capite de Diuiniſſimo Euchariſtiæ Sacramento ſtrictiùs præſcripſimus, & hic dènuò iubemus, enixè hortantes, monentes, atque mandantes, vt tam Sancti Feſti celebritas quàm maxima, & quàm religioſiſſima fieri poterit pompa, ſanctè peragatur, reiectis planè abuſibus, quibus Religio, pietas, & modeſtia ſuccedant: quarum virtutum impulſu, & plebi perſuaſum eſſe debet, & nos iubere cogimur, ne vlli Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum è feneſtris proſpicientes, ſed in ipſis ſaltem domorum ſuarum ianuis, proni adorent.

Tit. 2. v. 12. Ioel. 2. v. 12. 10. Poſtremùm, quoniam Fideles omnes ſobriè, iuſtè, & piè viuere oportet in hoc Seculo, atque in neceſſitatibus ſuis, per ieiunia, fletum, & planctum Dominum deprecari, hortamur in Domino, monemus, atque etiam iubemus, vt ſub pœnis Noſtro arbitrio infligendis, neque in ipſo actu, neque ante, neque poſt proceſſiones vllas, permittantur comeſtiones, comeſſationes, compotationes, immoderata conuiuia, aut vllæ profanæ lætitiæ demonſtrationes: tollanturque omnino omnes per Oppidum diuagationes, viſitationes Cauponarum

narum frequentationes, præſertim cum ſaccorum, & indumentorum peculiarium geſtatione, quibus in ipſis proceſſionibus veſtiri Sodales, Confratres, alijue conſueſcunt: &, ſi Vicarij, aut Parochi, ſiue à Sodalitatum, Confratribus, ſiue ab vllis alijs peccari in his animaduerterint, confeſtim ad Nos delinquentes deferant, vt tam introducti abuſus radicitus tollantur, & euellantur, quàm enaſcentes in ipſa origine per Noſtra mandata elidantur.

De Vita, & Honeſtate Clericorum.

CAPVT XXI.

Deuter. 18. v. 2.

1 CLerici Dominum in hæreditatem ſortiti, nominis ſui vi intellecta, id re ipſa eſſe, quod dicuntur, ſedulò ſtudere debent; ita datæ ſortis curas, omnibus alijs abdicatis, exercentes, vt cęteris Fideli-

Matthęi 5. v. 13.

bus, tum doctrinæ ſuæ lumine, tanquam Lucerna ſuper candelabrum poſita præluceant, tum bonorum operum exemplo, ceu ſalis condimento, acriorem veræ virtutis guſtum excitent; id quod etiam alieni ſcandali vitandi, ac propriæ dignitatis conſer-

2. ad Corinth. 6. v. 3.

uandæ zelo quàm ſtudioſiſſimè præſtare decet, *nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum*, ab ijs, qui in actiones Eccleſiaſti-

cap. Qualiter, & quando, de accuſat.

cap. Magnæ, de voto.

corum, quaſi ſignum ad ſagittam poſitum, intenti, ſi quando eos labi animaduerterint: *Vbi eſt Deus Clericorum?* protinus exclamant; atque inſuper tantis ſub authoribus licentiùs prauis affectibus indulgent,

Leuit. 4. v. 3.

iuxta illud Diuinum dictum; *Si Sacerdos, qui eſt vnctus, peccauerit, faciet delinquere populum.*

2. Vt ergo omnes ex hac Noſtra Diœceſi in ſortem Domini vocati coram ipſo, & hominibus, quantum humana fragilitas patitur, irreprehenſibi-

les.

Digitized by Google

les ſint, ſcientiæ, pietatiſque documenta, & clericalium functionum peritiam, pro ſui quiſque captus modulo, ſibi indefeſsè comparent, ex liberalium artium, ſacrarum Literarum, Canonicarum ſanctionum ſtudijs, Catechiſmi, Ritualis Romani, Rubricarum, ac præcipuè huius Synodi frequenti lectione, quò inſtructiores euadant ad omnia dignè, & ritè exequenda, quæ ad ipſos pertinentia, in eadem, non ſolum hic, ſed alibi paſſim ſparſa præcipiuntur.

3. Et quia gens ſancta interiore cordis affectu Chriſtum induta, exteriori quoque corporis cultu conſpicua eſſe debet, idcircò in prima Tonſura, vel minoribus ordinibus conſtituti, ſi priuilegijs clericalibus gaudere velint, habitum, & tonſuram clericalem geſtent, & Eccleſijs, quibus ſunt adſcripti, diligenter inſeruiant. Qui autem habitum dimiſerit, & inſtar laici, ſecularibus negotijs ſe immiſcendo, vitam duxerit, ac poſtea Nobis inconſultis reaſſumpſerit, dicta priuilegia ſibi non ſuffragari ſciat. In ſacris verò exiſtentes, omneſque in quolibet ordine beneficia eccleſiaſtica obtinentes, præfato habitu, & congruenti tonſura vbique, & aſſiduè vtantur, ſub pœnis ſuſpenſionis ab ordinibus ad formam Sacri Concilij Tridentini, & priuationis beneficiorum ipſo facto reſpectiuè incurrendis; qui habitus diebus ſaltem Feſtis, atque etiam Feriatis in Miſſæ celebratione, ac quotieſcunque ſacra alia functio peragenda fuerit, talaris eſſe debet, nullo

Conc. Trid. c. 6. ſeſſ. 23. de refor.

Conc. Trid. c. 6. ſeſſ. 14. de refor. Conſtit. 92. Sixti V. incipien. Cũ Sacroſanctam.

Sac. Cong. Epiſcop. Vliſſipon. 20.Octob.1589. Clement.fin. de vita, & honeſt. Clericor. c.Clericus,diſt.41. Gloſſ. in Clem. 2.de vita,& honeſt.Clericor.in verbo,& tonſuram.
Conſt. B.Pij V. de reform.Cleri Romani.
Abbas ad cap. Clerici, il ſecódo n.17. de vita & honeſt. Cler.
Conc.Trid. c.9. & 16. ſeſſ.23.de reform.
Sac. Conc. ibid. cap.14.
cap. 1. & c. dolentes de celeb. Miſſar.
Leo X.in Conc. Lateranen. ſeſſ. 9. c.9. Bulla B. Pij V.135. Sac.Cong.Concilij in Verulana 8. Martij 1659.
c.ſi quis,diſt.36. cap.Sacerdotes, diſt.37.

autem tempore ita breuis, vt infra genua non deſcendat; interiora quoque veſtimenta, nec non caligæ, & calceamenta tam coloris modeſtia, quàm cultus ſimplicitate religioſam præſeferant humilitatem: Barba etiam, caputque ad eccleſiaſticam diſciplinam ita ſint detonſa, vt, decurtatis æquali circum circà tonſura capillis, aures vtrinque pateant, nec ſuperioris labri longiuſculis pilis Sacerdos inter cōmunicandum impediatur. Exaduerſo cauendum, ne nimia corporis incuria, ac laceræ veſtis deformitate Clericalis dignitas vileſcat.

4. Clerici quotidie Miſſam deuotè audiant; Eccleſias, quibus ſunt adſcripti, Nobis inconſultis non deſerant, Sacram Communionem, Doctrinam Chriſtianam, collationes Caſuum conſcientiæ, iuxta ſuperiùs ſancita, frequentent. Sacerdotes diebus ſaltem Dominicis, & Feſtis ſolemnibus Sacrum faciant. Omnes verò, qui ad Diuini officij recitationem, ſiue Ordinis ſuſcepti, ſiue beneficij ratione tenentur, eaſdem competentibus horis ſtudioſè celebrent, pariter, & deuotè, nec vnquam ſub pœnis per Apoſtolicas conſtitutiones ſancitis omittere pręſumant. Preces vocales, atque etiam mentales cum meditationibus, pro ſua quiſque pietate, religioſè fundant. Libros pios crebrò euoluant, inanes, ſcurriles, & impuros, ne nominari quidem apud ſe permittant. Tempus, quod ſupererit, ſi quod tamen tot ſanctæ occupationes ſupereſſe ſinant, illud ſeorſim à turba, cum viris bonæ famæ, & quantùm fieri

poteſt,

Digitized by Google

poteſt, Eccleſiaſticis, honeſtæ alicui potius conuerſationi, quàm otioſis per ſtationes confabulationibus, damnatorumue Ludorum conuenticulis, erit impendendum.

cap. ſtatuimus, diſt.4.
c.Laicos 2. q.7.
Gloſſ.in c. continebatur, de homicidio.
c. dolentes, de celebr. Miſſar.
c.Clerici officia de vita, & honeſt. Cleric.
l.fin. C. de religioſ. ſumpt. funerum.
c. Epiſcopus, diſt.35.
d.c.Clerici,de vita, & honeſt.
Conc.Trid. c.1. ſeſſ.22.de refor.

5. Aleas enim, chartaſque luſorias, ac ſimilia, quibus interdum ludentium animi auocantur à Diuinis, reditus etiam eccleſiaſtici nefariè profunduntur, Dei, & Sanctorum nomen impiè blaſphematur, nec rarò ad fœdiſſima crimina proluditur, ſibi omnino interdicta eſſe per Sacros Canones ſcire debent, quos Nos in hac noſtra Abbatia authoritate per Sacrum Concilium Tridentinum Nobis attributa, quatenùs opus eſt inſtaurantes, diſtrictè præcipimus, nè Sacerdotes, alijque in ſacris Ordinibus conſtituti taxillis, aleis, folijſque luſorijs, ſub pœna ſuſpenſionis à Diuinis ipſo facto incurrendæ, vllo pacto ludere audeant; Clerici verò alij quicumque, præſertim beneficia eccleſiaſtica obtinentes, præfatis ludis, aut ſimilibus ludere: Domum autem tam iſti, quàm ſacris initiati ad ludendum commodare, ludi quouis modo participes, vel ſpectatores eſſe omnino caueant, ſub pœna quinque ſcutorum contrà commodantes domum, contrà reliquos verò vnius ſcuti pro prima vice, pro alijs vicibus augenda, ad Edicti Noſtri ſuper hoc editi præſcriptum. Eiſdem inſuper denunciamus, eos, qui in publico cum laicis pila, iactuuè diſci, vulgo, *alla Ruzzola*, luſerint, ſex iuliorum pœna, maiorique arbitrio Noſtro eſſe puniendos.

l. 1. ff. de aleæ luſu, & aleatoribus.

6. A

Digitized by Google

c. 1. de Clerico venatore. c. Eſau, diſt. 86. c. 1. ne Clerici, vel Mon. c. Clerici arma, de vita, & honeſt. Clericor. c. quicunque ex Clero 23. q. 8.

6. A venationibus, in quibus canum, armorum, clamorumque ſtrepitus interuenire ſolent, omnino abſtineant, neque hoc, aut qualicunque alio prętextu vllum armorum genus, de die, vel de nocte, vbilibet, ſub pœnis amiſſionis eorumdem, pecuniarijs, carceris, alijſque iuxta Edictum Noſtrum pro loci, temporis, armorumque ratione ferre audeant, niſi in itinere, vel aliter imminente periculo, & tunc quoque licentiam à Nobis, vel à Vicario noſtro Generali in ſcriptis obtinendam intelligant.

cap. his igitur, diſt. 23. cap. Presbyteri, diſt. 34. cap 1. diſt. 44.

7. Conuiuia Secularia, ne cuius dicti, factiue intemperantis, aut ipſi alijs, aut alij ipſis contra Sacerdotalis reuerentiæ decorum teſtes eſſe cogantur, enixè fugiant, & vbique victus frugalitati ſtudeant, à ſolemnibus epulis occaſione quarundam Feſtiuitatum in hac Diœceſi fieri ſolitis, & à Nobis mox per aliam Synodalem conſtitutionem, quantum fieri poteſt, intra modum ſobrij conuictus cohibendis, omnino abſtineant, parca menſa in alio cubiculo ſeorſim à Laicis ſine vllo conuiuali apparatu inſtruenda excipiendi, ſub pœnis ſcutorum ſex contra officiales dictarum Feſtiuitatum, & cenſurarum aduerſus Eccleſiaſticos, ſi quid ſecus fuerit attentatum. Tabernas, niſi itineris neceſſitate compulſi, ſub pœna carceris, & trium ſcutorum pro qualibet vice, non ingrediantur. Vino, *in quo eſt Luxuria*, modicè vtantur, memores ebrietatem peſſimorum vitiorum fomitem, & nutricem, cenſuris, atque

c. Clerici officia de vita, & honeſt. Clericor. cap. Clerici, diſt. 44. Ad Epheſios 5. v. 18.

etiam

etiam corporalibus ſupplicijs in Clericis eſſe caſtigandam.

8. Choreis, ſpectaculis ſcænicis, vlliſue alijs cœtibus, vbi amatoria, & turpia obſcænis verbis, atque indecoris corporis motibus, laſciuoque cantu exprimuntur, nullo modo interſint, ipſos autem Clericos, præſertim ſacris ordinibus initiatos, in profanis comœdijs, aut etiam ſine Noſtra licentia in ſpiritualibus repreſentationibus actores fieri, aut denique laruatos, ſeu perſonatos in publicum prodire ſub ſuſpenſionis, alijſque arbitrarijs pœnis prohibemus. Nocte domi ſe contineant, & ſi qua vrgente cauſa exeundum erit, in habitu clericali, ac etiam poſt ſecundam noctis horam cum lumine, nec voce, nec fidibus canendo, canenteſue comitando, ſub ſeueris pœnis, modeſtè incedant.

cap. à crapula, de vita, & honeſtat. Clericor.
c. ante omnia, diſt. 3.
d. c. Clerici officia, de vita, & honeſt. Cleric.
Conc. Trid. cap. 12. ſeſſ. 24. de reform.
cap. Presbyteri, diſt. 34.
cap. Epiſcopus, diſt. 35.
c. non oportet, diſt. 5. de Conſecr.
c. cũ decorem, de vita, & honeſt. Clericor.

9. Cum Clericis per Sacros Canones diſtrictè prohibitum ſit ſecum in eadem habitatione retinere quaſcunque fœminas, etiam non ſuſpectas, præterquam vſque ad ſecundum conſanguinitatis, vel affinitatis gradum coniunctas, nempè matres, auias, ſorores, materteras, amitas, fratrum, & ſororum filias, & filiorum vxores; propterea edicimus, ne vllam mulierem ſub quouis, etiam ancillæ, ſeu famulæ nomine, licet honeſtæ ſemper famę, & quinquagenaria maiorem, ſine Noſtra, vel Vicarij noſtri Generalis licentia ſub grauiſſimis pœnis domi ſecum habere præſumant. Monemus inſuper, vt omne incontinentiæ periculum, ac ſuſpicionem

cap. 1. de vita, & honeſt. Cleric.
c. interdixit 32. diſtinct.
c. cum omnibus 81. diſt.

cautè

cautè vitantes, extranearum quoque fœminarum ædes, familiaritates, congreſſus, ſecreta colloquia quouis officij, aut pietatis prętextu nullatenus frequentent, ne fortè vigilantiſſima per Curiam Noſtram ſuper talibus habenda inquiſitione, in impudicitię ſordibus verſari deprehenſi, indignationis Noſtræ ad Sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini præſcriptum diſtringendę experiantur ſeueritatem.

c. Clericus, & c. Clerici, diſt. 81. cap. his igitur, diſt. 23.

c. ſi quis Epiſcopus, 81. diſt. Conc. Trid. cap. 14. ſeſſ. 25. de reform.

10. Quia Deo militantes nec lucrum ſectari, nec negotijs ſecularibus implicari decet, ideò nullum mercaturæ, aut negotiationis genus per ſe, vel per alium exerceant, aliena prædia, reditus, vectigalia non conducant, nec vlla cum conductoribus communione iungantur; fructus, bona, iura, ſuorum beneficiorum fideliter, & diligenter tuentes, aliena non vſurpent. Publicis Vniuerſitatum Concilijs non interſint, nec earum negotijs ſe immiſceant. Tabellionatus in profanis rebus officium non capeſſant. Nō Aduocati, vel Procuratoris extra caſus à iure permiſſos, & abſque Noſtra licentia, munus ſuſcipiāt, nec pariter fideiuſſionibus pro Laicis ſine dicta licentia inſeruiant. Non alijs Clericis in occupatione vili, nec Secularibus perſonis, præcipuè fœminis, in vlla, ne in procurandis quidem negotijs, aut domus gubernatione famulentur; in nullo demum commercio, officio, aut arte ſeculari, præſertim inhoneſta, ac ſordida vllatenus verſentur. Qui in aliquo ex præmiſſis deliquerit, ſe poe-

1. ad Timoth. 3. v. 8.
2. ad Timoth. 2. v. 4.
cap. ex literis, de vita, & honeſt. Clericor.
c. 1. ne Clerici, vel Monachi.
Conc. Trid. cap. 11. ſeſſ. 22. de reform.
c. Te quidem 11. q. 1.
c. 1. de fideiuſſ.
c. 2. ne Clerici, vel Monachi.
cap. peruenit, diſt. 86.
c. Clerici officia de vita, & honeſt. Cleric.
Clem. 1. eod. tit.

pœnis Iuris, alijſque arbitratu Noſtro ſeuerè puniendum nouerit.

11 Denique, cum Clericorum vita cæteris Fidelibus rectè viuendi norma eſſe debeat, eos in Domino obſecramus, atque etiam iure Noſtro monemus, vt domi ſe, ſuaque, religioſa diſciplina componant, raro per publicum, grauique inceſſu, oculorum, totiuſque corporis modeſto habitu interiorem animi moderationem oſtendant, in Eccleſia frequentes ſuo quiſque miniſterio, & diuino cultui intenti, nihil, niſi ſanctum, faciant, aut cogitent, vbique morum innocentia, tacendi, loquendi, atque agendi prudentia, in Superiores reuerentia, ac obedientia, erga alios benignitate, inter ſe fraterno amore, vocationis, qua vocati ſunt, memores appareant, *cum omni humilitate, & patientia ſupportantes inuicem in charitate*, imitanteſque Manſuetudinem Chriſti, *qui cum percuteretur, non repercutiebat, cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur*. Quod ſi quis Clericus contentioſus, ſeditioſus, maledicus, obtrectator, fratrum profectibus inuidens Eccleſiaſticam quietem aperturbare compertus fuerit, noſtram profectò, Sacrorumque Canonum non impunè prouocauerit diſtrictionem.

c. Clericus, diſt. 41.
c. his igitur, diſt. 23.
c. ſi quis, diſt. 36.
cap. ſit Rector, diſt. 43.
Ad Epheſ. 4. 3.
2. Petr. 2.
c. ſi quis, diſt. 90.
c. Accuſatores.
c. Seditionarius.
c. Clericus maledicus.
c. Inuidens, diſt. 46.

De Officio Parochi :

CAPVT XXII.

QVanta Eccleſiarum Ducibus, ac Paſtoribus animarum, *quas Chriſtus acquiſiuit ſanguine ſuo*, in crediti ſibi gregis regimine adhibenda ſit vigilantia, exacti muneris ratio Supremo Paſtorum Principi diſtrictiſſimè ab ipſis reddēda apertè nos docet, dum commiſſarum ouium ſanguinem, quæ ex cuſtodum fortaſſe incuria peribunt, in extremi examinis die de illorum manibus ſeuerus iudex requiret. Idcirco altiſſimi huius oneris proponendæ à nobis rationes totam ad ſe reuocant mentis noſtræ ſolicitudinem. Licet enim omnia penè in hac Noſtra Synodo huc vſque ſancita ad rectam, ac ſolertem Paſtoralis officij adminiſtrationem pertinere dignoſcantur, non ſatis tamen muneri Noſtro adhuc factum cenſuimus, niſi alia hìc etiam animarum Rectoribus diſertiùs, ac firmiùs de grauiſſimo ipſorum miniſterio ediceremus.

1 Act. Apoſtolor. c.20. v.28.

1. Petri c.5. v.4.

Ezechiel. c. 33. v.6.

2. Meminerint ergo Parochi, ſublimem proprij muneris vocationem ſæpiùs recogitantes, Fidei ſcientia, ac morum ſanctitate ita cæteros antecellere, vt Chriſti gregem tam verbi doctrina, quàm operum exemplo paſcentes, non vt dominantes in

1. Petri c.5. v.3.

Cleris,

Digitized by Google

Cleris; ſed *forma facti gregis ex animo*, Fideles myſteriorum Dei diſpenſatores reputentur. Sciant proinde omnia ſuperiùs præſcripta de vita, & honeſtate Clericorum, ad ipſos potiſſimùm pertinere, qui in altiorem, & ſublimiorem officij, ac honoris gradum aſſumpti, & quaſi in ſpecula conſtituti, vitæ integritate, ac ſanctimonia reliquis anteire, & prælucere tenentur. Præterea, quæ ſuperiùs enixè decreuimus, de Diuini Verbi prædicatione, de Chriſtianæ Fidei rudimentis edocendis, de Feſtorum, ac Ieiuniorum indictione, præſertim verò de Sacramentorum adminiſtratione (quod præcipuum ipſorum munus eſt) exactiſſimè calleant, ac diligenter exequantur, crebrò relegentes ſpecialem inſtructionem, quam pro ipſis in Synodi appendice reponemus. Nec modò, quæ ad ipſos attinent, ſed & ad Populum ſpectantia Noſtrarum conſtitutionum decreta, omnino obſeruari curabunt, vigilum Paſtorum munia ſolerter peragentes, cunctoſque, ſi qui fortè hominum vitio, vel temporum iniuria aduerſus eas abuſus irrepſerint, Nobis, aut Vicario noſtro Generali denunciaturi.

1. ad Corinth. c.4.v.1.

3. Habeant proinde ſinguli, ac frequenter perlegant Noſtras haſce Synodales conſtitutiones, quas illis quamprimùm diſtribui curabimus, ac præter eas ſummam aliquam Caſuum conſcientiæ, vel Canonum, Concilium Tridentinum, Catechiſmū, & Rituale Romanum, apud ſe ſemper retineant, & aſſiduo ſtudio reuoluant, vt ita ad propria munera

Digitized by Google

rite obeunda pleniſſimè inſtruantur. Et hos quidem libros in Viſitatione Nobis, ſeu Viſitatoribus Noſtris exhibere teneantur, graues pœnas arbitrio Noſtro daturi, ſi illis carere quandoque deprehenſi fuerint. Eos inſuper enixè in Domino hortamur, vt vltra pios Aſceticos, librum aliquem habendis concionibus accommodatum, item alium, quo in officijs erga Infirmos ab ipſis ſedulò exhibendis erudiantur, ac demum Sacrarum Literarum libros ſibi comparent, quos à Sacris Canonibus frequenter legere admonentur, vt docendi officium, quod ſuſceperunt, fructuoſiùs, ac faciliùs exequantur.

c.ignorantia, c. quæ ipſis, & c. ſi iuxta 38. diſt.

Matth. cap. 10. verſ.14.

4. Animarum curam ſibi commiſſam, non per alios, ad quos de ouibus non pertinet, ſed per ſe ipſos adminiſtrent, niſi fortè legitima intercedente cauſa, Nobiſque aſſentientibus, approbati Sacerdotis miniſterio indiguerint: nec tamen ſe propterea, aut reſidentiæ lege ſolutos, aut ab alijs Paſtoralibus munijs, quæ illis interdicta non fuerint, immunes exiſtiment. Eorum proinde deſidiam, ac damnabilem negligentiam ſummoperè improbamus, qui cum aut ex conſuetudine, aut ex pia aliqua inſtitutione, ſiue alia de cauſa in regimine animarum adiutores acceperint, de temporalibus lucris ſolummodò ſoliciti, ac diuinis humana præferentes, inexcuſabili torpore, totum in illos onus paſcendarum ouium reijciunt, quas ipſi arctiſſimis legibus regendas ſuſceperunt.

Sacr. Congreg. in vna Tarentina 28. Februarij 1614. apud Nicol. in verbo cura n.5.

Matth. cap. 10, v.12.

5. Non itaque Mercenarij more, *qui dimittit oues*,

Digitized by Google

oues, & fugit, ſed boni Paſtoris exempla ſectantes, in Eccleſijs, quas regunt, abſque intermiſſione reſideant, nec inde, vltra biduum abfuturi, ſub quoui prætextu, ſeu publicæ, ſeu priuatæ neceſſitatis, etiam idoneo Vicario relicto, diſcedere præſumant, abſque Noſtra ſpeciali licentia, quam extra tempus Aduentus, vel Quadrageſimæ, ac ſolemniores anni Feſtiuitates, iuſta, & graui cauſa, ad breue tempus concedemus, ſubſtituto tamen priùs idoneo Sacerdote, qui eorum vices agat, per Nos, ſeu noſtrum Vicarium generalem approbando, ne Paſtorum abſentiam animarum iactura conſequatur. Reſidere autem non aliter intelligantur, niſi in ędibus Parochiali Eccleſiæ coniunctis, vel (ſi eas non habeant) ſaltem in domo intra fines Parochiæ conducta, perpetuò inhabitent. Qui ſecus fecerint, præter mortalis noxæ reatum, quem incurrunt, graueſque mulctas pro modo culpæ arbitratu Noſtro infligendas, ſciant ſe, pro rata temporis abſentiæ, quoſcunque beneficij fructus illegitimè percepiſſe, nec illos tuta conſcientia, etiamſi nulla pro eis declaratio ſecuta fuerit, retinere poſſe, ſed in vtilitatem Eccleſiæ, à qua abfuerint, vel in pauperes eius loci, arbitrio Noſtro, eſſe conuertendos. Cõtumaces verò per Eccleſiaſticas cenſuras, & ſubtractionem fructuum, aliaque iuris remedia, etiam vſque ad beneficiorum priuationem compellemus, iuxta binas Tridentini Concilij ſanctiones, quas ad eiuſdem præſcriptum in hac Noſtra Synodo promulgari cura-

c. licet, de electione, & electi poteſt in 6.

Conc. Trid. ſub Paulo III. ſeſſ. 6. de reform. c. 1. & ſub Pio IV. ſeſſ. 23. de refor. cap. 1.

B. Pius V. conſtit. quæ incipit Cupientes 13. Iulij 1568. in ord. Bullar. 65. c. final. de Cler. non reſiden.

curauimus. Volumus propterea, vt quicunque à Nobis Eccleſijs Parochialibus pręficiuntur, cum primùm poſſeſſionem ceperint, vt ipſis ex conſueta formula in literis collationis iniungimus, præter iuramentum obedientiæ Sanctæ Sedi Apoſtolicæ, Nobis, noſtriſque Succeſſoribus exhibendum, nec non conſeruationis, ac defenſionis iurium, & bonorum Eccleſiæ, iurent præterea ſe, ad eiuſdem Tridentini Concilij præfinitam rationem, reſidentes in Eccleſijs futuros, quas obtinuerunt.

Act. 20. v. 28.

2. ad Timoth. c. 4. v. 5.

ad Titum cap. 1. verſ. 10.

c. ſed illud, 45. diſt.

Iſai c. 56. v. 10.

c. ſit Rector, 43. diſt.

6. Sibi igitur, & vniuerſo gregi attendentes, in quo Spiritus Sanctus poſuit eos regere plebem Dei, in omnibus laborent, ac vigilent, ſuumque fideliter miniſterium adimpleant, aſſiduè curantes, vt ſibi creditæ Eccleſiæ Sanctę ſint, non habentes rugam, neque maculam, ac Deo per omnia placentes; Ideo, vt Apoſtolus monuit, *potentes ſint in Doctrina ſana exhortari, & eos qui contradicunt redarguere*, ne aliàs Sacerdotalis ſeueritatis immemores, tanquam *canes muti non valentes latrare*, dum culpas corripere metuunt, incaſſum delinquentibus promiſſa ſecuritate blandiantur. Hinc, vigiliantes ſuper gregibus ſuis, diligentiſſimè inquirant, an in eorum Paroëcijs perditi homines degant, publici nempè blaſphemi, Concubinarij, ſortilegi, morum corruptores, vſuras exercentes, res Eccleſiaſticas occupantes, ſiue alterius grauis, ac ſcandaloſi criminis publicè Rei. Quos quidem paternè primùm, ac ſuauiter, cum omni patientia, ad bonam frugem

redu-

reducere ſtudebunt,tum acriùs, ac ſeueriùs pro temporis opportunitate admonebunt, vt ita non ſubterfugientes eis annunciare conſilium Dei, veraciter cum Apoſtolo mundas manus ſuas ab illorum ſanguine valeant profiteri. Si verò,his adhibitis ſtudijs, ſe nihil proficere cognouerint, Nobis, vel Vicario noſtro Generali contumaces denunciabunt. Quinimò, & ad id ſæpiùs, ac ſemel ſaltem in anno, prout hucuſque præſtitimus, Parochi omnes noſtræ Diœceſis à Nobis aduocabuntur, ſuarum Parochiarum ſtatum ſincerè relaturi, grauioreſque commiſſarum ſibi ouium morbos fideliter enarraturi, vt Ezechielis Prophetę voce diuina admoniti: *quod perijt, requiramus: quod abiectum eſt, reducamus: quod confractum eſt, alligemus: quod infirmum eſt, conſolidemus: quod pingue, & forte, cuſtodiamus.*

Act.20. v.26. c. Epheſijs, 43. diſt.

Exech.34. v.16.

7. Viduarum, ac Virginum egeſtate laborantium, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerant: Orphanos pariter, ac pupillos pro viribus tueantur, præſertim ſi eorum educatio in ijs, quæ ad Chriſtianam inſtitutionem pertinent, ab illorum tutoribus negligatur. Infirmis præcipue, ac in extremo vitę diſcrimine conſtitutis, prout alibi pluries monuimus, quàm diutiſſimè aſſiſtant, eiſque omnia debitæ pietatis officia aſſiduè conferant. Omnibus demum, quos ſpirituali aliqua, vel corporali ope indigere cognouerint, tum ipſi pro viribus conſulant, tum alios ſuo exemplo, & hortatu ad id Chriſtianæ charitatis officium diligenter

Conc.Trid. ſeſſ. 23.de refor.c.1.

inui-

Digitized by Google

inuitent, memores pro ſuarum ouium incolumitate quemuis excipere laborem, ſubire omnes caſus, omnem vim, atque iniuriam perferre, denique, vt bonus Paſtor Euangelicus, animam ſuam pro illis ponere non dubitantes.

Ioann.10. v.11.

8. Quibus autem pro redituum Eccleſiaſticorum, ac fortaſſe etiam patrimonij tenuitate, temporalibus ſubſidijs prodeſſe nequeunt, ſpiritualibus ſaltem auxilijs opitulentur. Ideo omnes animarum Rectores pro ouibus ſuis orare, ac ſacrificium offerre à Tridentina Synodo enixè iubentur, adeout ſaltem Dominicis diebus, & Feſtis de præcepto, pro populo ſemper celebrantes, aliunde eleemoſynã ſibi quærere ſtrictiſſimè prohibeantur; cuius oneris partes à pleriſque neglectas, vel ignoratas ſedulò in Viſitatione Noſtra ſingulis aperuimus, item agentes de Sacrificio Miſſæ ſuperiùs expoſuimus, & nunc pariter, quantum in Domino poſſumus, efficaciſſimè commendamus.

c. & qui emendat, c. tria ſunt genera, & c. duę ſunt eleemoſynæ, 45. diſt. Concil. Trid. d. ſeſſ. 23. de refor. cap. 1. Sac. Cong. Concil. in Hydruntina 13. Februar. 1639. in Rom. Congr. S. Suſannæ 17. Iulij 1649. in Peruſina 23. Iulij 1649. & in Cluſina 5. Iulij 1670.

9. Pias Catholicę Eccleſiæ conſuetudines, quibus ſæpe ad rerum diuinarum contemplationem Chriſtiana plebs excitatur, firmiſſimè tueantur; ſacros in primis ritus benedicendi quotannis ſtatis temporibus Candelas, & Palmas, eaſque in Eccleſia ſubiectis populis diſtribuendi cautè retineant; ad illorum tamen domos deferre minimè teneantur. Sub initium pariter Quadrageſimalis ieiunij Cineres benedicant, illiſque deuotè capita Fidelium aſpergant. Sanctum quoque ab antiquis Patribus inſtitu-

Sac. Cong. Cōc. in vna Fulginaten. 31. Ianuarij 1581. apud Nicol. in verbo Candelæ n. 3. & in verbo Parochus n. 36.

tum

tummorem aquam benedicendi illibatè cuſtodiant. Vnde ex Romani Ritualis præſcripto ſingulis diebus Dominicis Parochi omnes Miſſam Parochialē, ſeu Conuentualem celebraturi, ſolemnibus precationibus, aquæ benedictionem, cum ſalis præſanctificati infuſione præmittant, vt illa conſperſi Fideles aduerſus Diaboli inſidias armentur, atque à Phantaſmatum verſutijs defendantur. Similiter ex aqua in benedictione Fōtis baptiſmalis ſanctificata, & priuſquam illi ſacra Olea miſceantur, ſepoſita, ſuorum Paroëcianorum domos benedicant; *ſi enim cinis vitulæ ſanguine aſperſus coinquinatos in expiationem emundabat*, multò magis aqua diuinis precibus ſacrata, ac ſale conſperſa, quo per Heliſæum Prophetam eiuſdem ſterilitas ſanata fuit, populum ſanctificabit, atque purgabit.

c. aquam, de Conſecr. diſt. 3.

c. in Sabbatho, de Conſecr. diſt. 4.

Leuit. c. 1. 3. 4. & ferè per totum.

d. c. aquam, de Conſecr. diſt. 3.

4. Regum c. 2. v. 20. & 21.

10. Ad hæc laudabilem, & religioſam conſuetudinem publicè recitandi ter in hebdomada Roſarium Beatiſſimæ Virginis; quam in omnibus noſtrę Diœceſis Parochialibus Eccleſijs vigere comperimus, conſtantiſſimè teneant, atque promoueant: nec non receptum late morem inuitandi quotidie populum ad eiuſdem Deiparæ ſalutationem ſigno Campanæ maioris triplici ictu, tam ſummo mane, quam in meridie, & ſerò occidente Sole, religioſiſſimè obſeruent. Pręterea matutina tenebrarum in maiori hebdomada, aliaque eius temporis officia, cæremonias, & preces ab Eccleſia inſtitutas, quibus Redemptionis noſtræ complemen-

tum anniuerſaria celebratione recolitur, ſanctiſsimè peragant; omnibus denique diebus Feſtis, prout in pleriſque Noſtræ Diœceſis Oppidis receptum inuenimus, Veſperarum officium in ſuis quique Eccleſijs ſtata hora decantent vnà cum Sacerdotibus, & Clericis earundem Eccleſiarum ſeruitio adſcriptis.

c.pulchra, diſt. 86.

Conc.Trid. ſeſſ. 21.de refor.c.7.

11. Eccleſiarum, & Altarium cultum, ſacrarumque ſupellectilium nitorem, atque honeſtatem à ſe pręcipuè requirendam meminerint: Ædes quoque Parochiales conſeruare, ac collabentes reparare pro viribus curent. Bona item, & iura ſuarum Eccleſiarum, vt fuſiùs alibi præſcripſimus, diligenter, ac ſtrenuè tueantur. Non ideo tamen Parochialium prouentuum, eorumque præcipuè, quæ ex funerum iure ipſis obueniunt, rigidi, ac moleſti ſint exactores, ne aliàs peculij potiùs ampliandi cupiditate, quàm ſtudio augendi patrimonia pauperum, Sacerdotalium iurium defenſores habeantur.

Conc. Lateran. relat.in c.cum ex eo de pœnit. & remiſſ.Conc. Viennen. relat. in Clemét. abuſionibus, de pęnit. & remiſſ. Conc.Trid. ſeſſ. 5. de refor. c.2. & ſeſſ.21.de reform. cap.9.

12. Eleemoſynarum quoſcunque Quæſtores, quorum nomen, atque vſus ab antiquis Concilijs improbatus, nouiſſimè Tridentinis ſanctionibus penitùs aboletur, quibuslibet priuilegijs non obſtantibus, in ſuis Parochijs nullatenùs admittant, niſi licentiam à Nobis, ſeu Vicario generali ſubſcriptam oſtenderint, qua rariſſimè quidem, ac nonniſi præuio maturo examine, eleemoſynas quæſtuari, nunquam verò reliquias oſtendere, prædicationis munus obire, Indulgentias publicare, ſiue his ſimi-

ſimilia exercere, quibus queant Fideles decipere, permittentur.

13. Diſſidia, & contentiones inter ſuæ Parochiæ ſubditos exortas, opportunis cohortationibus, ac monitis, in neutram partem æquo propenſiores, quam citiſſimè ſtudeant componere. Id autem ſtudioſiſſimè caueant, ne vllam laicis præbentes offenſionem ipſimet inter ſe rixentur, aut quoquo modo contendant; ideo ſi quas aliquando ratione officij, aut iurium Parochialium controuerſias habuerint, amicabiliter omnino componant, aut certè ad Nos, ſeu Vicarium noſtrum Generalem deferant, quantum fieri poterit, abſque iudicij ſtrepitu dirimendas.

c.ſtudendum,& c. placuit, 90. diſt.

2. ad Corinth. c.6.v.3.

14. Quia verò in ijs Eccleſijs, in quibus duo pluresue Parochi ad animarum curam gerendam ſunt conſtituti, huiuſmodi altercationes, & iurgia, pro Parochialibus officijs, vel functionibus exercendis, cum graui populorum ſcandalo, frequentiora eſſe ſolent; idcirco, cùm ſub initium ſuſceptæ à Nobis Paſtoralis adminiſtrationis, in aliquibus Noſtræ Diœceſis Oppidis Parochiales Eccleſias confusè regi compererimus per duos pluresue Rectores, æquali iure, ſacramenta promiſcuè petentibus adminiſtrantes, vt huiuſmodi diſcordiarum ſemina tolleremus, ac negligentiæ, qua ſæpe alter in alterum Parochialium onerum curam reijcit, occurreremus, quin etiam vt ad Tridentini Concilij præſcriptum vnicuique Paſtori certas oues, ijſdemque

Conc.Trid. ſeſſ. 24. de reform. cap.13. §. in ijs quoque.

ouibus certum Paſtorem aſſignaremus, à quo ſolo licitè ſacramenta ſuſciperent, Parochiales vicinias pro animarum numero, ędibus, aut vijs perpetuò diſtinximus, ac cuiuslibet Rectoris curam certis limitibus præfiniuimus. Verùm cùm illos Paſtoralium munerum functiones in communibus adhuc Eccleſijs obeundæ plenè diuiſos non patiantur, quantùm in Domino poſſumus, enixè hortamur, vt ad vnguem ſeruatis omnibus, quæ pro vnione maximè tuenda, de illorum officijs, pręeminentijs, ac iuribus in Viſitatione Noſtra plenè ſanciuimus, in fraternitatis amore, ſimplici ex corde, ſe inuicem diligentes, Chriſtianam, ac verè Eccleſiaſticam concordiam, & charitatem inter ſe quàm diligentiſſimè cuſtodiant. Strictiſſimè verò præcipimus, prout in eadem Viſitatione pariter iniunximus, ſub grauibus pœnis arbitrio Noſtro irrogandis, vt diſtributa inter ipſos pro limitum diſtinctione curæ Parochialis officia, ſi eorum alter, aut impeditus ſit, aut adiutore ob infirmorum multitudinem, aliamue ob cauſam opus habeat, ab altero, alijſue ſine vlla mora, exceptione, excuſationèue, obeantur, ne aliàs, quæ pro tutiori animarum ſalute decreuimus, in graue earundem detrimentum redundarent.

1.Petri c.1.v.22

Concil.Mediol. Prouinc. 4. ſub tit.de Parochijs & Parochialibus iuribus.

15. In ſingulis autem Parochialibus Eccleſijs, vt aliàs enixè præcepimus, vbi ad præſens non adeſt, Archiuium erigatur, ſeu ſaltem conueniens Sacriſtiæ armariolum ſera, & claui munitum ad hunc duntaxat vſum ſeligatur, ibique libri, ſcripturæ,

inuen-

Digitized by Google

inuentaria, & publica Inſtrumenta, continentia reditus, bona, priuilegia, onera, conceſſiones, aliaque iura ad Eccleſiam quomodolibet ſpectantia, diligentiſſimè, ac diſtinctè cuſtodiantur. Similiter authentica Reliquiarum documenta, onerum ſatiſfactiones, Indulgentiarum diplomata, ac Viſitationum decreta ibidem retineantur. Præcipuè verò Parochiales Codices tum antiqui tum recentes, nimirum Baptizatorum, Confirmatorum, matrimonia contrahentium, mortuorum, ac Status animarum, prout alibi diſtinctè ſtatuimus, diligenti cura aſſeruentur. Quinimò grauiſſima damna, quæ ex præfatorum Codicum amiſſione exoriuntur, probè conſiderantes, vt in poſterum illorum conſeruationi opportunis remedijs proſpiciamus, ſtrictè iubemus, libros omnes Parochiales, moriente Parocho, ſucceſſori, ſeu Oeconomo interim ad curam animarum deputato per hæredes defuncti, ſi fortè apud ipſos remanſerint, ſub pœna excommunicationis, intra terminum vnius menſis conſignari; Idemque ſub eadem omnino pœna præſtetur ab ipſiſmet Parochis Eccleſias quomodolibet reſignantibus, ſeu dimittentibus. Sciant autem quicunque huius Noſtri Decreti cõtemptores, qui Archiuij erectionem, vt ſuprà, vltra duos menſes diſtulerint à præſentium conſtitutionum publicatione computandos, decem aureorum pœna pijs vſibus applicandorum, ſe omnino eſſe mulctandos.

16. Demum cùm aliquem Parochum, in ijs

locis,

locis, in quibus vnus tantùm reſidet, grauiter ęgrotare contigerit, qui vicinior eſt, illum ſtatim inuiſat, Sacramenta eidem opportunè miniſtret, eiuſq; Parochię curam gerat, quouſque per Nos, vel Vicarium Generalem aliter prouiſum fuerit: omnia demum pietatis officia erga ipſum impendat, ac morientis animam religioſis precibus Deo commẽdet. Secuta autem illius morte, Vicarius Foraneus ſtatim accurrat, vt rerum Eccleſiæ inuentarium coram duobus teſtibus conficiat, & ſcripturas, ac res omnes, tam ſacras, quàm profanas ad Eccleſiam ſpectantes in tuto ponat. Quòd ſi Vicarius Foraneus fuerit ipſemet Parochus defunctus, hæc omnia à viciniori Parocho peragantur. In primis verò de obitu Parochi certior reddatur Vicarius noſter Generalis, vt idoneum Oeconomum, qui onera vacãtis Eccleſiæ ſuſtineat, quamprimùm conſtituat, donec à Nobis præuio concurſu, ſiue examine, ad Concilij Tridentini præſcriptam rationem, Succeſſor renuncietur, cùm ad Nos, antiquiſſimis quidem nominibus, Iuſpatronatus, & præſentatio, ex nouiſſimis verò Iuribus finitimorum Epiſcoporum in Nos, ac Succeſſores Noſtros translatis, etiam inſtitutio, ac omnimoda collatio quorumcunque beneficiorum huius Noſtræ Abbatiæ pleniſſimè pertineat.

Conc. Trid. ſeſſ. 24. de ref. c. 18. Sac. Cong. Cõc. in Sublacen. 12. Septemb. 1570. relata per Barboſ. ad Concil. cap. 9. ſeſſ. 25. de reform n. 46. Spada conſ. 10. tom. 3.

De

De Clericis inſeruientibus Eccleſijs Parochialibus.

CAPVT XXIII.

1 ECcleſiarum cuſtodia, Rectorum leuamentum, rerumque in primis ſacrarum cultus, & reuerentia, maximè poſtulant Parochiali cuilibet Eccleſiæ vnum ad minus Clericum certo conſtituto ſtipendio peculiariùs addici, qui ea ſedulò Eccleſiaſtici miniſterij præſtet officia, quæ dudum antiquo canone decreta, nouiſſimè Tridentina Synodus priſtini moris reſtituendi deſiderio flagrans inſtaurauit, ne ſcilicet minorum ordinum functiones ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia receptæ, aut negligenter intermitterentur, aut tanquam otioſæ, ac inutiles impiè traducerentur. Ideo laudabili ſanè ratione, ac Sacris Canonibus, eidemque Tridentino Concilio conformi inſtitutione, in pleriſque Noſtræ Diœceſis Parochialibus Eccleſijs vnum, pluresue Clericos, ſiue attributis Sacerdotalium prouentuum portionibus, ſiue etiam peculiaribus beneficiorum, quæ Clericatus nuncupant, reditibus aſſignatis, perpetuò dotatos inuenimus, ea ſingulis adiecta lege, vt præfatis Eccleſijs minora exhibentes officia, aſſiduo miniſterio famulentur.

c.vt quiſque, de vita, & honeſt. Cleric.
Conc.Trid.ſeſſ. 23. de reform. cap.17.

2. Ve-

2. Verùm quia optimè inſtitutum morem magna ex parte vitiatum comperimus, ſiue Clericis propria munia negligenter obeuntibus, ſiue vt plurimùm Eccleſias deſerentibus, ac inhabiles ſubſtitutos, quandoque etiam laicos, tenui ſuorum redituum portione eis tradita, ſurrogantibus, ideo vt ijs, qui irrepſerunt abuſibus opportuna remedia conferamus, enixè in primis monemus huiuſmodi Clericos, quorum ad id electa, ac probata fuit fides, & induſtria, vt Eccleſijs, quibus addicti ſunt, per ſe ipſos deſeruiant, ſi verò eos quandoque abeſſe contigerit, ſiue alia de cauſa commiſſa ſibi munera explere per ſe ipſos impediantur, idoneos ſubſtitutos à Nobis, ſeu Vicario noſtro generali approbandos, etiamſi omnes Clericatuum reditus pro illorum ſtipendio inſumendi ſint, omnino ſufficiant; & eos quidem Clericos; cum Miniſtros non ſacratos vaſa Domini contrectare, atque Altari miniſtrare maximè dedeceat. Ijs verò, qui modò nec per ſe ipſos, nec per ita probatos ſubſtitutos inſeruiunt, ſi intra menſem ab harum conſtitutionum publicatione computandum, præſenti decreto non obtemperauerint, ſequeſtratis, ac ſi opus fuerit integrè ſubtractis fructibus, idoneos Clericos, qui eorum vices agant, ex officio à Vicario noſtro Generali ſubſtitui mandamus.

c. non oportet 30. & can. non liceat 32. diſt. 23.

3. Horum autem omnium partes erunt, cuſtodiam, nitorem, ac munditiem ipſius Eccleſiæ, ſacrorum vaſorum, veſtium eccleſiaſticarum, ac totius

tius ſacræ ſuppellectilis diligenter curare, nec non candelas, oleum, vinum, hoſtias, cęteraque ad diuinorum officiorum adminiſtrationem neceſſaria ſedulò præparare. Altaria pro temporis, ac ſolemnitatum ratione decenter ornare, eiuſque coloris indumenta Sacerdotibus celebraturis in dies ſingulos exhibere, quæ pro Eccleſiæ ritu, Sanctorum, vel temporum celebritati conuenient. Item omnia quæ Eccleſiaſticam honeſtatem, atque ornatum lædere poſſunt, omnino prohibere. Hora congrua campanas ad Miſſam, concionem, veſperas, proceſſiones, feſtiuitates, aliaſque ſacras actiones populis ſignificandas pulſare, ijſque omnibus abſque vlla intermiſſione ſemper aſſiſtere, atque inſeruire. Cuncta demum, quæ ſiue ex inſtitutione, ſiue ex conſuetudine, pro diuerſis Eccleſiarum moribus, peragere tenentur, exactiſſimè adimplere. Quibus, ſi negligentes fuerint, quod à Parochis omnino Nobis denunciari volumus, ad Tridentini Concilij præſcriptam rationem, conſtitutis ſibi reditibus, iudicio Noſtro, aut ex parte mulctari, aut in totum etiam priuari poſſe meminerint.

Concil. Trid. d. cap. 17. ſeſſ. 23. de refor.

4. Præterea Parochis obedientiam, ac reuerentiam in omnibus præſtent, ijſque, ſi quod aliud in Parochialibus officijs, atque Eccleſiaſticis functionibus leuamen afferre valent, ſolerter exhibeant: præcipuè verò, ipſiſmet Parochis Chriſtianam Catecheſim de more ſtata hora peragentibus, illi interim in Catholicæ Fidei elementis rudiores inſtruāt,

d. c. vt quiſque; de vita, & honeſt. Cleric.

cunctiſque prius adhibitis ſtudijs ad ſacram illam exercitationem à Parochiæ, vicinijs pueros conuocent. Ad hæc, quæ vniuerſim de bonis Eccleſiaſticis conſeruandis, ac rectè adminiſtrandis decreuimus, diligenter obſeruent, & ſuorum Clericatuum bona, iura, res, & actiones, ſtrenuè tueantur; in primis autem quæ de vita, & honeſtate Clericorum ſuperiùs ſtatuimus, exactè calleant, & exequantur, cum eos ſacra aſſiduè contrectantes, atque ad Altare Domini propiùs miniſtrantes, maximè oporteat morum innocentiam, ac ſanctimoniam illibatè cuſtodire.

De Capitulo, & Canonicis.

CAPVT XXIV.

1 CAnonici, ad Sacrorum Rituum normam, religioſa vocis modulatione, pioque cordis affectu, diuinas Laudes in Choro, & ſolemnia ſacra ad Altare cõcelebrare, morumque integritate vbique ita pollere debent, vt Eccleſiæ Senatus meritò dici poſſint; propterea quò ſanctiùs, ac diligentiùs ijdem omnes in hac Noſtra Diœceſi, ſtatutis temporibus, diebus, atque horis, iuxta Capitulorum ſuorum Conſtitutiones, præfata peragere, & Eccleſiarum ſuarum regimen, bonorumque adminiſtrationem obire valeant, nonnulla in præſenti Synodo explicatiùs declaranda, ac decernenda cenſuimus.

cap. dolentes de celebr. Miſſar.

Conc. Trid. cap. 12. ſeſſ. 24. de reform.

2. In primis itaque de Canonicatibus prouiſi, antequàm eorundem poſſeſſionem capiant, in manibus Noſtris, vel Vicarij noſtri Generalis, ſicut quicumque alij Beneficiati, iurare debent, de ſtrenuè, & fideliter bonis, & iuribus ſui Capituli, & Eccleſiæ tuendis, de ſeruitio eidem ad Conſtitutionum præſcriptum præſtando, alijſque in formula Iuramenti, in appendice huius Synodi inſerta, contentis; deinde infrà duos menſes, profeſſionem

Digitized by Google

Argumento Conc. Trid. cap. 12. ſeſſ. 24. de reform. & Bulla 89. B. Pij V. incip. Iniunctum.

Fidei coram Nobis, vel præfato Vicario noſtro Generali, atque inſuper in Capitulo, ex alio huius Synodi decreto, emittere teneantur. Gregorianum quoque Cantum, Horaſque Canonicas ritè recitandi rationem calleant, ac præterea illi, quibus animarum cura, vel Parochum in eadem adiuuandi onus incumbit, ſeſe ad munia parochialia exercenda magis, magiſque idoneos reddant, Præpoſituſq; ac alij deinceps Canonici ſacrę ſcripturæ, ſeu Theologię moralis pro tempore Lectores in Eccleſia Collegiata Sancti Andreæ Oppidi Sublaci, munere ſuo, iuxta alibi ſancita, diligentèr fungi non prætermittant.

Idem Concil. c. 1. ſeſſ. 5. de reform.

3. Horis, per Tabellam in Sacriſtia conſpicuo loco retinendam, ſtatutis, ſine Noſtra, vel Vicarij noſtri Generalis licentia nunquàm mutandis, ſigna Diuini Officij, ſacrique ſolemnis peragendi, per Campanas conſuetas dentur; Interea omnes Canonici, veſte talari decenter induti, in Sacrarium conueniant, & habitu Canonicali, biretoque clericali aſſumptis, inde vltimo Campanæ ſigno finito, ſimul bini, & bini modeſtè incedentes, ad Chorum progrediantur, ibique prę euntibus Hebdomadarijs, officium incipiant, atque Organo, Muſicoque concentu admodulante, alternis, pauſa in medio verſiculorum interpoſita, concordi, ac ſonora voce, diſtinctè, deuotèque proſequantur, & pro temporis, ac officij ratione, ad Cæremonialis præſcriptum, nutumque Magiſtri Cæremoniarum, genuflectant, caput

Cæremoniale cap. 5.

caput detegant,& venerabiliter inclinent,officioque peracto, dato per digniorem ſigno, conſurgentes, eodem, quo venerunt ordine, & grauitate, reuertantur. Dum Officia recitantur,duæ ad minus candelæ cereæ ſuper Altare in decentibus candelabris ardeant: Cùm autem, inter Miſſarum ſolemnia, vel Veſperas, Altare erit thurificandum, ſex item candelæ accenſæ retineantur.

Sac. Rit. Cong. de menſe Auguſti 1595.

4. Quoties verò, ſiue ex laudabili conſuetudine, ſiue ex pia aliqua diſpoſitione, Canonici Miſſam ſolemnem, aut Veſperas in aliena Eccleſia celebrant, id, niſi in propria officio priùs perfuncti, præſtare non audeant.

5. Quò autem maiore dignitate, & Miniſtrorum frequentia, Diuinæ Laudes decantentur, omnes Presbyteros, & Clericos loci, cum mundo ſuperpelliceo, & bireto, diebus ſaltem Dominicis, & Feſtis, Veſperis adeſſe, & pſallere, iuxta ſancita in capite de Feſtorum dierum obſeruantia, monemus; Quandocunque verò Miſſę ſolemni, aut Veſperis, alijuè ſacrę functioni Nos aſſiſtere contigerit, tunc ijdem cuncti, ſub pœnis in capite de Sacrificio Miſſę ſtatutis, vt ſuprà, intereſſe meminerint.

6. Miſſa Conuentualis, quę Diuini Officij pręcipua pars eſt, Dominicis, & Feſtis diebus, vt in Viſitatione Noſtra pręcepimus, cum Diaconi, & Subdiaconi miniſterio, & Miſſę lectæ ijſdem Feſtis, & Dominicis, atque etiam Ferialibus diebus, per Canonicos, & Capellanos, iuxta Eccleſiarum Conſtitu-

ſtitutiones ; celebrentur , ſeruata horarum diſtributione , quam ex laudabili conſuetudine , ac inſtitutione in eadem Viſitatione partim inuenimus , partim introduximus .

7. Quemadmodùm Capitulorum Camerarij nunc exiſtentes , per Nos mori hactenus ſeruato inhęrentes Synodali decreto in Punctatores deputati , iuramentum de officio punctandi abſentes à Choro , fideliter , & diligentèr exequendo , in manibus Noſtris modò pręſtiterunt , ita etiam alij quotannis à præfatis Capitulis , per vota ſecreta conſtituendi , coram Vicario noſtro Generali in Terra Sublaci , in Diœceſi autem coram Vicario Foraneo , eodem iureiurando adigantur ; Ideo eos , qui Miſſę ſolemni , Diuinis Officijs , Litanijs , & Proceſſionibus , vt ſupra induti , non omnino , aut intempeſtiuè interueniunt , in libro decenti , & chartulato , ſpecialiter ad hoc deſtinato , & pręcipua cura cuſtodiendo , vltimoque cuiuslibet menſis die Dominico , reliquis Canonicis oſtendendo , ex propria notitia , & non aliena relatione , accuratè notent , ac punctationum notulam , quoties fuerint requiſiti , ad Nos incunctanter tranſmittant . Illos quoque , qui tempore earundem ſacrarum functionum , abſque legitima cauſa , per Vicarium noſtrum Generalem , ſi vtì talis adfuerit , vel per Prępoſitum , & Archipresbyterum reſpectiuè approbanda , recedunt , abſentium punctis notari volumus , ſicut & eos , qui inter pręfatas functiones , literas , aut libros quoſcunque legunt ,

Digitized by Google

gunt, colloquia miſcent, riſus, aut ſuſurros excitant, priuatim Officium recitant, atque inſuper, qui ſine licentia dignioris Canonici, etiam pro Populi commoditate, & Eccleſię ſeruitio, Miſſas tunc celebrant.

8. Omneſq; præmiſſos, ſolita prouentuum portione, quibuſcunque remiſſionibus, & colluſionibus, excluſis, mulctari mandamus, & dictam portionem ita percipientes, eius dominium non acquirere, ac ad reſtitutionẽ teneri declaramus. Quòd ſi Punctatores minùs fideliter, aut diligenter in officio verſentur, vltra obligationem reſtituendi, quod ipſorum culpa præſentibus nõ accreuit, vel iniuſte notatis decreuit, pœnis etiam periurij, alijſque à Nobis ſeuerè punientur: ſi quis autem alius quidpiam, quod præfati Punctatores, etiam iniquè notarunt, vel notare omiſerunt, in dicto libro, propriá auctoritate delere, vel addere præſumpſerit, eo ipſo, ſi fuerit in ſacris conſtitutus, ſuſpenſionis, ſin ſecùs, excommunicationis pœnam incurrat. Qui Miſſæ ſolemni, Officio Diuino, alijſque Canonicalibus functionibus intereſſe pluries neglexerit, vt vltra punctaturas, grauioribus pœnis, arbitratu Noſtro plecti poſſit, ad Nos per Punctatores quamprimùm deferatur.

Conc. Trid. cap. 12. ſeſſ. 24. de reform. c. vnico de Cleric. non reſid. in 6.

9. Et quia omnes Canonici Eccleſiarum Collegiatarum huius Noſtræ Diœceſis ad reſidentiam tenentur, idcirco eos monemus, vt apud eaſdem aſſiduè reſideant, nec inde præſertim plures ſimùl, quandocunque, aut etiam ſinguli, Quadrageſimę,

&

& Aduentus tempore, ſolemnioribuſque Feſtiuitatibus appropinquantibus longiùs recedant, gnari, in abſentes Nos, pro abſentiæ modo, ad formam Sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini proceſſuros.

Conc.Trid.cap. 12. ſeſſ. 24. de reform.

10. Vt cuncta ad Diuinum Officium ſpectantia rite fiant, Hebdomadarij, iuxta conſuetum eoſdem deputandi morem, in ſuis quique Eccleſijs conſtituti, ſolicitè, & tempeſtiuè ſemper accedant, idemque officium, ſecũdum Rubricarum diſpoſitionem, ordinent, & qua decet grauitate, & vocis modulatione exordiantur, Antiphonas intonent, Capitula, ac Orationes decantent.

11. Præfecti quoque Chori per Nos in præſenti Synodo deſignati, alijque deinceps per Capitula quotannis eligendi, vel confirmandi, ſedulò dent operam, vt non oſcitanter, nec curſim, ſed diſtinctè, & deuotè Pſalmodia peragatur, omneſque in Choro loci religioni conuenienter verſentur, nec non Tabellã quolibet die Sabbathi in Sacrario proponendam curent, vnde appareat quinàm, in ſequenti ſeptimana, Hebdomadarij partes obire, & Miſſas tam lectas, quàm cantatas celebrare, Epiſtolamque, atque Euangelium decantare debeant.

12. Sacerdotes etiam Sacrorum Rituum periti, in ijſdem Eccleſijs Magiſtri Cæremoniarum deputentur, qui, vt omnia in ſacris functionibus debito ordine, & rite fiant, diligenter incumbant,

mune-

munereque ſuo cautè, prudenter, & pro perſonarum qualitate, reuerenter fungantur, atque in Thurificando, & dando Pacem, Cæremonialis Romani præſcriptum obſeruari faciant, ipſorum viciſſim directionem alij Eccleſiaſtici Miniſtri incunctanter ſequantur.

13. Præterea Sacriſta Maior capitulariter per vota ſecreta, vbi mos eum aliter conſtituendi non viget, quotannis eligatur, vel confirmetur, qui ſtatim iureiurando adactus, ſe officium ſuum diligenter obiturum, ſacrorum vaſorum, veſtimentorum, luminarium, totiuſque eccleſiaſtici theſauri curam gerat, minorum Clericorum miniſteria diſponat, aquam, vinum, hoſtias, omnia pura pro Miſſarum celebratione in promptu ſemper eſſe, Altaria conuenienter, pro temporum, & Feſtiuitatum ratione ornari, Aquamque benedictam ſingulis ſaltem hebdomadis renouari curet, efficiat quòque, vt Eccleſia, atque Sacriſtia religioſo nitore, ac munditie fulgeant, nec in ijſdem ſtrepitus, deambulationes, confabulationeſue toleret, horis competentibus Miſſas celebrari, Campanaſque ad ſignificationem ſacrarum functionum, & piarum precum, iuxtà conſuetudinem opportunè pulſari faciat. c. vnico, de off. Sacriſtæ.

14. Muſicæ item Præfecti per Nos in hac Synodo iam conſtituti, alijque deinceps per Capitula, vt ſuprà, eligendi, vel confirmandi, nullam modulationem indecoram, nec quidquam profanum in Eccleſijs cani permittant, cantuſque, atq; etiam

Cantorum vniſonam concordiam procurent, vtque minores Clerici ſub Magiſtro Muſicæ in dies magis, magiſque proficiant, ſolicitè inuigilent.

15. Camerarius etiam ſingulis annis capitulariter per vota ſecreta eligatur, confirmeturue, non tamen vltra biennium ſine Noſtra licentia, ſtatimque iuramentum coram Nobis, vel Vicario noſtro Generali, aut Foraneo reſpectiuè præſtet de bonis Capituli diligenter, & fideliter adminiſtrandis, adminiſtrationiſque rationem in pleno Capitulo, libro etiam Computorum per ſingulorum Canonicorum manus tranſmiſſo, ſub finem anni exactè reddet, nec, niſi hoc priùs præſtito, & liberatione obtenta, continuari amplius in officio valeat: Quod ſi poſt menſem ab expleta annali adminiſtratione computandum, legitimè interpellatus, rationem reddere non procurauerit, eumque Canonici opportunis inſtantijs in Curia Noſtra factis, ad id compellere neglexerint, tam hi, quàm ille Miſſæ celebratione, ſub pœna ſuſpenſionis Nobis ſuprà reſeruatæ, ſibi interdictum eſſe meminerint.

cap. . de Sacrific. Miſſæ.

16. Idem Camerarius negotia, non pro ſuo arbitrio gerat, ſed eadem communicet cum Capitulo, ab eo, ad quem de more ſpectat, in locum conſuetum, ſemel ſaltem in menſe, vel aliàs, quoties opus fuerit, conuocando, cui omnes Capitulares intereſſe, & ſolita precatione per Præſidem in principio præmiſſa, de re propoſita incorruptè, & ſine contentione per vota ſecreta, ſuo quiſque loco,

ſen-

ſententiam proferre teneantur, quodque maiori parti viſum fuerit, id ſtatim per Secretarium pariter, vt ſuprà eligendum, & iure iurando adigendum, in librum idoneum, & peculiariter ad hoc comparatum, cum die, menſe, & anno, ſicut & quæcunque alia acta Capituli, diligenter referatur. Quod ſi de negotio ad aliquem ex Canonicis quomodolibet ſpectante tractandum erit, qui eidem Capitulo præſidet, eum, vt exeat, admonebit; nulli autem alij, niſi iam peractis omnibus, quorum cauſa conuocatum fuit Capitulum, ſine licentia Præſidis, inde diſcedere liceat, nec quiſquam munus, curamue ſibi capitulariter iniunctam, abſque legitima cauſa à Nobis approbanda, detrectare poſſit.

c.1. de iis, quæ fiunt à maiore par. Capituli.

17. Omnia, quę de Eccleſiaſticorum bonorum alienatione, locatione, commodatione, Inuentariorum confectione, & renouatione, atque ad Cancellariam Noſtram Eccleſiaſticam tranſmiſſione, Tabellæ Miſſarum in Sacriſtia expoſitione, librorumque eidem Tabellę inſeruientium vſu, necnon de Archiuiorum erectione, librorumque, & ſcripturarum in ijſdem repoſitione, & cuſtodia, ſuperiùs ſancita ſunt, hic quoque, cum pœnis ibidem contra Inobedientes ſtatutis, repetita cenſeri omnino volumus, inſuper adijcientes, Archiuij Capitularis à Parochiali diſtincti alteram clauem per Secretarium, alteram per Camerarium eſſe retinendam, nullaſque inde ſcripturas, ſub excommunicationis pœna, eſſe aſportandas, abſque Noſtra,

Digitized by Google

ſeu Vicariorum noſtrorum licentia, non aliter danda, niſi præfinito congruo ad reportandum tempore, & relicta à recipiente receptionis notula in eodem Archiuio aſſeruanda.

18. Quod ſupereſt, à Capitulis, Canonicis, & Clero Collegiatarum Eccleſiarum huius Noſtræ Diœceſis Conſtitutiones ſuas in præmiſſis, omnibuſque alijs quàm religioſiſſimè obſeruari, enixè præcipimus.

19. Opportunum denique duximus ad pietatem, & deuotionem excitandam eorum, qui Horis Canonicis in Choris recitandis tenentur, ſequentes Sanctiſſimi Præſulis Caroli Borromæi admonitiones ſubtexere, quibus ad Dei laudes perſoluendas alacriùs incitentur.

OMnes in Choro ſtatis horis aſſiſtite, ad Deum pro Fidelibus pias, religioſaſque fundite precationes.

Dum eo in loco eſtis, memores eſtote, adeſſe Christum dominum, cui *ſeruite cum timore, ac tremore*.

Non pigri, non ſomnolenti, non oſcitantes adeſtote, non mente vaga, non vagis oculis, non indecenti corporis ſtatu.

Attendite ſtudiosè, rite, piè, religiosè diuinas Laudes concelebrate, *Pſallite Deo, in conſpectu Angelorum, cantantes in cordibus veſtris Domino*.

In Choro nemo priuatè, nemo tacitè Officium reci-

Digitized by Google

recitet, ſed omnes vno ore *Laudate nomen Domini*.

A quibuſcunque colloquijs, & à literarum, & librorum lectionibus, atque omni vagatione abſtinete.

Pro temporum ratione ſtate, ſedete; genufle- ctite, caput aperite, & inclinate, accuratè omnia obſeruate, vt veſtro exemplo alijs rite, & ſanctè orandi animum addatis.

In Pſalmorum, Canticorum, & Hymnorum intelligentiam ſtudioſe incumbite, affectum excitate, non ad Eccleſiam lucro diſtributionis adducti, ſed Dei charitate, religioniſque cultu commoti Diuinis officijs adeſtote, vt verè, & ex animo pſalmi verba illa concinatis: *Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum eſt*.

Diuinis Officijs abſolutis, paulatim omnes in Choro piè orate, modeſtè, & ordinatim ad Sacriſtiam redite, ibique ſuperpellicea ſine ſtrepitu vllo, & ſuſurratione deponite.

Canonicales veſtros conuentus, ſtatis hebdomadæ diebus, capitulariter habete, omnes qui debent, ad illos conuenite, inde ne diſcedite, niſi miſſione à Capituli Præfecto impetrata, ſinguli ordine, & loco ſedete, ſententiam modeſtè dicite, & ſuo quiſque loco, non præpoſterè, à verbis ſcurrilibus abſtinete, in rebus conſultandis rixas, iurgia, & contumelias cauete. In initio, & fine capituli conſuetas orationes dicite: priori loco tractanda proponite quæ ad diuinum cultum, ad ſpiritualis vitę progreſſum,

greſſum, ad Eccleſiaſticam diſciplinam tuendam, & deinde, quæ ad rerum temporalium gubernationem pertinent, ne negligite.

Omnia in primis agite pace mutua, concordi voluntate, & charitate fraterna, vos inuicem diligite, fratres enim in Chriſto eſtis vno pacis, & charitatis fœdere coniunctiſſimi.

Hæc omnia Diuus Carolus; quibus etiam addere viſum eſt ſequentia Pij Viri monita, à pijſſimo etiam Pręſule in ſua Diœceſana Synodo exarata.

Ante Horas.

Rerum inanium cura, & omnium negociorum ſolicitudo relinquenda.

Poſtulandum à Deo, vt attentè, deuotè, ac ſtudioſè laudetur.

Vocibus modulatè compoſitis, mens veſtra bene inſtructa reſpondeat.

Cordis munditiæ ſtudendum, vt puris verborum laudibus Diuina Maieſtas concelebretur.

Hierarchię Angelorum, Diuinas laudes in Cœlo proclamantium, mentis oculis proponendæ.

Humili precatione Sanctorum patrocinium implorandum, illius præſertim, cuius Officium recitari continget.

Nunquam Officium inchoandum, niſi collectis ſenſibus, ac præuia mentis eleuatione in Deum.

Cauendum à verbis inutilibus, riſu, iociſque, eo ma-

Digitized by Google

maximè tempore, quo itur, vel paulò poſt eundum eſt in Chorum.

In ipſis Horis.

Nouerit Canonicus, in ſortem Domini vocari, vt diuinis laudibus nomine publico vacet.

Singuli huius miniſterij officio ſe inter Angelorum choros verſari, contemplentur.

Diuinam præſentiam pſallendo reuerenter adorent.

Attentionem in verbis ſingulis (quam frequenter excitabit, Dei, quem alloquuntur, recordatio) adhibere conentur; diſtrahentes importunas cogitationes expellant, & quoties aliò mentem diuertiſſe cognouerint, eam toties colligendo, ſtatim dirigant in Deum.

Corpus modeſtè, ac deuotè componant, & oculos præſertim cuſtodiant, vt ſint debitæ attentionis miniſtri.

Si quod verbum dicere, vel reſpondere oportebit, citò, ac breuiter expediant.

Quæ recitant, aut canunt, ex libro ſibi parato, non ex memoria depromant.

Offerant Deo pro ſe ipſis attentionem, ac deuotionem tot Sanctorum hominum quam illi in exoluendis Diuinis Officijs ſedulò adhibuerunt.

Poſt

Poſt Horas:

Deo gratias agant, quod acceſſum habuerint ad eius laudes, & colloquia.

Petant humiliter veniam errorum omnium, quos in hac diuina functione commiſerint.

Linguam, velut Inſtrumentum Deo dicatum, cautè cuſtodiant, cordis affectiones ita componant, vt externæ conſonent verborum modulationi.

Moribus, ac vita Deum perfectè laudare conentur.

Superfluis rerum curis ne implicentur, vt moleſtos cogitationum ſtimulos euitent.

Quæ verba in Pſalmodia magis ſibi fructuoſa guſtauerint, ea diutiùs in mente conſeruent.

Harmoniæ rerum creatarum ſincero, ac fideli earum vſu omni tempore concinant, & ad ſupernum Beatorum chorum aſpirent, qui in diuinis præconijs perpetuò exultent.

Myſteria Paſſionis Chriſti Domini, quibus horæ Canonicæ reſpondent, memoria ſæpe reuoluant, culpabile namque eſt, ſi, quæ toties lingua recolit, mente cadant.

De

Digitized by Google

De Foro Eccleſiaſtico, eiuſque Officialibus.

CAPVT XXV.

1 VT cauſæ omnes ad Forum Noſtrum iudiciale eccleſiaſticum pertinentes, ſumma æquitate, & quàm minimo partium impendio expediantur, paterno affectu ſoliciti, eas, quæ ſummam ſcutorum trium non excedunt, ſummariè, & abſque figura iudicij, ſola facti veritate inſpecta, per Vicarium Noſtrum generalem dirimi mandamus. Cæteras quoque cauſas ſummarias, perſonarum præſertim miſerabilium, Eccleſiarum, locorũ, legatorumque piorum ab eodem Vicario Generali breui manu terminari volumus. Cauſas verò matrimoniales, item illas, quæ ad pacem, & concordiam ſpectant, cunctas denique, in quibus animarum periculum vertitur, vel quæ celeri prouiſione indigent, etiam Feriarum tempore tractari permittimus. c. conquæſtus, de Ferijs.

2. Præfato inſuper Vicario noſtro Generali iniungimus, vt ſimultates; atque odia, reique familiaris diſpendia ex litibus oriri ſolita præueniendo, pro ſua prudentia, & charitate, controuerſias quaslibet amicè componere ſtudeat; Quòd ſi id aſſequi nequiuerit, curabit ſaltem, vt eædem ſubterfugijs,

cauillationibus, alijſque quibuſcunque litigantium artibus exploſis, quanta fieri poterit breuitate, re tamen bene diſcuſſa, terminentur; eòque ſtudioſiùs, quòd litium amfractus, prolationeſque, licèt partium culpa ſæpe eueniant, Iudicis tamen negligentiæ, vel fraudi vulgò adſcribuntur. Propterea, diebus ad ius dicendum deſtinatis, Audientiam publicè, hora oportuna, præbeat, & ne miſerabiles perſonæ, paupereſque indefenſi remaneant, Aduocatum, Procuratoremque, ipſorum patrocinio per Nos aſſignatos, ad officium ſuum ſtrenuè, & prudenter obeundum, cohortetur.

Conc. Trid. cap. 10. ſeſſ. 25. de reform.

can. gloria Epiſcopi 12. q. 2.

3. Literas Monitoriales, ad effectum reuelationis, non aliter, quàm ex re non vulgari, quæ diligenter, & maturè examinata animum ipſius moueat, decernat. Si quando Collationes, ſeu Inſtitutiones, aut quaſcunque Beneficiorum prouiſiones, de Noſtro ſpeciali mandato faciet, nihil prorſus pro ijſdem, ſub pœnis contra Simoniacos ſtatutis, accipiat. Sciatque ſibi non licere alterum ſubſtituere, beneficia conferre, denunciationes excommunicationum relaxare, abſolutionem à iuramento, aut literas Dimiſſoriales ad Ordines concedere, nec Confeſſiones Sacramentales audire, niſi à Nobis eſſet ſpecialiter conceſſum, neque alienationibus bonorum eccleſiaſticorum auctoritatem ſuam interponere, beneficiorumue reſignationes admittere, nec denique Conſtitutiones Noſtras, aut Edicta vllatenus immutare.

Conc. Trid. c. 3. ſeſſ. 25. de refor.

cap. fin. de offic. Vic. in 6.

4. Sem-

Digitized by Google

4. Semper quidem, ſed præcipuè Nobis abſentibus, prouidendorum de Beneficijs Curatis examini interſit, &, vt omnia ibidem rite, & ad præſcriptum Concilij fiant, ſummopere inuigilet; Promouendorum autem ad Ordines, exponendorumque ad Sacramentales Confeſſiones audiendas, examini, & cuicunque Congregationi ad curam Noſtram Paſtoralem ſpectanti, quoties in Diœceſi, vel alio loco, vbi ipſe reperitur, eadem habebuntur, aſſiduè interueniat, occurrente alicuius Eccleſiæ, vel Beneficij in eadem Diœceſi vacatione, Nos quamprimùm de ea certiores faciat. Taxam mercedum laboribus Officialium præfatæ Curiæ Noſtræ debitarum, per Nos particulari Conſtitutione præſcribendam, tum ipſe obſeruet, tum ab alijs obſeruari diligenter procuret. A Vicarijs Foraneis, Teſtibuſque Synodalibus Diœceſis ſtatum Collationum Caſuum Conſcientiæ, & Doctrinæ Chriſtianæ profectum ſæpe exquirat, & quidquid ſcitu dignum inuenerit, ad Nos deferat, Sacrorum denique Canonum, Pontificiarum Conſtitutionum, huius Diœceſanæ Synodi, Viſitationumque Noſtrarum executionem ſolicitè vrgeat.

Conc. Trid. c. 18 ſeſſ. 24. de ref.

5. Cancellarius porrò Noſter Eccleſiaſticus omnia inſtrumenta, acta, libros, & ſcripturas quaſcunque per Inuentarium recipiat, ac in Cancellaria diſtinctis armarijs, loculiſue, vnà cum ijs, quę deinceps fieri, aut recuperari contigerit, accuratè aſſeruet, atque in fine officij Vicario noſtro Generali,

vel Succeſſori ex eodem Inuentario conſignare teneatur. Pręcipua autem cura, quæ ad Menſam Noſtram Abbatialem pertinent, cuſtodiat, & ne quis ea, vel quodcunque ex præmiſſis temere attrectare poſſit, diligenter caueat, nec Scribam, aut Subſtitutum, Nobis, vel Vicario noſtro Generali inconſultis, aſſumat. Si qua ſcriptura ita vetuſtate corroſa fuerit, vt periculum ſit, ne omnino pereat, tractetque de re, quæ vtilis aliquando eſſe poſſit, auctoritate Vicarij noſtri Generalis, ac iuris ordine ſeruato, eiuſdem tranſumptum fiat, vt probationis legitimæ vim obtinerę valeat.

6. Quòd ſi quis è præfata Cancellaria cuiuſcunque generis ſcripturas adſportare, aut iam auſus fuerit, aut in poſterum audeat, niſi intra terminum quindecim dierum, quorum quinque aſſignantur pro primo termino, alij quinque pro ſecundo, cęteri pro tertio, & vltimo peremptorio, illas reſtituat, excommunicationem ipſo facto incurrat.

7. Omnia acta iudicialia dicti Fori, non in folia, aut ſchedulas, ſed in actorum libros ſingulis diebus, nulla maiore interpoſita mora, referantur; Idque etiam in Criminalibus obſeruet Cancellarius, niſi cauſæ grauitas peculiare volumen poſtulauerit. Originales autem proceſſus partibus, niſi facta per Nos, vel Vicarium noſtrum Generalem poteſtate, nullatenùs commodentur.

8. Iam verò exemplaria Parochialium librorum, Inuentariorum eccleſiaſticorum, locorumque piorum,

rum; Tabellarum onerum Miſſarum, Collationum Caſuum Conſcientiæ, Notulæ legatorum piorum, aliaque multa, iuxta varias præſentis Synodi Conſtitutiones, ex vniuerſa Diœceſi ad præfatam Cancellariam Noſtrã tranſmittenda, in eadem armarijs, loculiſq; diſtinctis ordine digeſta, per Cancellarium accuratè cuſtodiantur, huiuſque rei curam exactam Vicario noſtro Generali impensè commendamus.

9. Si quis Aduocatus, Procurator, Notarius, aliuſue Curiæ Miniſter, coram eodem Vicario noſtro Generali in loco Audientiæ, Cancellariaue verba iniurioſa in aliquem protulerit, pœna priuationis officij, alijſque arbitrarijs mulctabitur.

10. Baiulì, ſeu Mandatarij, tum Oppidi Sublaci, tum cæterorum locorum huius Noſtræ Diœceſis, etiam non requiſita licentia Miniſtrorum temporalium, in eccleſiaſticis cauſis officium ſuum exercere teneantur, ſub pœna excommunicationis, tam contra ipſos recuſantes, quàm contra quoslibet alios prohibentes; quicunque ſiue in citationibus, ſiue in mandatis dictæ Curiæ exequendis Miniſtros Noſtros directè, vel indirectè impedierit, ſe eo ipſo incidiſſe ſciat in excommunicationem Bullæ Cœnæ latam contra impedientes ordinariæ iuriſdictionis exercitium. Sacr. Congreg. Conc. 23. Iunij 1648. in vna Narnien.

11. Poſtremò Carceris Cuſtos, non ſolum eiuſdem ſecuritati, ſed etiam Carceratorum commoditati, quàm maximè fieri poterit, conſulat, benignè curando, vt quantùm in ipſo eſt, nec neceſ-

ſaria

ſaria ad victum, nec Sacramenta Eccleſiaſtica iiſdem debito tempore deſint; id, quod enixiùs Curato Parochiæ, intra cuius limites ſiti ſunt Carceres, Vicario Noſtro Generali, Gubernatori etiam, reliquiſque Officialibus temporalibus iniungimus.

De Vicarijs Foraneis.

CAPVT XXVI.

1 QVemadmodum Parochorum miniſterio in Sacramentorum adminiſtratione paſtoralis Prę-latorum cura omnino indiget, ita eorundem Epiſcopalis iuriſdictio ad Eccleſiaſticam diſciplinam in Diœceſi continendam Officialium, quos Foraneos vocant, opera plurimùm iuuatur.

cap. 1. de offic. Ordinarij in 6. Clement. 2. de reſcript.

2. Eos itaque, vtì vices Noſtras gerentes, ab omnibus, præſertim Sacerdotibus, & Parochis prę-cipuo honore, atque etiam, in pertinentibus ad officium, obedientia coli, ſub grauibus contra refractarios pœnis, enixè volumus.

3. Ipſi viciſſim alijs probatæ vitæ exemplo præfulgere, & graui, prudentique regimine in ſuo quiſque Vicariatu præſidere debent, vigilantię ſuæ oculos per vnamquamque Eccleſiam, etiam Parochialem, ac Collegiatam, earumque Altaria, & Sacriſtias indeſinenter circumferendo diſpicientes, an decenter cuſtodiantur, an reparatione egeant, an cultus diuinus, horæque canonicæ ad præſcriptum ibidem rite peragantur, ante omnia, an Sanctiſſimum Sacramentum prelucente diu, noctuque lam-

pade

pade venerabiliter aſſeruetur, nec non inquirentes in Clericorum quorumcunque mores, ac pręcipuè, an Parochi omnes iugiter reſideant, an Sacramenta ſanis, & infirmis diligenter miniſtrent, an diebus Feſtis ſemper, & Feriatis frequenter Miſſam celebrent, an pueros, rudeſque præſcriptis temporibus in Doctrina Chriſtiana erudiant, an inter Miſſarum ſolemnia ſtatutis diebus pręſcriptas promulgationes faciant, an denique ijdem, omneſque alij, ad quos ſpectat, Decretis huius Synodi, & Viſitationum Noſtrarum exequendis ſolicitè intendant? & quos in aliquo ex prædictis negligentes deprehenderint, eos paternè moneant, atque ad Nos, vel Vicarium noſtrum Generalem pro culpæ grauitate quamprimùm deferant.

4. Sed ita alienæ diligentiæ ſint ſtimulatores, exactoreſque, vt propriam quoque exhibeant in præfectura Congregationum Caſuum Conſcientiæ, reuiſione Computationum Locorum piorum, frequenti inſpectione librorum, quibus manu Celebrantium ſatisfactiones onerum Miſſarum inſcribi debent, accuratam tabellarum Sacriſtiæ, librorum parochialium, inuentariorum, & archiuiorum confectionem, ac decentem conſeruationem vrgendo. Eccleſiarum ſeruitio quomodocunque adſcriptos, eidem incumbere compellendo, religioſam Feſtorum dierum, & ieiuniorum obſeruantiam, acremque pœnarum à tranſgreſſoribus exactionem procurando, moriente aliquo ſui Vicariatus Parocho

inuen-

inuentarium rerum Eccleſiæ illius, mortiſque eiuſdem Vicario Generali ſignificationem faciendo, ab hæredibus, quorumcunque Beneficiatorum ſcripturas ad beneficia pertinentes, vt ſucceſſoribus tradantur, recuperando, omnia denique exequendo, quæ eorum præcipuę curæ multis ſparſim Decretis huius Synodi, crebrò propterea ab ipſis relegendæ, demandata reperiuntur.

5. Præterea, vt Parochi, & Notarij in denunciandis Curiæ Noſtræ, iuxta alibi ſancita, legatis, donationibus, atque alijs ad pias cauſas diſpoſitionibus; omneſque, ad quos ſpectat, in ijſdem exequendis diligentiores reddantur, ipſi locorum Vicarij notitiam præfatorum ſolicitè inueſtigent, & Nobis, vel Vicario noſtro Generali per literas communicent, vt Eccleſiarum, ac inſtitutorum piorum indemnitati, deuotæque diſponentium voluntatis effectui conſulere, & contra negligentes procedere valeamus.

6. In Cauſis criminalibus, ſiue mere Eccleſiaſticis, ſiue mixti Fori, tam ad inſtantiam partis, quàm ex officio, querelas, informationes, & examina teſtium, etiam contra Laicos, recipiant, & ad Vicarium noſtrum Generalem tranſmittant. Quòd ſi mundano aliquo affectu delicta diſſimulando, vel excuſando, perſequi, ac ad præfatum Vicarium Generalem deferre omiſerint, aut exaduerſo in perſequendo, ſeu denunciando ſupra verum exaggerauerint, Deo, Nobiſque grauem facti ſui rationem ſe reddituros nouerint.

7. In Ciuilibus verò ad Eccleſiaſticum Forum ſpectantibus facultatem cognoſcendi, atque etiam iudicandi vſque ad ſummam duorum ſcutorum, in Exequutiuis autem, & in quibus non eſt tela iudiciaria, ſeu Decretum definitiuum non eſt interponendum, vſque ad quamlibet ſummam cognoſcendi, & terminandi eiſdem Vicarijs Foraneis impertimur.

8. Diſſidia, & controuerſias inter Eccleſiaſticos exorta amicabiliter componant, & pro caſus exigentia, ſicut & quæcunque alia grauiora, quæ in regione ſua euenerint, ad Nos, ſeu Vicarium noſtrum Generalem deferre non prętermittant.

9. Cuncta denique ad ipſorum officium ſpectantia, & præcipuè contenta in inſtructione inſerta appendici ſedulò exequantur: qui aliquid ex pręmiſſis neglexerit, vltra remotionem ab officio, alijs pœnis arbitratu Noſtro pro modo culpæ decernendis, grauiter punietur.

Vicarij autem Foranei ſunt ſequentes.

Pro Trebis, & Iennis:

Reu. Franciſcus Antonius de Lelijs I.V.D. Canonicus Collegiatæ Trebarum.

Pro Ceruaria, & Camerata:

Reu. Alexander Palladinus Rector Collegiatæ Ceruariæ, Archipresbyter nuncupatus.

Pro

Pro Roiate.

Reu. Bernardinus Antonellus Archipresbyter Roiatis.

Pro Ciuitella, & Arce Sancti Stephani.

Reu. Petrus Riccardi Archipresbyter Ciuitellæ.

Pro Aphilis.

Reu. Marcus Orlandi Archipresbyter Aphilarum.

Pro Ierano, & Cerreto.

Reu. Vincentius Vittozzius Curatus Sancti Laurentij Ierani.

Pro Pontio.

Reu. Sanctes Lupi Curatus Pontij.

Pro Arce Canterani, Canterano,
& Arce Medij.

Reu. Ioannes Baptiſta Delphinus Archipresbyter Arcis Canterani.

Pro Auguſta, & Marano.

Reu. Bartholomæus Antoniettus Archipresbyter Auguſtæ.

De Sacroſanctis Eccleſijs, & earum Cultu, ac Immunitate.

CAPVT XXVII.

1 DOmum Dei, in qua Sacroſancta perficiuntur myſteria, & Deus ipſe cum hominibus habitans de Excelſo Solio gloriæ ſuæ ſupplicantium preces exaudit, quàm maxima decet ſanctitudo; Ideo omni cultu, ornatuque, ac decore, ſicut Sponſa ornata Viro ſuo enitere debet.

Paralipp.c.6. v.18. Iſaiæ c.6.v.1. Pſalm.92.v.5. Apocalyp.c.21. v.2.

2. In primis itaque, cum indignum ſit, vt Sacra Templa, aut forma indecora ędificentur, aut constructa neceſſarijs ornamentis, & ſubſidijs deſtituantur, nemini liceat, abſque Noſtra licentia, nouas Eccleſias, Capellas, vel Altaria erigere, ſeu construere; nemini item constructum diruere, vel in alium locum transferre liceat, ſub pœna Interdicti. Quæ autem Eccleſiæ aliqua ex parte collapſæ fuerint, illæ Chriſtiana pietate, iuxta Sacri Concilij Tridentini Decretum, reparentur. Et quæ temporum iniuria ita collapſæ, ac derelictæ ſint, vt pro dignitate inſtaurari nequeant; ex eiuſdem Concilij ſanctione penitus deſtruantur, & ſi fieri poteſt, aliò transferantur, ea cautione, vt tigna, lateres, & cęmenta profanis ædificijs non applicentur, ibique ado-

c. nemo Eccleſiam, & c. nullus Presbyter, diſtinct.1. de Conſecr.

c.1. & 4. de Eccleſ. ædificand.

Concil. Triden. cap.8.ſeſſ.7.de reform.

Conc.Trid. c.7. ſeſſ.21.de refor.

Digitized by Google

adorandum Crucis ſignum collocetur.

3. Cùm verò in ijs exequendis, quæ Lugdunenſi Concilio olim à Gregorio X., & poſteà à Beatiſſimo Pontifice Pio V. de Eccleſiarum cultu ſancita fuerunt, quàm maximam diligentiam adhibere debeamus, omnino decernimus, ne quis in Eccleſia, quæ Domus Orationis eſt, dum Miſſarum ſacra fiunt, Diuinaue Officia peraguntur, ſeu Sacra Concio habetur, deambulet, mutuis confabulationibus operam det, circulos habeat, profanum vllum negotium agat, cum mulieribus, ijs præſertim, de quibus ſuſpicio eſſe poſſit, colloquatur, aut quouis modo diuina interturbet officia, ſeu à Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento auerſus ſedeat, vel irreuerenter ſtet. Ne præterea quiſquam Altaribus, Baptiſmi, ſeu aquæ benedictæ Fontibus innitatur. Quod ſi quis hæc, quæ Chriſtianam Religionem maximè dedecent, admiſerit, pœnis, tum eadem Conſtitutione latis, tum alijs etiam pro perſonarum ratione, & culpæ modo afficietur.

c.2. de Immun. Eccleſ. in 6. Bulla B. Pij V. incip. Cum primum. Concil. Triden. Decret. de obſeru. & euitand. in celeb. Miſſar. ſeſſ. 22. de Sacrif. Miſs.

4. Comeſſationes quęcunque nullo vnquam tempore, nec ſub aliquo prætextu cuiuſuis conditionis hominum, in ipſis Eccleſijs, ſeu Oratorijs habeantur.

5. Ad hęc ludicra, cuiuſuis ſint generis, ab atrijs, ſeu veſtibulis Eccleſiarum omnino arceantur, nec prope illarum fores inania ſpectacula, profanæ cantiones, clamores, ac alia eiuſmodi exerceantur. Ipſæ autem Eccleſiarum Fores ſub occaſum Solis omnino

Digitized by Google

nino claudantur, & ſub aurorам aperiantur, nec vnquam noctu reſerentur, niſi aliqua pro Sacramentis adminiſtrandis vrgente neceſſitate.

6. Feneſtræ ita extructæ ſint, vt nemini per illas intra Eccleſiam pateat aſpectus: inferiores, ſi quæ fuerint, cratibus ferreis muniantur, omnes verò vitreis ſpecularibus, aut ſaltem cerata tela obſerentur.

7. Vas, ad luſtralis aquæ conſeruationem, qualibet hebdomada renouandę, ex marmore, aut alio ſolido lapide extructum ſit, atque in ipſo Eccleſiæ ingreſſu, prope Portam ad latus dexterum ingredientium decenter aptetur. Si verò Eccleſia plures Portas habuerit, cuilibet vas ſaltem mediocre apponatur.

c. 1. de conſecr. Eccleſ. vel Altaris. c. ſi motum, diſtinct. 1. de Conſecrat. c. Altaris Palla, diſt. 1. de Conſecrat. c. conſulto, diſt. 1. de Conſecr.

8. Vnumquodque Altare, ſi totum conſecratum non fuerit, lapidem ſaltem ſacratum habeat, tela cerata coopertum, in quo Sacra Hoſtia, & calix percommodè collocetur; Dùm ſacroſanctum Miſſę ſacrificium celebratur, ſuper Altari adſit alicuius Sancti Imago decenter depicta. Duo inſuper ad minus candelabra ex auricalcho, vel ligno affabrè conſtructa, vnà cum Secretorum Tabellis, puluinaribus, ac tribus mappis ad Miſſæ celebrationem neceſſarijs imponantur, nec deſit pallium eius coloris, quantum fieri queat, qui temporum rationi conueniat. Pręterea quodlibet Altare habeat telam ſtragulam ad operiendam menſam poſt Miſſæ ſacrificium, vt à puluere, ac ſordibus faciliùs defendatur;

atque

Digitized by Google

atque à latere Epiſtolæ Cereoſtatum muro affixum, ſiue ligneum ornatè depictum, ſiue ex auricalcho extructum locetur, cui intortitium in eleuatione Sanctiſſimi Sacramenti accendendum imponatur. Demum Altare maius, atque vbi aſſeruatur Sanctiſſimum Sacramentum, cęteraque minora, quæ fornicata non ſint, vmbella operiantur. Quæ omnia à Nobis in cuiuslibet Altaris Viſitatione ſancita, ac præſenti Synodali Decreto inſtaurata, ſi ab ijs, ad quos ſpectat, intra duos menſes, à præſentium Conſtitutionum publicatione computandos, adimpleta non fuerint, Patroni quidem laici Altarium patronatu priuabuntur: Beneficiati verò ſequeſtratis ad id beneficiorum fructibus, hæc omnia pleniſſimè exequi compellentur.

c.2. de Cuſtodia Euchariſtiæ.

9. Diligentiſſimè autem quiſque curet, vt ne in Eccleſia, quam obtinet, quidquam incultum ſit, ſordibuſque obſoleſcat, ſed omnia nitidiſſimo, ac religioſo cultu colluceant. Ideo tota Eccleſiaſtica ſupellex, vaſa, veſtes, & ornamenta armarijs congruentibus diſpertita diligenter in Sacriſtia aſſeruentur, ac mundiſſimè cuſtodiantur, & cum opus fuerit, inſtaurentur, aut renouentur, nec abſque Noſtra, ſeu Vicariorum noſtrorum licentia, ab eorum Cuſtodibus alteri cuicunque extra Eccleſiam accõmodentur.

d.c.2. de Cuſtodia Euchariſtię. c. veſtimenta, diſt. 1. de Conſecrat.

10. Turres Campanarum ita cuſtodiantur, vt non omnibus in illas ingreſſus pateat. Campanę nouiter fuſę in illis non collocentur, nec vſui Eccle-

cleſiaſtico deputentur, priuſquàm ſacris precibus, & ritibus benedictę fuerint. Eędem verò nonniſi ſtatutis horis pulſentur, nec temere ad res profanas ſignificandas adhibeantur.

toto titulo de Immunitate Eccleſ. Bulla Gregorij XIV. Cum alias nonnulli Kalen, Iunij 1591.

11. Immunitas denique Eccleſię, ac locis ſacris debita inuiolatè ſeruetur, Reique ad ea confugientes, quantumuis grauia delicta commiſerint, tuti ſint, & ab eis nec directè, vel indirectè, via compulſiua, vel impulſiua, nec ſubdolis, vel blandis verbis extrahi permittantur, niſi ex illis fuerint, quos in ſua Conſtitutione ſanctę memorię Gregorius XIV. ab hoc beneficio excluſit.



De

De Funeribus, & Sepulturis.

CAPVT XXVIII.

1 INter præcipua Chriſtianę charitatis opera, quæ maxima diuinarum gratiarum retributione tum in præſenti, tum in futuro ſęculo donantur, pia erga decedentes Fideles officia reponuntur. Si enim hæc faciunt, qui carnis reſurrectionem non credunt, quantò magis debent facere, qui credunt? vt corpori mortuo, ſed tamen reſurrecturo, & in æternitate manſuro, impenſum eiuſmodi officium ſit etiam quodammodo eiuſdem Fidei teſtimonium. Ideo ſacras cęremonias, ac ritus, quibus ex antiquiſſima traditione, & Summorum Pontificum inſtitutis pia Mater Eccleſia in filiorum ſuorum funeribus vti ſolet, tanquam vera Religionis myſteria, Chriſtianæ pietatis ſigna, & ſaluberrima defunctorum ſuffragia, Parochi ſummo ſtudio ſeruare debent, atque vſu retinere.

c. non æſtimemus 13.q.2.

2. In primis autē, quia *ſancta, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare*, cum aliquis in Fidelium communione deceſſerit, Rector illius Eccleſiæ, ad quā deferendū eſt cadauer, monitus, ſtatim exhiberi curet ſignum obitus illius ſono campanæ, quem audientes Fideles pro anima defuncti preces ad Deum

2.Machab.c.12. v.46.

Ff fun-

d.c. no æſtimemus 13.q.2.

fundere valeant. Neque enim æſtimare debemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus, quidquam peruenire, niſi quod pro eis ſiue Altaris, ſiue orationum, ſiue eleemoſynarum Sacrificijs ſolemniter ſupplicamus. In funere vero paruulorum Campanæ ad pręſcriptum Romani Ritualis non ſono lugubri, ſed potius feſtiuo pulſandę erunt.

Ritual. Roman. de Exequijs paruulorum.

3. Porrò quicunque Clerici, ſiue Seculares, ſiue Regulares, nec non piarum Sodalitatum Confratres, qui ad funus celebrandum inuitantur, in Parochiali Eccleſia, intra cuius limites defunctus exiſtit, conuenire debent, & inde ſuo ordine ad domum eiuſdem defuncti procedere, pręſente ſemper ipſius Parocho, qui cæteris præcedat, & ſolus ſtolam deferat, etiamſi plures Parochi ad pia hęc officia peragenda conuocentur. Regulares pariter cuiuſcunque ordinis ad proprias Eccleſias cadauera ſepelienda deferre nequeant, non vocato priùs, & expectato Parocho, niſi ipſe aliter permiſerit, vel adeſſe recuſauerit. Nullatenus verò ante Solis ortum, vel poſt eius occaſum cuiuſpiam cadauer ad ſepulturam efferatur abſque Noſtra ſpeciali licentia. Semel item ſepulturę traditum Nobis, aut Vicario noſtro Generali inconſultis, ne exhumetur, vel de vno in alium locum transferatur. Omnes autem funus comitantes, ſiquidem Clerici ſeculares fuerint, cum veſte talari, ſuperpelliceo, & bireto, Confratres Sodalitatum cum ſuis ſaccis, Regulares verò non alia veſte induti, quam ea, qua in Choro vti ſolent, ad

ſacram

ſacram hanc functionem accedant: pijſque de more in itinere decantatis precibus, recto tramite, ac breuiori via cadauer aſſocient, tam ad Eccleſiam, in qua ſolemnes precationes peragi ſolent, quàm ad alteram, in qua tumulandum erit, neque inde diſcedant, aut candelas extinguant, niſi iuſtis integrè perſolutis, ſub pœna amiſſionis eleemoſynę illius funeris, & alijs arbitrio Noſtro. Caueant tamen Parochi, ne cadauera Fidelium defunctorum ſepulturę tradantur, niſi elapſis viginti horis, poſtquam animam exhalauerint, & eorum corpora, qui repentina morte deceſſerint, nonniſi poſt vigintiquatuor horas, aut longius etiam temporis interuallum, ſi ita à peritis iudicetur, vt nulla vnquam de morte relinquatur dubitatio, humo mandentur.

4. Et quoniam qui diuina vocatione ab hac vita recedunt, cum Pſalmis tantummodò, & pſallentium vocibus debent ad ſepulchra deferri, ideo diuina officia, quę pro defunctis celebrantur, immoderatis conſanguineorum, ac pręcipuè mulierum clamoribus, ac ploratibus nullatenus perturbentur. Quapropter morem hunc, ritus Ethnicorum redolentem, in aliquibus Noſtrę Diœceſis Oppidis inuentum, grauiter in Viſitatione Noſtra reprehendimus, & nunc pariter damnamus; habent enim illi forſitan doloris excuſationem, qui de hoc ſeculo ad melius tranſitum eſſe non confidunt: Nos autem qui nouimus, qui hoc credimus, & docemus, iuxta monitum Apoſtoli *contriſtari de dor-*

c. quam præpoſterum, c. vbicunque, c. habent forſitan, & c. qui diuina, 13. q. 2.

1. ad Theſſalon. c. 4. v. 12.

 mien-

mientibus non debemus, *ſicut & cæteri qui ſpem non habent*, ne quod apud alios pietatis retinet ſpeciem, hoc Nobis in culpa reputetur.

5. Proprius cuiuſcunque ſepulturę locus eſt Eccleſia Parochialis, intra cuius fines habet domicilium, vt vbi vitæ accepit Sacramenta, ibi mortalitatis ſuę habeat conditorium, & ſuffragiorum adiumentum, niſi tamen alibi ſepulchrum elegerit, aut ab eius maioribus pro ſeipſis, & ſucceſſoribus conſtitutum fuerit. Aduertant tamen quicunque Clerici, ſiue Seculares, ſiue Regulares, ſub pęnis in ſacra ſanctione contentis, & alijs etiam grauioribus, ne quemquam inducant, vt voto, iuramento, aut fide interpoſita ſe obliget ad eligendam ſepulturam in eorum Eccleſia, vel electam non immutandam; quòd ſi contrà factum fuerit, & electio ipſa irrita erit, & eligens hoc pacto in ea Eccleſia ſepeliri non poterit, ſed ad eam erit deferendus, in qua, ſi ſepulturam non elegiſſet, eſſet humandus.

c. 1. de ſepulturis in 6.

6. Sordidi quæſtus, & mercimonia in funeribus ducendis à Parochis omnino vitentur, ſciantque ſe grauiter puniendos, ſi eorundem occaſione quidquam, pręter id, pro quo antiqua, pia, & probata cuiuſque loci inualuit conſuetudo, exigere, aut paciſci pręſumpſerint. Ideo nunquam ſub pretextu non ſolutę eleemoſynę funeralis denegare, aut differre ſepulturam quiſquam audeat. Quinimò, quia ſcriptum eſt, *Mortuo non prohibeas gratiam*, pauperum, & miſerabilium perſonarum cadauera

Eccleſiaſtic. c. 7. v. 37.
Ritual. Roman. de Exequijs.

gratis

gratìs ſepeliantur, adhibitis ſaltem duobus luminaribus, ſumptibus Parochi, niſi ab aliqua pia Sodalitate huiuſmodi Chriſtianæ pietatis officium conſueuerit exerceri. Præterea laudabilem morem, quem penè in omnibus Noſtræ Diœceſis Oppidis inuenimus, vt funerum eleemoſynæ non integrè in Parochorum commodum cedant, ſed partim etiam in Eccleſiarum Parochialium beneficium, ac reparationem impendantur, diligenter cuſtodiri mandamus. Eadem proinde emolumenta pro rata Eccleſijs contingente à duobus probatæ fidei viris, quos *ſanctesios* nuncupant, quorum alter à Parocho, alter à Communitate loci eligi ſolet, fideliter exigantur, & adminiſtrentur, ac cum ijſdem frequenter quidem à Parochis, & Vicarijs Foraneis, ſemel autem in anno etiam à Vicario noſtro Generali, dati, & accepti rationes exactiſſimè habeantur. Similiter quoniam non hominis eſt terra, ſed vt Pſalmiſta commemorat, *Domini eſt terra, & plenitudo eius*, Pſalm.23. v.1. ideo pro ſepulturæ loco, ſiue intra, ſiue extra Eccleſiam quidquam à Rectoribus peti, aut exigi omnino prohibemus, ne (quod valdè irreligioſum eſt) aut venalis fortaſſe dicatur Eccleſia, aut Sacerdotes Dei, (quod prorſus damnabile eſt) de humanis videantur mortibus gratulari.

c. queſta eſt', c. poſtquam precio, c. in Eccleſiaſtico, c. præcipiendum 13. quæſt.2.

7. Noua tamen ſepulchra extruere, abſque Noſtra, ſeu Vicarij noſtri Generalis licentia nemini liceat, ſub pœna interdicti, neque vlla ſupra Eccleſię pauimentum, ſeu ſub Altaribus, vbi Corpus, & c. præcipiēdum 13. q.2.

San-

Sanguis Domini conſecratur, aut nimis propè illa ædificentur; imò, ſi quæ modò ibidem extructa reperiuntur, amotis prius oſſibus, & cineribus, ac in Cœmeterium illatis, quamprimùm claudantur. Ij verò, quibus noua ſepulchra conſtruendi facultatem fecerimus, ita ea extruant, vt intus opere fornicato ſint, ac lapideo integumento operiantur, quod ſepulchrali ori vndique aptè cohæreat, & reliquo Eccleſiæ pauimento adæquetur; Hoc autem nunquam pro ſepeliendo cadauere incompoſitè fodiatur ſub eadem pœna interdicti, prout in Viſitatione Noſtra enixè ſanciuimus: ad cuius præſcriptum diligenter curent quicunque Eccleſiarum Rectores, vt eadem pauimenta, quæ modò ex præfata, ſiue alia cauſa excauata reperiuntur, quamprimùm complanentur, nec non noua, & antiqua ſepulchra ita aptè, & compreſsè lapide integro operiantur, & calce diligenter circum circà obſtruantur, vt nullus inde fœtor egredi poſſit, ne & ſacrificantibus, & orantibus in Eccleſia, in qua omnia optimè redolere debent, moleſtiam afferant.

8. In quibuſcunque Eccleſijs Parochialibus, prout in eadem Viſitatione pariter iniunximus, vbi modò non adſunt, ſepulchrum ſeorſim pro Eccleſiaſticis, aliudque pro paruulis decedentibus cum Baptiſmo ante ſeptennium, à cæteris adultorum ſeparatum ad Romani Ritualis præſcriptum, quamprimùm conſtruantur.

9. Cadauera autem iufantium, qui ſine Bap-

tiſmo

tiſmo moriuntur, propè Eccleſiam, ſed in loco non ſacro ad id ſpecialiter conſtituto, tumulentur: Fœtus tamen in ventre Matris exiſtens tanquam viſcerum eius pars cum Matre ſepeliatur.

10. Cœmeteria, quia loca Religioſa ſunt, in honore habeantur, ac diligenter cuſtodiantur, muro vndequaque ſepiantur, & oſtium clauſum, ac tutum habeant, ne belluis vllo modo pateãt: In eorum medio Crucis ſignum erectum ſit, ac locus ipſe ab omni ſorde, atque etiam ſpinis, vepribus, arbutiſque purgetur; nihil tandem Eccleſiarum Rectores in eis patiantur, quod religioni, vel loci ſanctitati aduerſari videatur.

11. Nemo autem, ſiue Parochus, ſiue alius quicunque, etiam Regularis audeat in ſua Eccleſia, vel Cœmeterio ſepelire aliquem ex ijs, quibus Eccleſiaſtica ſepultura à Sacris Canonibus, & Pontificum Conſtitutionibus denegatur, ſub pœnis per ipſos Sacros Canones inflictis, & alijs arbitrio Noſtro. Huiuſmodi autem ſunt Infideles, Hæretici, Schiſmatici, & eorum fautores, publicè excommunicati, & denunciati, notorij Clericorum percuſſores, Interdicti, dum viuerent, ab Eccleſiæ ingreſſu, Mortui in duello, aut prohibitis torneamentis, vel qui ſibi ex deſperatione mortem conſciuerint, publici vſurarij, latrones, fures, raptores, niſi ante mortem ſatisfecerint, vel idoneam præſtiterint cautionem, qui in peccato publico, ac manifeſto, nullo dato contritionis ſigno deceſſerint,

Ritual. Roman. de Exequijs.

c. fures 13. q. 2.

In-

Infantes, & adulti ſine Baptiſmo defuncti, qui ſaltem ſemel in anno Confeſſionis Sacramento peccata non expiauerint, & Sacra Euchariſtia in Paſchate non ſint refecti, niſi id in ipſa ægritudine pręſtiterint; Horum cadauera, quæ à locis ſacris omnino arceri debent, ita remotè ab Eccleſia ſepeliantur, vt inde Clericorum diuina canentium voces exaudiri nequeant. Ij ſiquidem, quibus peccata dimiſſa non ſunt, à ſacris locis poſt mortem adiuuari non poſſunt. Quòd ſi contigerit aliquem, vel aliquos ex pręfatis quacunque ratione contra Sacrorum Canonum decreta in loco ſacro ſepeliri, eorum cadauera, ſi ab alijs diſcerni poterunt, exhumanda erunt, & in profanum locum proijcienda, ac Eccleſia ipſa, ſiue Cœmeterium reconcilianda.

c. omnis vtriuſque ſexus, de Pœniten. & remiſſ.

c. quibus, c. cum grauia, 13. q. 2.

12. Meminerint præterea Parochi ad præſcriptam Romani Ritualis formulam quoſcunque ſuæ Parochiæ defunctos, ſiue in propria, ſiue in aliena Eccleſia tumulatos, in librum ad id compactum diligenter referre, ijſdem vbiq; cautelis adhibitis, & ſub eiſdē pœnis, quas pro deſcribendis baptizatis, & matrimonijs fusè alibi præſcripſimus. Eius autem authenticum exemplar, ſub ijſdem pariter pœnis, quas pro alijs Parochialibus Codicibus conſtituimus, ad Noſtram eccleſiaſticam Cancellariam Sublacenſem quotannis tranſmittere tenebuntur.

13. Vt autem non modò defunctorum funeribus, ſed & eorum ſuffragijs prouidè proſpiciamus, piam præcipuè, & religioſam conſuetudinem, quam


inter

inter Noſtræ Diœceſis Sacerdotes deprehendimus, Vicarij noſtri Generalis accurata diligentia retentã, ac propagatam, per quam mutuam ſibi decedentibus ſuffragiorum iugiter retribuunt vicem, quam diligentiſſimè cuſtodiri, imo etiam augeri vehementer optamus. Ideo, vt laudabilis hæc, ac ſalutaris inſtitutio, ſuis perpetuò ſubſiſtat viribus, & nullo temporis depereat ſucceſſu, hoc Synodali Decreto iniungimus, vt in poſterum Foraneus Vicarius, ſeu Parochus loci, in quo Sacerdos aliquis deceſſerit, Vicarium noſtrum Generalem de illius obitu quam primùm certiorem reddat; hic porrò ſtatim ad reliquos Foraneos Vicarios ſuper eadem re literas dabit: ij verò Parochos omnes, ac Sacerdotes ſui reſpectiuè Vicariatus de mortuo Confratre illico commonebunt, vt ſinguli intra octo dies ab hac recepta notitia defuncti animæ conſueto Sacrificio valeant ſuffragari, adeoque arctior inter Noſtros Sacerdotes in vinculo charitatis fraternitas inducatur, per quam non modò dum viuunt mutua amoris, & dilectionis pignora alter ad alterum impenſiùs exhibeant, ſed & cuicunque eorum quouis tempore decedenti reliqui ſuperſtites mutua ſpiritualis auxilij retributione opitulentur.

14. Demum cum par ſit Paſtoris ſolicitudini maiorem grati animi vicem rependi, tum in Abbatiali, tum in Collegiatis Eccleſijs Noſtræ Diœceſis, pro Abbate Commendatario vltimo defuncto, in ſingulos annos recurrente die illius obitus, vel ſi

impeditus fuerit, die præcedente, anniuerſarium cum Miſſa Defunctorum, ſolemniter peragatur.

Confidimus enim eò alacriùs pietatis hoc ſpecimen, fratres noſtros reddere incepturos animæ felicis recordationis Eminentiſſimi Cardinalis Antonij Barberini Noſtri prædeceſſoris; quò enixiùs, ſicut à Nobis huiuſmodi ſolicitudinem exigunt multiplicia ſanguinis, ac beneficiorum officia; ita ab eorundem beneuolentia propemodum efflagitant præclara illius erga Inſignem hanc Abbatiam merita, quæ eius, tum opera, tum patrocinio apud Vrbanum Octauum ſanc. mem. Pontificem Maximum, eo, & dignitatis, & ſplendoris, imò Iuriſdictionis loco reperitur, vt eximia Apoſtolicę Sedis munificentia latè nunc ſplendeſcat, ac ampliſſimè decoretur.



De

De Bonis Eccleſiarum, Locorumque Piorum.

CAPVT XXIX.

1 QVoniam Eccleſiaſticis, ſacriſque vſibus dicata Chriſti patrimonium cenſeri, atque adeo ſumma religione, integritate, ac diligentia adminiſtrari debent, idcirco Eccleſiarum, Beneficiorum, Locorumque Piorum Rectores, poſſeſſores, atque adminiſtratores quicunque, eorundem bona immobilia, aut mobilia pretioſa vendere, alienare, vel quomodocunque obligare, etiam cum clauſula, reſeruato beneplacito Apoſtolico, quatenus opus ſit, niſi realiter, & cum effectu idem beneplacitum priùs acceſſerit, ſub pœnis Sacrorum Canonum, Conſtitutionumque Pontificiarum nullatenus præſumant.

c. cum ſecundũ de prębend. c. Expedit 12. q.1.

c.nulli de rebus Eccl. non alien. Extrauag. Ambitioſæ cod. tit. Conſtit. Vrbani VIII. incipien. Humanæ.

2. Mobilia verò non pretioſa, & quæ ſeruando ſeruari non poſſunt, aliaque auctoritate ordinaria alienari de iure permiſſa, ſine Noſtra, vel Vicarij noſtri Generalis licentia in ſcriptis priùs obtenta diſtrahere, permutare, aut quomodolibet obligare ſub pœnis, vltra nullitatem contractus, arbitrio Noſtro infligendis omnino caueant.

c. hoc ius 10. q.2. c. terrulas 12. q.2.

3. Præterea præfatis omnibus, & ſpecialiter Hoſpitalium, Sacriſtiarum, Scholarum publicarum,

c.veſtimenta, & c. ſeq. diſt.1. de Conſecr.

Domuſque pro Seminario deſtinatæ quomodocunque curam gerentibus quidpiam ſacræ, aut profanę ſupellectilis, alijs, etiam Eccleſijs, aut Locis pijs commodare, vel à dictis locis aſportare, abſque licentia Vicarij noſtri Generalis in Terra Sublaci, ac Foranei in Diœceſi, diſtrictè prohibemus.

4. Beneficiati inſuper iuramenti per ipſos in capienda beneficij poſſeſſione præſtiti memores, (quod iuramẽtum per prę fatos ſingulos in manibus Noſtris, ſeu Vicarij noſtri Generalis, antequàm dictam poſſeſſionem ineant in poſterum præſtari omnino volumus) non ſolum à prædictis abſtineant, ſed etiam res, & iura beneficiorum ſuorum malè alienata, omni fide, induſtria, ac vigore recuperare pro viribus laborent; & Nos, ſeu præfatum noſtrum Vicarium Generalem, vt iuris remedia adhibere valeamus, certiores faciant, nec ſuper ijſdem ad aliquã compoſitionem, tranſactionem, aut renouationem Nobis inconſultis deuenire audeant.

c.2. de precarijs.

5. Periti quoque in quouis contractu de huiuſmodi rebus celebrando ad iuſtificanda de iure requiſita adhibendi, ſi quid, aut tacendo verum, vel aſſerendo falſum in æſtimando iuſto rerum valore fefellerint, præter damni compenſationem, ad quam tenebuntur, etiam excommunicationis ſententiam ſe incurrere ſciant.

6. Cuncta autem hæc bona, nec vltra triennium, nec anticipatis ſolutionibus, exceptis, iuxta conſuetudinem, ſemeſtribus domorum penſionibus,

Ead. Extrauag. Ambitioſæ. Concil. Triden. c. 11. ſeſſ. 25. de reform.

bus, locentur: per triennium verò trinas recollectiones fructuum intelligimus, itaut, ſicubi, quemadmodum in noualibus, ac ſyluis cæduis contingit, ſecundo duntaxat, aut tertio quoque anno iſtæ recollectiones fiant, in longius triennio tempus pro portione locationes extendi poſſint; dummodò tamen nullæ penſionum ſolutiones in præiudicium Succeſſorum anticipentur.

7. Prædiorum porrò quorumcunque ipſius Eccleſiæ, ſiue alterius cuiuslibet Pij loci locationes non arbitrio Adminiſtratorum, ſed propoſitis priùs publicis Edictis, dataque omnibus libera conducendi facultate fiant; atque ad extinctionem candelæ plus offerenti, coram Vicario noſtro Generali hic Sublaci, in Diœceſi verò coram Vicario Foraneo, & loci Curato, cum fideiuſſione idonea, Adminiſtratoribus ſtipulantibus per inſtrumentum in forma publica regiſtratum in libro ad hoc præordinato concedantur, ſub pœnis nullitatis contractuum, & refectionis damnorum contra dictos Rectores, ſeu Officiales, ſi quid in contrarium fuerit attentatum.

8. Cæterum ad dictas locationes vicini, quantum fieri poterit, non admittantur, ne ipſis propriorum agrorum fines, cum Eccleſiæ, Locorumue Piorum iniuria, proferendi occaſio præbeatur; & ſi quando neceſſitas, vel vtilitas vrgeat, tunc, vt ſacra iura in tuto ſint, huiuſmodi locationum documenta per Notarium publicum, cum exacta menſuræ, ac confinium prædij ab omni latere deſcriptione,

tione, id quod in omni quidem caſu, ſed præcipuè iſto, & cum bona dantur quibuſcunque in emphiteuſim, cautè conficiantur: propinquis pariter, atq; affinibus vſque ad tertium gradum incluſiuè Rectorum, Adminiſtratorum, vel Patronorum, nedum ipſis, præfatæ locationes, & ſignanter conceſſiones in Emphiteuſim, niſi Eccleſijs, Lociſue Pijs aliter expedire iudicauerimus, nulla ratione, nec per ſuppoſita nomina, ſub pœna nullitatis contractuum, alijſque ad arbitrium, fieri mandamus.

Conſt. Alexandri VII. ſub data 23. Aprilis 1657. incipien. Suprema.

9. In his autem Emphiteuticis contractibus, qui de rebus tantùm in emphiteuſim concedi ab antiquo ſolitis, atque ad tertiam duntaxat generationem, auctoque ſemper, quantum licuerit, priori Canone, fieri debent, ne temporis diuturnitate, Eccleſiarum, Locorumque Piorum iura obſcurentur, ea apponatur conditio, vt vigeſimo quoque anno, ſub pœna caducitatis, publico inſtrumento renouentur, cum expreſſione nominis, ſitus, quantitatis, qualitatis, ac confinium prædij, vt eius identitas, & fines nunquam in controuerſiam venire poſſint. Inuigilandum præterea, ne Emphiteutæ contra pacta conceſſionibus apponenda huiuſmodi bona in rerum familiarium diuiſionibus, dotiumue aſſignationibus, aut aliter quomodocunque per ſchedulas, vel inſtrumenta, aut terminorum appoſitiones, quos, ſicubi reperientur, tolli volumus, vllatenus, etiam obtentu iuris ſibi ratione melioramentorum competentis, diuidere præſumant. Summa inſu-

d. Extrauagan. Ambitioſæ. Sac.Congr.Epiſcop. in Caputaqu. 21. Octob. 1611. Sac.Congr.Epiſcop.in vna Genuen. 12. Febr. 1597.

Digitized by Google

inſuper adhibenda cautio, ne canonum, ſeu reſponſionum, & laudemiorum exactiones intermittendo, aut exactos non notando pręiudicium Eccleſijs, Lociſque Pijs circa directum dominium inferatur. Quoties denique huiuſmodi bona, ſiue linea extincta, ſiue ob non ſolutum canonem, ſeu quauis alia ratione deuoluentur, id Rectores, Adminiſtratoreſque reſpectiuè, ſub grauiſſimis pœnis arbitratu Noſtro infligendis, Nobis quamprimùm denũcient, vt opportunè, quod è re magis fuerit, ſtatuere valeamus. cap. fin de locat. & conduct.

10. Iam verò Eccleſiarum, Locorumque Piorum domos, ac ædificia quæcunque Beneficiati, atque Adminiſtratores pro facultatibus reficiant, & ſarta tecta conſeruent, ea tamen ex toto, vel ex parte, etiam prætextu in meliorem formam redigendi, deſtruere ſine Noſtra, vel Vicarij noſtri Generalis licentia, non audeant: nec in vineis, viridarijs, prædijs, aut ſyluis quibuslibet ſuorum Beneficiorũ, ſeu Locorum Piorum extra caſus à iure permiſſos, vites, aut arbores, niſi prius Nobis, vel præfato noſtro Vicario Generali eas cęduas eſſe conſtiterit, ſub pœna, vltra alias à Sacris Canonibus ſtatutas, vnius ſcuti pro vnaquaque vite, ſeu arbore religioſis vſibus arbitrio Noſtro applicandi, cædere præſumant, locoque reciſarum, vt ſuprà, nouas plantare omnino meminerint.

11. Quæcunq; pecuniarum ſummæ Eccleſijs, Beneficijs, Cappellanijs, aut Locis Pijs quibuslibet

ex

ex quouis relicto, cenſu extincto, aliòue cuiuſcunque generis contractu prouenientes cum onere reinueſtiendi, non breui manu Rectoribus, Beneficiatis, Cappellanis, vel Adminiſtratoribus, ſed alijs perſonis idoneis ſpecialiter ad hoc deputatis, & per Nos, ſeu Vicarium noſtrum Generalem approbatis tradantur, monitis prius de hoc dictis Rectoribus, Beneficiatis, Cappellanis, ſeu Adminiſtratoribus, ac inſuper præfato Vicario noſtro Generali in Terra Sublaci, in Diœceſi autem Vicario Foraneo, & Parocho; qui omnes diligentias adhibere teneantur ad faciendum præuio Noſtro conſenſu earundem pecuniarum quàm tutiſſimum, atque vberrimum reinueſtimentum in ſtabilibus fructiferis, locis Montium, aut Cenſibus ſecuris, & exigibilibus, cum ſufficiente cautione, alijſque cautelis ad formam Bullæ Beati Pij Quinti. Licentia verò ſtipulandi Inſtrumentum Cenſus non antè concedenda erit, quàm Nobis, vel eidem noſtro Vicario Generali conſtiterit, tam de valore fundi, ſuper quo Cenſus imponitur, quàm quod imponens habeat illius dominium ab omni hypotheca, & fideicommiſſo liberum, quòdque ſit idoneus, nec ære alieno grauatus: quæ quidem licentia in ſcriptis dari, ac inſtrumento Cenſus de verbo ad verbum inſeri debet; eam autem obtinere, vel aliàs hanc formam cum cautelis ſeruare negligentes, pœna viginti ſcutorum mulctentur, atque etiam de euictione cenſus in ſolidum teneantur. Si quis verò huiuſmodi pecu-

Conſtitut. B. Pij V. incip. Cum onus.

nias,

nias, aut, nullo reinueſtimento facto, in proprios vſus conuerterit, aut ſuaſu, conſilio, vel ſuffragio, in euidens, ſeu veriſimile Eccleſiæ, lociue Pij periculum reinueſtiendas curauerit, vltra præfatas pœnas in excommunicationem ipſo facto incurrat.

12. Conſuetudinem porrò ſoluendi decimas tot Diuinis Oraculis confirmatam, & ab Eccleſia Fidelibus efficaciſſimè ſemper commendatam, atq; adeò ſub grauiſſimarum contra non ſoluentes pœnarum comminatione præceptam, Nos in quantum apud Populos huius Noſtrę Diœceſis vſu viget, ſub ſeueriſſima Sacrorum Canonum cenſura inuiolatè ſeruari enixè mandamus.

Exodi 22. Deuter. 12. c. Parochiano, de Decimis. c. reuertimini, & c. decimę 16. q. 1. Concil. Triden. c. 12. ſeſſ. 25. de reform.

13. Vſurpantes denique, aut quocunque quęſito colore, ſiue per ſe, ſiue per alios, indebitè detinentes Eccleſiæ, vel cuiuſuis loci Pij quælibet bona, iura, cenſus, fructus, emolumenta, obuentiones, inſtrumenta, libros, ac cuiuſcunque generis ſcripturas, & quomodolibet impedientes, ne præfata ab ijs, ad quos pertinent, percipiantur, nouerint ſe vltra pœnas Noſtro arbitrio infligendas ſubiacere excommunicationi Summo Pontifici reſeruatæ in Bulla Cœnæ Domini, atque in Decreto Sacri Concilij Tridentini; Clerici verò hiſce vſurpationibus, & fraudibus conſentientes, vltra excommunicationẽ vt ſuprà reſeruatã, priuantur beneficijs, & ad alia redduntur inhabiles, vt in dicto Concilij decreto, quod vnà cum particula præfatæ Bullæ huc ſpectante ſingulis annis in Feſto Sanctorum Apoſtolorũ Petri, &

Bulla in Cœna Domini § 11. Conc. Trid. cap. 11. ſeſſ. 22. de reform.

Digitized by Google

Pauli, & ſimiliter in Feſto S. Sylueſtri, ab omnibus Parochis inter Miſſarum ſolemnia publicè Italica lingua legi volumus. Scientes etiam quicunque, maximè Eccleſiarum Rectores, Beneficiati, locorumque Piorum Adminiſtratores, ac Deputati, huiuſmodi vſurpatores, illicitos detentores, impedientes vt ſupra, nec non arborum inciſores, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ Nobis reſeruatæ, teneantur intra quindecim dies deferre ad Vicarium noſtrum Generalem, propriòſue Vicarios Foraneos, qui deinde has denunciationes Nobis, vel prefato Vicario Generali quamprimùm traſmittant, vt Eccleſiarum, locorumque Piorum ſatisfactionem ſimul, ac denunciatorum emendationem paterna ſuauitate procuremus; aut certè ipſorum ſacrilegam contumaciam, cenſurarum declaratione, alijſque grauiſſimis pœnis vindicemus.

c. indigne 12. q.2.

De

De Bonorum Eccleſiarum, aliorumque locorum Piorum Inuentario, & Archiuio.

CAPVT XXX.

QVo religioſiùs, ac diligentiùs, 1 Diuino cultui, charitatiſque operibus conſecrata cuſtodiantur, Nos in executionem Ordinationum Apoſtolicarum, atque etiam eorum, quæ in Viſitatione Noſtra nuper iniunximus, ſolicitè intenti, Capitulis, Archipresbyteris, Curatis, Eccleſiarum Rectoribus, Cappellanis, & quorumcunque locorum Piorum Adminiſtratoribus diſtrictè præcipimus, vt Inuentarium omnium Stabilium cum ſuis confinibus, Cenſuum cum indicatione temporis impoſitionis, & nomine imponentis, Notarijque deſuper rogati, bonorum emphiteuticorum, canonum, decimarum, & quorumlibet aliorum redituum, atque obuentionum, nec non legatorum piorum cum ſuis oneribus, mobilium, ſe mouentium, ſacræ ſupellectilis, nominum debitorum, rerum etiam malè alienatarum, ſeu vſurpatarum, quorumcunque denique iurium, actionum, inſtrumentorum, librorum, & cuiuſuis generis ſcripturarum ad Eccleſias, Collegia, beneficia

Conſtit. Sixti V. incip. Prouida apud Quarant. in Summ. Bullarij verbo Archiuium.

etiam ſimplicia, & de Iurepatronatus, ac quęuis alia loca pia pertinentium, intra ſex menſes à die publicationis huius Synodi computandos, accuratè conficiant, per Notarium publicum, aut ſaltem per ſe ipſos ſeruata formularum diuerſitate in appendice inſerendarum, adhibitis etiam duobus Senioribus loci, fide dignis, & præfatorum maximè gnaris, altero per Communitatem loci, altero per ipſos conficientes eligendo, quos, negotio tam proficuo, ac ſalutari operam ſuam fideliter, (in quo ipſorum conſcientias oneramus) & promptè exhibere, paternè admonemus: vt autem hoc opus pleniùs, atque exactiùs fiat, omnes fundationes, erectiones, inuentaria vetera, ac quæuis documenta huc ſpectantia, vbicunque exiſtentia, præſertim in Cancellarijs, ſeu Archiuijs vicinorum Epiſcoporum, ſcilicet Præneſtini, Tiburtini, atque Anagnini, qui ante ſanc. memoriæ Vrbani VIII. Breue confirmationis concordiæ in aliquibus huius inſignis Abbatiæ beneficijs inſtituebant, ſedulò exquirant, eorumque authentica exempla ſibi tradi curent.

2. Et quia temporis progeſſu veterum ſtabilium fines mutari, & noua bona acquiri non rarò contingit, propterea inuentaria ab antiquo confecta, ex integro, vt ſuprà, reficiantur, eaque ſic refecta, atque alia nunc primùm facta decimo quoq; anno renouentur, in fine verò vniuſcuiuſque inuentarij addatur clauſula, quòd per illud nulla ratione Eccleſiæ, locoue Pio præiudicari debeat, ſi forte

po-

poſtea alia bona ad eadem pertinere quomodocunque apparuerit.

3. Cunctorum porrò huiuſmodi inuentariorum authentica exempla, ijdem, qui ea confecerunt, intra ſeptem menſes, vt ſuprà, computandos, ad Vicarium noſtrum Generalem transmittant, vt in Cancellaria eccleſiaſtica Sublaci repoſita conſeruentur, indeque generale Cataſtum omnium bonorum ad quaslibet Eccleſias, & loca Pia huiuſce Noſtrę Diœceſis pertinentium quamprimùm compiletur.

4. Ipſa autem originalia cuſtodiantur in Archiuio, aut certè Sacriſtiæ armariolo ad id deſtinato, quod ad præſcriptum pariter præfatæ Noſtræ Viſitationis in vnaquaque Eccleſia, locoque Pio, vbi nondum factum reperitur, decenter fieri, ac firmiter muniri intra duos menſes, vt ſuprà, calculandos, enixè mandamus; Beneficiati verò ſimplices, ac Cappellani, qui huiuſmodi archiuiola commodè habere nequeunt, in illo Parochialis Eccleſiæ, præcipua cura, iuxta alibi ſancita, parando, ſua inuentaria aſſeruari procurent.

Præterea in ijſdem Archiuijs ſtatim, vbi perfecta fuerint, inſtrumenta, computationum libri, teſtamenta, legata pia cum ſuis oneribus, eorumque ſatisfactionibus, indulgentiarum, & priuilegiorum diplomata, reliquiarum, vbi adſunt, catalogus, & authentica documenta, Viſitationum decreta, Eccleſiæ dedicatio, libri etiam, ſi eſt Parochialis Eccleſia, Baptizatorum, Confirmatorum, matrimo-

niorum,

niorum, mortuorum, ac ſtatus animarum, vt alibi pariter plenius ſtatutum eſt, & quæcunque aliæ ſcripturæ ad Eccleſiam illam, locumue pium, nec non ad eorum bona, reditus, & iura ſpectantes, omniũ denique præfatorum dilucidus index, non confusè, ſed diſtinctis loculis reponantur. Quæ quidem Archiuia Rectores Eccleſiarum, & quilibet alij eorundem curam gerentes firma ſera, diligentique cura claudere, nullique claues committere, aut vlla literarum documenta inde tradere, perquirendiue licentiam, niſi ipſis præſentibus, dare ſub grauibus pœnis aſſiduè meminerint.

5. Si qua ex præmiſſis Rectorum, vel Beneficiatorum incuria, vel aliter, in Archiuio recondita non fuerint, ipſis morientibus, eorum hæredes, ac quicunque alij, ſub pœnis contra illicitos detentores bonorum Eccleſiaſticorum ſtatutis, non detineant, ſed illa, quatenus apud eos exiſtant, intra terminum vnius menſis, Oeconomo, vel Succeſſori in beneficio, aut Vicario ſiue Generali, ſiue ſuo quiſque Foraneo reſpectiuè, vt in Archiuio ponantur, ſub declaratione incurſus in præfatas pœnas, alijſque arbitrio Noſtro imponendis conſignent, idque gratis, licet prædeceſſor aliquid pro illis conficiendis ſoluerit: ad idem Rectores quoque, & Beneficiati, Eccleſias, & beneficia reſignantes ſub prędictis pœnis omnino teneantur.

6. Pręfatorum omnium executionem Vicarijs Generali, & Foraneis in ſuo cuique diſtrictu ſummoperè commendamus.

Digitized by Google

7. Poſtremò quicunque intra præfixa ſuperiùs tempora inuentarium conficere, Archiuium erigere, ſcripturaſue eodem inferre neglexerint, aut fraudem aliquam in ſcribendo admiſerint, decem aureorum pœna, atque etiam maiore pijs vſibus applicanda, pro culpæ fraudiſue modo punientur. d.Bulla Sixti V. incipien. Prouida.



De

De Legatis Pijs.

CAPVT XXXI.

1 CVm piarum diſpoſitionum, ad Dei cultum, vel animarum ſalutem, pauperumue ſuſtentationem pertinentium executio inter pręcipuas Paſtoralis officij ſolicitudines eſſe debeat; propterea Nos, ne tam deuotæ Fidelium voluntates aliena malitia, aut negligentia debito effectu defraudentur, nec non, vt ea, quæ nuper in Noſtra Viſitatione de hac re efficacibus monitionibus inculcauimus, firmiùs ſtabiliantur, præſenti decreto ſtatuimus, vt omnes Tabelliones, ſeu Notarij, Cancellarij, Parochi, Viceecurati, & alij quicunque, quibus in aliquo Oppido, Caſtro, aut loco huius Noſtræ Diœceſis ſuper huiuſmodi pijs diſpoſitionibus rogari, ſeu quaſuis ſcripturas conficere, iam contigit, aut in poſterum contigerit, earundem authenticas notulas intra tres menſes, quoad præterita, à publicatione huius Synodi computandos, quo verò ad futura intra menſem à morte diſponētium, ſi facta fuerunt per viam vltimæ voluntatis, ſin inter viuos, à die executionis, vel ſolutionis faciendę calculandum, Vicario noſtro Generali tranſmittant; vt in Cancellaria noſtra Eccleſiaſtica reponantur, earun-

Concil. Triden. cap. 8. ſeſſ. 22. de reform.
Idem Concil. decreto, de Purgatorio ſeſſ. 25. c. Nos quidem, & c. tua nobis, de teſtam.

Conſtitut. 56. B. Pij V. incipien. Ad Romanum Pontificem.

earundemque executio quamprimùm procuretur. Quòd ſi quis negligens fuerit, pœna decem ſcutorum pro qualibet vice, atque etiam, durante vlteriùs inobedientia, excommunicationis ſententia punietur. Præterea omnes alij notitiam aliquam cuiuslibet piæ diſpoſitionis nondum impletæ habentes, eandem Nobis, ſeu præfato Vicario Generali, ſeu Foraneo quiſque ſuo ſub eadem excommunicationis pœna indicare teneantur.

argum. c.ſi quis de Clericis 12. quæſt. 2

2. Cunctis porrò legato, vel cuilibet alij oneri in fauorem alicuius Eccleſiæ, loci Pij, Pauperum, animarumue Fidelium defunctorum obnoxijs diſtrictè præcipimus, vt, ſub Diuinæ vltionis, canonicarum pœnarum, atque etiam excommunicationis interminatione eadem debito tempore, & fideliter exequantur: directè verò, ſiue indirectè impedientes, ne huiuſmodi legata, donationes, aut quæuis aliæ ad fauorem piæ cauſæ conceſſiones fiant, ſe ijſdem pariter pœnis ſubiacere nouerint. Parochi autem ſupradictos omnes de ſua quemque obligatione per Edictum Noſtrum de Legatis pijs bis quotannis in die prima Nouembris Feſto omnium Sanctorum, & in die tertia Maij Feſto ſcilicet Inuentionis Sanctiſſimæ Crucis inter Miſſarum ſolemnia publicandum commonere nullatenus prætermittant.

c.ſi hæredes, de teſtam. Authen. de eccl. titulis §. ſi autē hæres.

3. Iam verò cuncti Eccleſiarum Rectores, Locorumque Piorum Adminiſtratores, ijſdem quomodocunque relicta, vel conceſſa in inuentarium

de vniuſcuiuſque Eccleſiæ, & loci Pij bonis, iuxta alibi ſancita conficiendum, atque etiam in librum peculiariter ad hoc deſtinatũ, ac diſtinctum accuratè referant, vna cum nomine concedentis, & Notarij deſuper rogati, adiectis rogitus tempore, conceſſionis conditionibus, earum ſucceſſiuè adimplementis, vſibuſque, in quos pecuniç conceſſæ, legatæue, aut redactæ ex legato, conuerſæ fuerunt. Quòd ſi præſatæ conditiones fuerint onera Miſſarum, tunc ſtatuta in capite de Sacrificio Miſſæ circa Tabellam Sacriſtiæ, libroſque Tabellæ inſeruientes diligenter ſeruentur: ijdem quoque Rectores, & Adminiſtratores, ſi qua legata, ſuis Eccleſijs, lociſue Pijs facta, adhuc inexacta habent, ea exigere, & quatenus opus fuerit, medio iure perſequi ſolicitè incumbant.

4. Præſata autem legata, & conceſſa quæcunque, ſi conſiſtunt in mobilibus, vel pecunijs ad reinueſtimentum deſignatis, ijdem Rectores, ſeu Adminiſtratores ſub grauibus pœnis, etiam excommunicationis, ſtatim à die realis acquiſitionis deponant penes perſonam fide, & facultatibus idoneam, à Nobis, ſeu Vicario noſtro Generali approbandam, ad effectum illa, vel illorum pretium in ſtabilibus fructiferis cum expreſſione oneris annexi, Noſtro pariter, vel eiuſdem Vicarij noſtri Generalis interueniente conſenſu, quamprimùm reinueſtiendi.

5. Denique quia in multis locis huius Noſtræ Abbatiæ Parochiani coram ſuo Presbytero Notarij vices obeunte, & duobus, aut tribus teſtibus idoneis,

neis, ad formam Sacrorum Canonum teſtamenta ſua non ſolum ad pias, ſed etiam ad quaſcunque cauſas in extrema voluntate facere conſueuerunt; ea, ne cum iniuria mortuorum, & viuentium, ſępè miſerabilium perſonarum, damno pereant, multiplicem cautionem adhibere, ad pietatem plurimùm pertinere duximus; Idcirco Parochis omnibus diſtrictè mandamus, vt librum decentem, & bene compactum, ac chartulatum, atque ad hoc ſpecialiter paratum habeant, in quo præfata teſtamenta, ſeu Codicillos, ſcribant, ac tam ipſi, quàm teſtes, qui, vbi commodè haberi poſſunt, ſcribere ſciant, ſe ſuis notis ſubſcribant, & deinde intra menſem eorundem exempla manu propria exſcripta, & ab ipſis, teſtibuſque pariter ſubſcripta exhibeant cuſtodienda in Archiuijs ſui quiſque Oppidi, ſi ibi, ad præſcriptum Apoſtolicarum Literarum, Archiuiorum vſus ritè introductus, ac conſeruatus reperitur; alioquin ad illud in Terra Sublaci exiſtens intra idem temporis ſpatium omnino tranſmittant; quòd ſi huiuſmodi aliquas vltimas voluntates iam factas penes ſe habent, illas cum præfatis diligentijs, quantùm fieri poterit, tranſcriptas, in Archiuijs, vt ſuprà, intra tres menſes à publicatione præſentium Conſtitutionum computandos reponi curabunt. At ſi in his negligentes fuerint, ſciant ſe vltra alias pœnas arbitratu Noſtro irrogādas decem ſcutorum mulcta plectendos eſſe.

c.cum eſſes, de teſtam.

Conſtit. 83. Sixti V. incipien. Sollicitudo.

Digitized by Google

De Regularibus, alijſque Exemptis.

CAPVT XXXII.

1 QVantum Catholico gregi ex Sāctiſſimis Religioſorum Ordinum inſtitutis, ſplendoris, & dignitatis acceſſerit, fortiſſima Militanti in terris Eccleſiæ aucta præſidia, eidemque in Cęlis triumphanti eximij fulgoris addita lumina, abundè teſtantur. Ideo quoſcunque Regularis vitæ Profeſſores, qui fallacibus Mundi huius inquinamentis poſthabitis ſpem ſuam in altiſſimis, vbi vera ſunt gaudia, collocarunt, enixè in Domino admonemus, atque obſecramus, vt acceptæ vocationis memores, *gratias agentes Deo Patri, qui dignos eos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine*, antè omnia ad Regulæ, quam profitentur præſcriptum, ità vitam inſtituant, moreſq; componant, vt ad omne religioſæ virtutis officium in dies longiùs progredientes, *tamquàm filij lucis honeſtè* ambulent, exemplumque afferant Fidelibus, vt ait Apoſtolus, *in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in omni opere bono fructificantes*; Nobis verò, in agro Domini excolendo, non otioſos ſe præſtent operarios, ſed tamquàm Fideles Agricolæ, ad meſſem hanc vocati, opera ſua nos

ad Coloſſenſ. c.1. v.12.
Conc. Trid. ſeſſ. 25. de Regular. c.1.

Ioann. c.12. v.36
Roman. c. 13. v.13.
1. ad Timoth. c.4 v.12.
ad Coloſſen. d. c.1. v.10.

nos addiuuent, vt quos Chriſtus Dominus vitę Magiſter de poteſtate tenebrarum eripuit, eos curæ, ac Fidei noſtræ commiſſos, quaſi purum triticum in horrea cæleſtia congregemus. Ibid. v. 13.

2. Hæc præcipuè præſtituros fore plenè confidimus Monachos inſignis, ac celeberrimi huius Monaſterij S. Scholaſticę Nobis ab Apoſtolica Sede perpetuò commendati; potiori enim quodam iure Monaſticę rigor diſciplinę ſanctarum virtutum odore fragrantior videtur hic cuſtodiendus, vbi primùm à Sanctiſſimo eius Auctore Benedicto ſalubris inſtitutionis ſuſcepit initia; hinc ſiquidem cæleſti munere (vt Summi Pontificis Innocentij IV. qui plurium Prædeceſſorum exempla ſecutus ampliſſima honoris prærogatiua Cœnobium hoc inſigniuit, verba vſurpemus) in vniuerſalis Eccleſiæ firmamento tantæ ſydus claritatis illuxit: hinc tot poſtmodùm radij proſiliere virtutum: hinc palmes à Vite Chriſto tàm conſpicuæ prodijt vbertatis. Ideo ea potiſſimum hic obſeruari certò ſperamus, quæ maximi nominis Pontifex Innocentius III., cùm illuſtre hoc Monaſterium perſonaliter inuiſeret, (quod & alios Summos Pontifices, magnoſque Principes inſigni pietate geſſiſſe comperimus) pro antiquæ diſciplinæ inſtauratione, inuiolabili lege decreuit, ac poſtmodùm inter Pontificias ſanctiones, tanquàm certiſſimi Monaſticæ profeſſionis canones, & fundamenta inſerta fuere. Præcipua enim Romanorum Pontificum cura fuiſſe videtur, vt Sublacenſe Cœnobium,

Innoc. IV. ſub dat. Aſſiſij 22. Iunij 1252. in ordine Bullarij Caſſinen. tom. 1. conſt. 35.

relat. in c. cum ad Monaſteriū, de ſtatu Monac.

nobium, quod inſigniori quadam Apoſtolicæ Sedis protectione fouerunt, ac præclariſſimis olim honorum titulis præ cęteris decorarunt, illuſtriori pariter virtutum exemplo, ac regularis perfectionis ſtudio eminentiori reliqua antecelleret. Cunctis autem eidem Monaſterio debitæ venerationis obſequia exhibentibus, eiuſque incrementis tum ſpirituali, tum temporali ope fauentibus, cæleſtium benedictionum vbertatem, quam à Domino Noſtro Ieſu Chriſto Summi Pontifices Clemens III., ac Honorius pariter III. precati ſunt, Nos quoque ex intimo cordis affectu apprecamur, vt fructum ſanctarum actionum in hoc ſeculo percipiant, & apud diſtrictum Iudicem premia æternę pacis inueniant.

Clemens III. ſub dat. Romæ 20. Aprilis 1189. in ordine Bullarij Caſſinen. tom. 2. conſt. 212. Honorius III. ſub dat. Anagniæ 20. Iunij 1217. in ordine eiuſdem Bullar. conſt. 236.

3. Quicunque verò Noſtræ Diœceſis Regulares, ijque præſertim, qui ad Confeſſarij munus exercendum fuerint à Nobis approbati, Noſtras haſce Synodales Conſtitutiones frequenter legere ne grauentur, vt quæ in illis ad eos pertinentia ſanciuimus, iugiter valeant adimplere. Quæ de Sacramentorum, ac in primis Pœnitentiæ adminiſtratione decreuimus, exactè calleant, & obſeruent.

Ad hæc de Diuini Verbi prædicatione, de Proceſſionibus, ac de Sepulturis Edicta, quantùm ad ipſos attinent, exequi non omittant. Exteros Sacerdotes, qui id ſibi per Nos, ſeu Vicarium noſtrum Generalem licere non oſtenderint, apud ſe Sacrum facere non ſinant. Illud autem præcipuè eoſdem monemus, vt quod Sacroſancti Tridentini Cõcilij

cilij Decreto de Lectione Sacræ Scripturæ in Monaſterijs, ſeu Conuentibus Regularium inſtituenda ſancitum eſt, id re ipſa præſtandum, vbi commodè fieri queat, diligentèr curent. Qua in re, ſi qui Conuentibus præſunt, negligentes fuerint, à Nobis eiuſdem Concilij auctoritate opportunis remedijs compellentur.

Conc.Trid.ſeſſ. 5. de refor. c.1. §. In Monaſterijs.

4. Cenſuras, & Interdicta, non ſolùm à Sede Apoſtolica emanata, ſed etiam à Nobis promulgata, quotieſcunque requiſiti fuerint, in eorum Eccleſijs publicare non recuſent. Dies quoque Feſti, quos in Diœceſi Noſtra ſeruandos præcipimus, ab ijs pariter ex ipſius Concilij decreto obſeruentur.

Conc.Trid. ſeſſ. 25. de Regular. c.12.

5. Degentes extra Clauſtra nullius priuilegij prętextu ſe tutos exiſtiment, quò minus, ſi deliquerint, à Nobis, ſecundum Canonicas ſanctiones, puniri, & corrigi valeant. Qui verò in Clauſtris degentes, extra illa forſan notoriè deliquerint, à Præfectis Monaſteriorum, intra tempus à Nobis præfigendum, pro delicti grauitate, coërceantur, & hi de animaduerſionis qualitate Nos certiores efficiãt, ſin minùs delinquentes à Nobis ipſis punientur.

Conc.Trid. ſeſſ. 6. de refor. c.3. & ſeſſ.7. de ref. c.14.

Conc.Trid. ſeſſ. 25. de Regular. c.14.

6. Ij demum, qui in paruis Conuentibus, ob exiguum numerum, perfectam Clauſtralium Inſtitutionum obſeruantiam incommodè ferentem, Viſitationi, correctioni, & omnimodę Iuriſdictioni Noſtræ ex Apoſtolicis decretis, etiam in his, quæ Regularem diſciplinam concernunt, ſubiecti ſunt, præſcripta in eiſdem decretis, ac in pluribus reſpon-

Decret. Sacr. Congreg. ſuper ſtatu Regul. approbatum ab Innocentio X. editũ 10. Febr.

ſis

Digitized by Google

1654. incip. Vt in Paruis, & Declarationes eiuſdem Sac. Cong. tom. 6. Bullar. poſt Bullam 3. Alexandri VII.

ſis Sacræ Congregationis ſuper ſtatu Regularium, ad illorum interpretationem emanatis, diligenter obſeruent.

Ideo iiſdem Summorum Pontificum ſanctionibus inhærentes, enixè mandamus, vt in dictis Conuentibus re ipſa alantur ſex ſaltem Religioſi probatæ vitæ, ex quibus quatuor ad minus Sacerdotes ſint maturæ ętatis, nimirum quadrageſimum ętatis annum excedentes: alioquin ſecularizationis, vel ſubiectionis Noſtræ ordinariæ Iuriſdictioni pœnis ad præſcriptum Conſtitutionum Apoſtolicarum, præſertim ſan.mem. Innocentij X. reſpectiuè ſubiacebunt. Superiores verò ſedulò inuigilent, vt illi Clauſtralem diſciplinam, ſilentium, Chorum, cæteraſque proprij Ordinis Conſtitutiones, quantùm per numeri paruitatem licet, ſolerter adimpleant. Singulis annis Vicario noſtro Generali libros exitus, & introitus, ſuęque adminiſtrationis rationem reddant.

Declarat. 21. inter dictas Declarationes.

d. Decretum, Vt in paruis.

Præterea quę de recta Eccleſiaſticorum bonorum adminiſtratione, ac de Sanctarum Eccleſiarum cultu, tum in ipſorum Viſitatione decreuimus, tum in hac Noſtra Synodo ediximus, pleniſſimè exequantur. Imò hæc pariter in Eccleſijs, & Capellis Grangiarum, ſiue in ijs degant Conuerſi pro agrorum cultura, ſiue non, exactiſſimè obſeruent, cùm hæ pariter, ſicut & Conuerſi in eis degentes Viſitationi, ac Iuriſdictioni Noſtræ ſubiaceant, quam, iuxta caſuum, & temporum exigentiam, exercendam edicimus.

De

Digitized by Google

De Monialibus.

CAPVT XXXIII.

1 SAcræ Virgines ſub ſuaui Religionis iugo Cæleſtis Agni nuptijs arctiſſimo fœdere conſecratæ, cùm à ſeculi periculis ereptæ, optimam tutioris viæ partem elegerint, inſontis Columbæ nomine, ab earum Sponſo in foraminibus petræ, in Cauerna maceriæ dulciùs aduocantur. Ideò inuiolabili clauſuræ lege ſeruata, ſolicitè agrum illum cuſtodire debent, in quo cęleſtis diſciplinę theſaurus abſconditur, quemque venditis omnibus, quæ poſſidebant, auidiſſimè compararunt.

Luc. c.10. v.42. Cantic.c.2.v.14 Matth. c. 13. v. 44.

2. Id præcipuè, ſub obteſtatione diuini iudicij, ac interminatione maledictionis æternæ, ex Sacrorum Canonum ſanctionibus, ex Tridentinæ Synodi decretis, ex Summorum Pontificum Conſtitutionibus, ac nouiſſimè ex gemino Sacræ Congregationis reſponſo, Curæ Noſtræ enixè committitur. In reliquis enim, quæ regularem diſciplinam, ac ſanctiſſimi inſtituti obſeruantiam reſpiciunt, tum de ipſarum Monialium probitate, ac virtute, tum de Regularium Præſidum, quibus eædem ab Apoſtolica Sede ad preces clar.mem.Marci Antonij Car-

c.vnico §.fin.de ſtat.Reg. in 6. Concil.Triden. ſeſſ. 25. de Regul. c.5. Greg.XV. Cõſtit. quæ incip. Inſcrutabili, in ord.Bullarij 18. Alexand. VII. Conſt. quæ incipit Fœlici Sacrarum Virginum §.2. in ordine Bull. 152

Sac. Cong. Epiſcop. & Regul. in Sublacẽſi 12. Februarij 1672. & in eadem 2. Martij 1673.
Matth. c. 25.

dinalis Columnæ Prædeceſſoris Noſtri, ac Monaſterij Fundatoris, ſubiectæ fuerunt, vigilantia, ac ſolertia plenè confidimus, quibus propterea, quantùm in Domino poſſumus, ſtrictiſſimè eas commẽdamus, vt ita oleum bonorum operum ſecùm ſemper habentes, cęleſti adueniente Sponſo vigilantes inueniantur, & ad paratas nuptias cum illo ingredi mereantur.

d. c. vnico, in princip. de ſtat. Regul. in 6.
Conc. Trid. d. ſeſſ. 25. de Regul. c. 5.
B. Pius V. Conſtit. quæ incipit Circa Paſtoralis in ord. Bull. 8. & Conſtit. ſequ. quę incipit Decori.
Greg. XIII. Cõſtit. quæ incipit Vbi gratiæ, in ord. 28.

3. Noſtri itaque ſolummodò muneris partes diligenter explere cupientes, eaque præſertim, quæ aliàs, tum in ſpeciali Noſtro Edicto, tum poſtremò in Monaſterij Viſitatione Nos ipſi ſanciuimus, inſtaurare ſatagentes, in primis, vt clauſuræ limites, iuxta Sacros Canones, & Apoſtolicas ſanctiones inuiolabiliter cuſtodiantur, diſtrictè mandamus, ne qua Monialis, extra Sacras Ædes, exceptis caſibus à iure permiſſis, nec quiſpiam extraneus intra eas, abſque Noſtra, ſeu Vicarij noſtri Generalis licentia in ſcriptis, pedem efferat, inferatuè, ſub pœna excommunicationis ipſo iure incurrenda, Sedi Apoſtolicæ reſeruata: adiecta Præfectæ, quæ violationem permiſerit, vltra excommunicationem præfatam, depulſione ab officio, & alijs pœnis arbitrio Noſtro infligendis. Imò, ſub iiſdem pœnis, pueros etiam, vel puellas cuiuſcunque ſint ætatis, intra clauſuram admitti ſtrictiſſimè interdicimus.

4. Ij verò, quibus, neceſſitate cogente, clauſtra Monialium ingredi permiſerimus, nempe Medici,

dici, Chirurgi, Piſtores, Cœmentarij, Lignarij, & reliqui Fabri, necnon Muliones, Baiuli, & id genus Vectores ſpecialiter à Nobis approbati quàm diligentiſſimè caueant, ne data facultate abutantur, ſed illam, tempore tantùm neceſſario, vſurpent. Diurnus ſit eorum ingreſſus, nimirum non ante Solis ortum, nec poſt eius occaſum, ac ſemper duabus ex Senioribus Monialibus aſſociantibus recto tramite ad locum deſtinatum pergant, præcedente campanulæ ſono, quo aliæ Moniales ſecedere iubeantur. Opere demum expleto, cuius gratia conceſſus fuit ingreſſus, eadem via reuertantur, & quamprimùm egrediantur, nec per Monaſterinm, aut per Monialium Cellas diuagentur. Qui ſecùs fecerint, aut aliàs conceſſis licentijs abuti præſumpſerint, eãdem excommunicationis pœnam aduersùs Clauſurę violatores adiectam incurrent.

5. Nemo ſimiliter, ſiue Laicus, ſiue Clericus cuiuſcunque ſtatus, gradus, conditionis, ac dignitatis exiſtat, ſine Noſtra, aut Vicarij noſtri Generalis licentia in ſcriptis concedenda, ad Monaſterij Collocutoria, Crates, & Rotas, Moniales allocuturus, ſub quouis prætextu accedere præſumat, ſub pœna excommunicationis, alijſque arbitrio Noſtro iniungendis. Ab hac tamen lege Patres, Matres, Fratres, ac Sorores excipi volumus, dummodo non cum alijs, quàm cum filiabus, ac ſororibus colloquium habeant, atque id ipſum præſtent extra dies Communionis generalis, atque extra tempus Aduentus,

c. Monaſteria, de vita, & honeſt. Cler.

Digitized by Google

uentus, & Quadrageſimæ, pro quibus ſanè temporibus, aliæ etiam colloquendi facultates à Nobis conceſſæ non intelligantur, niſi eorundem dierum expreſſa mentio habeatur. Ac ſemper adeſſe meminerint ſermonibus audiendis Præpoſitæ.

Sac. Cong. Concil. in Neapolitana 11. Maij 1669.

6. Regulares autem cuiuſcunque Ordinis cum Monialibus etiam ſibi ſubiectis, exceptis Superiore, ac Confeſſario, quantumuis per modicum temporis ſpatium, colloqui nequeunt, abſque expreſſa licentia Sac. Congregationis, ſub pœnis contentis in eiuſdem Congregationis Decretis, per Summos Pontifices Sixtum V. & Vrbanum VIII. approbatis; ad quorum præſcriptum quater quidem in anno, ſed extra tempus Aduentus, Quadrageſimę, Vigiliarum, Ferię ſextæ, Sabbati, ac Feſtorum de præcepto, eas dumtaxat, quæ in primo, vel ſecundo conſanguinitatis gradu ſibi coniunctæ fuerint, alloqui permittuntur, dummodò tamen priùs à Nobis, ſeu Vicario noſtro Generali, eorumque Superioribus facultatem in ſcriptis obtinuerint, quam Nos ſanè adiectis conditionibus, quæ in ijſdem decretis exprimuntur, non denegabimus. Præterea Sacerdotes quicunque, ſiue Seculares, ſiue Regulares, quibus quandoque facultatem fecerimus in Eccleſia Monialium ſacra celebrandi, ſeu Diuinum Verbum annunciandi, (quod præcipuè munus, etiam ij Regulares, ad quos earumdem regimen pertinet, abſque Noſtra benedictione exercere prohibentur) exacto miniſterio, omnino diſcedant, nec ſe propterea ad Sanctimonia-

nia-

nialium collocutiones vllo modo diuertant.

7. Clauſurę ianua pro colloquijs, vel pro ijs introducendis, ſiue educendis, quæ per Rotas educi, ſeu introduci queunt, non aperiatur, ſed tantùm id fiat ex cauſa neceſſaria, ſemper Ianitricibus aſſiſtentibus, nec ante ortum Solis, vel poſt eius occaſum. Quibus omnibus, tum Abbatiſſam, tum Ianitrices, tum ipſum etiam Monialium Confeſſarium quàm maximo ſtudio inuigilare enixè monemus. Duabus ſeris, & clauibus diuerſis, prout in Viſitatione Noſtra inuenimus, eadem Ianua muniatur, quibus ſub occaſum Solis obſeretur, altera quidem interiùs à Ianitricibus, præſente Abbatiſſa, alia verò exteriùs à fideli Miniſtro Monaſterij à Nobis approbato, qui ad hunc effectum eam recipere ſolet per Rotam proximam, & per eandem poſt clauſam ianuam remittit Abbatiſſæ, penes quam vtraque clauis noctu aſſeruatur. Anterior quoque ianua ſita extra clauſuram, quæ patere ſolet exteris accedentibus ad Monaſterium, & viæ publicę proximè reſpondet, eodem modo à Miniſtro Monialium poſt Solis ortum aperiatur, ac ſub illius occaſum claudatur, eiuſque clauis penes Virum probatę fidei, & integritatis, noctu cuſtodiatur, prout pariter in eadem Viſitatione Noſtra ſeruari comperimus, atque probauimus.

8. In feneſtris ad colloquia deſtinatis duo Cancelli ferrei conſtructi ſint, per palmum inter ſe diſtantes, tam ſpiſſis foraminibus diſpoſiti, vt nec

puellę

puellæ manus per eadem tranſmitti poſſit. Tam verò iiſdem feneſtris, quàm Rotis omnibus Monaſterij valuæ interiores ligneæ ſera clauſæ apponantur, ac clauium diligentem cuſtodiam gerat ipſamet Abbatiſſa, quas proinde nonniſi exigente neceſſitate, pro ſua prudentia, & conſcientia Monialibus concedat. Meminerint inſuper tempore Aduentus, & Quadrageſimæ iiſdem feneſtris arctiorem laminam, ſeu velum adijcere, iuxta proprij Ordinis, cui adſcriptę ſunt, Conſtitutiones. Porta autem exterior Collocutorij extra caſus colloquiorum clauſa retineatur, eiuſq; clauis, prout modò conſueuit, penes eãdem Monaſterij Præfectam cuſtodiatur.

9. Ea inſuper omnia, quæ Sanctiſſimus Dominus Noſter Clemens X. olim à clar. mem. Cardinali Antonio Barberino Prædeceſſore Noſtro Sublacenſis Abbatiæ Viſitator conſtitutus, in ipſius Monaſterij Viſitatione decreuit, ac Nos ipſi eius potiſſimùm inhærendo veſtigijs in eiuſdem clauſurę tum interiori, tum exteriori luſtratione inſtaurauimus, quàm diligentiſſimè obſeruentur. Pręſertim verò ad pręſcriptam in vtraque Viſitatione rationẽ, feneſtrę Monaſterij, quę ſiue ad proſpectum vię publicę, ſiue proximarum domorum aſpectui obnoxię reperiuntur, ſiquidem ad lumen recipiendum ſuperfluæ ſint, muro claudantur: ſi verò id commodè nequeat, aſſere ſaltem ligneo, quo proſpectus tollatur, obſtruantur, prout diuerſimodè pro loci opportunitate ſancitum fuit.

arg. c. vnici, in princ. de ſtat. Regul. in 6.

10. Fe-

10. Feneſtellæ pariter in Eccleſia, tam pro excipiendis Monialium Confeſſionibus, quàm pro miniſtranda eiſdem Sanctiſſima Euchariſtia, ad earundem Viſitationum præſcriptum conſtructę habeantur. Ea pręcipuè, quę pro audiendis Confeſſionibus deſeruit, ſpiſſis cancellis ferreis, ac fixa lamina aërea munita ſit, exiguis foraminibus terebrata, quam interiùs velum nigrum obducat, ne pœnitentes Moniales à Confeſſario ſecerni queant. Strictiſſimè autem vetamus, ne ejſdem feneſtellis tam ſancto vſui deſtinatis, Moniales ad ſermones conferendos abutantur. Ideo vtriſque valuę interiores ligneę adijciantur, quę extra neceſſarium illarum vſum clauſę retineantur, earumque claues ſint penes Abbatiſſam; Illa verò, quę ad vſum Communionis inſeruit, porta etiam exteriori vlteriùs obducatur, & clauis à Confeſſario aſſeruetur. Ad hęc crates media ſupra Altare maius Eccleſię collocata, ex qua Moniales ſacrum audire conſueuerunt, ita conſtructa ſit, vt eędem à Sacerdote celebrante, vel ab alijs in Eccleſia orantibus conſpici nequeant, imò extra tempus celebrationis Miſſarum, aliarumue ſacrarum precum, quę in Eccleſia haberi ſolent, clauſa ſemper cuſtodiatur.

11. Ne autem Deo dicatę Virgines à rerum celeſtium ſtudio auocentur, procul abſint à Monaſterij ſeptis quocunque tempore luſus, clamores, ſpectacula, cantus, pręſertim inhoneſti, alięque inanes, ac profanę actiones, ſub pœna ſcutorum

vi-

Digitized by Google

viginti quinque, alijſque grauioribus, etiam corporis afflictiuis arbitrio Noſtro. Similiter ędificia proxima non ita attollantur, vt ex illis intra clauſuram proſpici queat, nec ita contigua conſtruantur, vt inde colloquentes audiantur; ſic enim Sanctimoniales à publicis conſpectibus ſeparatę, Deo liberiùs in puriſſimo caſtitatis holocauſto famulari poterunt, eidemque contemptis ſeculi illecebris, corda ſua, & corpora in omni ſanctimonia diligentiùs cuſtodire.

c. vnico, in princ. de ſtat. Regul. in 6.

12. Confeſſarius Monialium tam Ordinarius, cuius officium vltra triennium non protrahatur, quàm extraordinarius, qui ſtatis anni temporibus, iuxta Sacri Concilij Tridentini Decretum aſſignari debet, matura ętate, & bonis moribus prędicus ſit, atque is ſolùm deputetur, qui priùs à Nobis idoneus iudicatus fuerit, & ſpecialem approbationem gratis concedendam obtinuerit. Confeſſiones è conſueta ſede in loco Eccleſię conſpicuo collocata ſemper excipiat; nec vnquam Monaſterij ſepta ingrediatur, niſi in caſibus neceſſitatis, nimirum ad Sacramenta infirmis miniſtranda, & tunc ſuperpelliceo, ac ſtola indutus à duabus ex ſenioribus Monialibus rectà ad infirmæ cubiculum aſſocietur, nec in aliam Monaſterij partem diuagetur. Si ſecùs fecerit, nouerit ſe pœnam violationis clauſurę incurſurum. Cùm autem inſigne Caſſinenſium Monachorum Cœnobium, quorum regimini Moniales Noſtræ ſubiectæ ſunt, extra mœnia Oppidi ſitum ſit, ideo earundem Confeſſarius ad preſcriptum

Conc. Trid. ſeſſ. 25. de Regul. c. 10.

Gregor. XV. d. Conſt. 18. §. 5. Clem. X. Conſt. quæ incip. Superna, §. 4. in ord. Bullarij 7. Alex. VII. Cõſt. quæ incip. Sacr. Virg. §. 5. in ord. Bull. 153.

Alexand. VII. d. Conſtit. 153. §. 7.

Con-

Digitized by Google

Conſtitutionis ſan.mem. Alexandri VII. manſiones ad eius vſum deſtinatas inhabitet, à Monialium Monaſterio penitùs diſiunctas, non ſolùm per parietes, ſed etiam per tecta, vt in Viſitatione Noſtra perſpeximus.

13. Eandem Alexandri VII. Conſtitutionem in omnibus adamuſſim ſeruare meminerint etiam Superiores Regulares, quoties ex cauſa Viſitationis localis ſemel tantùm in anno ab eis habendæ, atque vnica die abſoluendæ, Monaſterij ſepta ingredienda iudicauerint; ſciantque, ſi in aliquo defecerint, vltra pœnam excommunicationis, priuationis omnium officiorum, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda, quam ex Apoſtolica ſanctione ipſo facto incurrunt, nullis exemptionibus, & priuilegijs tueri ſe poſſe, quò minus à Nobis tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, quoties, & quando opus fuerit, corrigi, & puniri valeant.

Alex.VII. dicta Conſt.153. fere per totam, & prius Gregor. XIII. Conſtitut. quę incipit Dubijs, §.1.& 2.in ordine Bullarij 28.

14. In adminiſtratores bonorum Monaſterij èligantur perſonæ idoneæ, prouectæ ætatis, ac boni teſtimonij, qui curent huiuſmodi munus, ea, qua decet fide, & diligentia exercere. Siue autem Regulares extiterint, ſiue Seculares quomodolibet exempti, coram Nobis, ſeu perſonis à Nobis deputatis, adhibito etiam Superiore Regulari, ſingulis annis rationes adminiſtrationis reddere teneantur, iuxta Conſtitutionem felicis recordationis Gregorij XV.; Ad cuius præſcriptum ſtato tempore

Gregor.XV. d. Conſt.18.§.5.

moneri volumus de electione habenda Abbatiſſæ, vt eidem, vel per Nos ipſos, vel per alios, prout huc vſque conſueuimus, præſideamus.

Conc.Trid. ſeſſ. 25.de Regul. c. 18.
c.puella 20.q.2. & c. hoc ſanctũ 35. q.2.

15. Denique nouerint omnes, ex Tridentina ſanctione, anathematis pœnam ab ijs incurri, qui quomodocunque Virginem, vel Viduam ad ingrediendum Monaſterium, vel Religionis habitum ſuſcipiendum, aut profeſſionem emittendam coëgerint, ſeu conſilium, auxilium, fauorem, vel authoritatem interpoſuerint; ſiue è contrà ſanctam Virginum, aut aliarum Mulierum voluntatem accipiendi veli, ſeu voti emittendi quoquo modo ſine iuſta cauſa impedierint. Ideo nulla Virgo ad regularem habitum recipiatur, nec, eo ſuſcepto, ad profeſſionem admittatur, niſi priùs per Nos, aut per noſtrum Vicarium Generalem, vel alium à Nobis deputatum, ad eiuſdem Tridentinæ Synodi præſcriptum, illius voluntas diligenter exploretur. Similiter puellæ ſeculares, quæ in Monaſterio inter Deo dicatas Virgines educari cupiunt, non aliter recipiantur, niſi priùs licentiam à Sacra Congregatione in ſcriptis obtentam, Nobis, ſeu Vicario noſtro Generali exhibuerint, vt conditiones in eadem facultate de more adiectas adimpleri curemus.

Conc.Trid.ſeſſ. 25.de Regular. c.17.

Quod ſupereſt, præſens Capitulum, ne latinè conceptum, minùs rectè à Monialibus intelligatur, italico ſermone ad literam traducendum, traductumque præfatis Monialibus exhibendum,

Vica-

Vicarius noſter Generalis, intra menſem ſaltem à publicatione huius Synodi, curabit, atque inſuper ipſarum Confeſſarius pro ſua pietate, & prudentia, præmiſſa eiſdem opportunè inſinuare, & quæ videbuntur, explanare meminerit.



Digitized by Google

De Eremitis:

CAPVT XXXIV.

Lucæ c.12. v.1.

Matth.c.7. v.15

2.Petri c.2.v.17

1 A Fermento Phariſęorum, quod eſt hypocriſis, ſolicitè Chriſtus Dominus cauere nos admonet. Ideo, vt pernicioſæ vagorum hominum calliditati occurramus, *qui veniunt* ad Nos *in veſtimentis ouium, intrinſecùs autem ſunt Lupi rapaces: Fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reſeruatur*: diſtrictè præcipimus, vt nullus, ſiue Laicus, ſiue Clericus habitum Eremitarum aſſumere, ac geſtare abſque Noſtra permiſſione præſumat. Neminique liceat cum præfato habitu in Cellis, Eccleſijs, Domibus, ſeu Oratorijs Noſtræ Diœceſis inhabitare, aut permanere, niſi priùs de vita, moribus, conuerſatione, ac patria per Noſtrum Generalem Vicarium fuerit diligenter examinatus, atque ab eo licentiam in ſcriptis commorandi in certo ſibi loco aſſignando impetrauerit. Qui ſecùs fecerit, carcerationis pœnam, aliaſque arbitrio Noſtro iniungendas incurret. Omnibus proinde Vicarijs Noſtris, ac Parochis enixè mandamus, ne in ſuis Vicariatibus, ac reſpectiuè Parochijs Eremitas, qui eandem licentiam non exhibuerint, ſub quouis

præ-

prætextu recipiant, neque locum aliquem eis aſſignent, aut quæſtum facere permittant, ſub pœna viginti quinque ſcutorum locis Pijs applicandorum.

2. Ij verò, qui à Nobis fuerint approbati, & petitam licentiam obtinuerint, ſuſcepti inſtituti memores, in locis ſibi conceſſis permaneant, vitam cælibem, integram, modeſtam, & religioſam traducant; Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta frequentent: Parochi, in cuius Parochia degunt, monitis obediant, qui eos, cum occaſio poſtulauerit, corripere poſſit: Nec abſque illius licẽtia pluſquam triduo ab Hoſpitiolis, ſeu Manſiunculis ſuis abſint, & in ea Mulieres ingredi non permittant.

3. Quòd ſi aliquãdo Sacerdotes fuerint probatæ integritatis, atque doctrinę, ac illos propterea, ne in Vinea Domini otioſi Operarij habeantur, etiam ad Fidelium Cõfeſſiones audiendas, luculentiſſimè priùs eorum virtute Nobis comprobata, per Nos admiſſi fuerint, id ſolũmodò muneris exercere ſe poſſe nouerint, cum à Parochis, ſeu alijs Eccleſiarum Rectoribus fuerint aduocati, nec vllatenus Confeſſiones excipiant in Eccleſijs, ſeu Oratorijs ſuorum Hoſpitiorum, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ, alijſque grauioribus arbitrio Noſtro, atque ideo in ijſdem Oratorijs Confeſſionales ſedes retineri omnino interdicimus.

4. Demum diuinarum rerum ſtudio, corporis caſtigatione, alijſque ſolitariæ vitę exercitationibus;

ſan-

Digitized by Google

ſanctos Eremi cultores, conſpicua olim naſcentis Eccleſię membra glorioſo conatu ęmulentur, ac ſe ſe pręcipuè Magnorum Virorum imitatores oſtendant, qui Sublacenſes ſeceſſus ſanctiſſimis geſtis conſecrarunt, magniſque in Eccleſia nominibus illuſtrarunt.

ex lib. 2. Dialogorum S. Gregorij Papæ.

De

Digitized by Google

De Societatibus Laicorum.

CAPVT XXXV.

1 CVm hominum, etiam Laicorũ Congregationes, ſub religioſa ſalutarium regularum obſeruantia coactas, ſummopere Deo placere, Fidelibuſque ad virtutũ incrementa plurimùm prodeſſe, tot earundem Erectiones per Eccleſiarum Prælatos factæ, ſpiritualeſq; gratiæ auctoritate Apoſtolica eiſdem conceſſæ luculenter demonſtrent, Nos in Viſitatione noſtra nuper ſancitis inhærentes, aliaque adijcientes, vt tam pia inſtituta in hac Noſtra Diœceſi ab offendiculis, in quæ huiuſmodi Societates frequentiùs impingere ſolent, quantùm fieri poteſt, vindicentur, atque etiam magis, magiſque amplificentur; In primis enixè præcipimus, ne nouæ Confraternitates ab vllis, etiam Clericis Regularibus, vel Secularibus, ſine Noſtra licentia erigantur; nec iam erectis, erigendiſue quiſquam, qui proprij Parochi iudicio, rudimenta Doctrinæ Chriſtianę ignorat, adſcribatur; exceptis tamen Sodalitatibus, quæ ex Inſtituto eadem Rudimenta Fidei docent, quas per omnia Oppida Noſtrę Abbatię inſtituendas eſſe, ſupra de Doctrina Chriſtiana ſtatuentes, cenſuimus. Cęterùm

in

in nullam omnino Societatem, qui aliqua turpis, ſeu facinoroſę vitę, vel infamiæ nota laborant, vllatenus admittantur, & ſi iam admiſſi tales poſtea euaſerint, vel pia Societatis opera frequentare neglexerint, omnino expellantur.

2. Digni autem, qui adſcribantur, per ſecreta Confratrum vota aſſumantur, amictumque recipiant præſente Parocho, vel aliquo Sacerdote de ipſius licentia, qui eos conſueta precatione benedicat.

3. Omnes Sodalitates, regulas ſuas legitima auctoritate approbatas religioſè obſeruent, earumque Officiales, Parochi, Vicarij, tum Generalis, tum Foranei obſeruari ſolicitè procurent; Nondum autem approbatas eidem Vicario noſtro Generali intra duos ad ſummum menſes exhibeant, vt pro earum ratione, & qualitate, vel approbentur, vel corrigantur, vel denique omnino tollantur.

4. Laudatiſſimum Confratrum morem, Sodales diebus Feſtis conuocandi, vt Officium Beatiſſimę Virginis in ſuis quique Oratorijs, vel alijs Eccleſijs recitent, in hac Diœceſi, aut nunquam receptum, aut paulatim tepeſcente deuotione intermiſſum, Nos pro Paſtorali zelo introducere, aut reducere impensè cupientes, Officiales earundem paternè hortamur in hoc ſtudioſè incumbere, Parochique omni ope nitantur, vt vbi legendi imperitia huic ſancto Inſtituto obſtat, Roſarium ſaltem ipſius Beatiſſimæ Virginis loco Officij, Confratres ſacco indu-

induti, alternis periodis, deuotè recitent, alijſque Orationibus, & pietatis exercitijs, ſine ſtrepitu, & profanis colloquijs, attentè, & reuerenter vacent, præcipuè Sacramenta Pœnitentiæ, atque Euchariſtiæ ſanctè frequentent, infirmos, præſertim Sodales viſitent, defunctoſque ſepeliendos ſaccis amicti, & Cruce prælata ad Eccleſiam proſequantur, Officiumque mortuorum pro ijſdem Sodalibus ſingulis menſibus ſolemniter peragant.

5. Ad Proceſſiones generales, Societates omnes, ſub pœnis ad arbitrium, accedere teneantur, & inter eas digniorem locum obtineat, quæ in quaſi poſſeſſione iuris pręcedendi reperitur, aut, huiuſmodi poſſeſſione dubia, in erectione antiquior dignoſcitur, eiſdemque Proceſſionibus, quas Confratres, ſiue ab alijs vocati, ſiue ipſi per ſe, de Noſtra, vel Vicarij Noſtri Generalis licentia (ſine qua nullas facere præſumant) de more obeunt, frequentes, & modeſti, vt ſuprà, induti, præeunte ſigno ſalutis, venerabiliter aſſiſtant, neque hanc, aut vllam aliam ſacram functionem, imò nec ipſum habitum, dum eum geſtant, comeſſationibus, compotationibus, aut armorum delatione, ſub pœna expulſionis è ſodalitate, alijſque arbitrio Noſtro infligendis, irreuerenter deforment.

6. Et quia praua conſuetudo hic Sublaci inualuit, qua certorum Feſtorum Domini, per aliquas Confraternitates, quotannis eligi ſoliti, intolerabilibus expenſis rem familiarem exhauriunt, dum ſo-

lemnium epularum apparatu,alij alios ſuperare ſemper certant cum ingenti ſacrorum dierum irreuerentia, atque etiam ipſarum Societatum detrimento, quibus honeſtiores, ac modeſtiores Ciues, ſumptuum huiuſmodi metu, adſcribi recuſant; Idcirco iſtis Feſtorum Dominis, ſub indignationis Noſtræ, alijſq; grauibus pęnis edicimus,vt modicam dumtaxat pecuniæ,& vini quantitatem, aliàs ab ipſis Sodalibus, cõmuni conſenſu, taxatam, & denuò auctoritate præſentis Decreti cum aſſiſtentia Vicarij noſtri Generalis taxandam Officialibus, quibus hæc conuiuia inſtruendi cura committitur, tradant, vt Sodales frugaliori menſa excipiendi, Dei, Sanctorumque cultui, & non ebrietati, ac luxuriæ deſeruire, per hoſce potiſſimum dies, aſſueſcant. Illud inſuper monendum, vt huiuſmodi epulæ, non in ædibus ipſorum Dominorum fiant, nec ijſdem Clerici promiſcuè cum laicis interſint, ſed ſeorſum in alio cubiculo ſobriam refectionem capiant,iuxta iam ſancita in capite de Vita, & honeſtate Clericorum.

7. Priores, & reliqui Officiales curabunt, ac Vicarij Foranei cum Parochis, præque ceteris Fabricæ Eccleſiaſticæ Præfecti, in executionem Decretorum Viſitationis noſtræ intenti, ſolicitè inuigilent, vt Oratoria, Cappellæ, atque Altaria Confraternitatum, quæ reparatione indigent, quamprimùm reficiantur, & ſarta tecta conſeruentur, ac quo decet nitore, ſacrarumque veſtium, & rerum apparatu inſtruantur, omnia denique ibidem ad di-

uinum

uinum cultum pertinentia rite peragantur.

8. Sanctiſſimum tamen Sacramentum in præfatis Oratorijs non aſſeruetur, multòque minùs publicè adorandum exponatur, & ſi quando ex publica cauſa, & cum licentia Noſtra, vel Vicarij Noſtri Generalis expoſitio illic facienda erit, id à Parocho, vel alio Sacerdote ab ipſo ad id deputato præſtãdum erit, ſicut & repoſitio die adueſperaſcente, ſub pœna interdicti eiuſdem Oratorij. Quando autem pro Oratione quadraginta Horarum ex rationabili cauſa, & permiſſu Noſtro ibi exponendum erit, Sacerdos cum duobus ad minus Confratribus ſacco indutis ſemper aſſiſtat, omniaque alia, ſiue illìc, ſiue in alia Eccleſia exponitur, ſeu cùm ad Infirmos defertur, à Confraternitatibus, & maximè ab illa Sanctiſſimi Sacramenti, fiant ad præſcriptum Decretorum in capite de Sacramento Euchariſtiæ editorum.

9. Quò alacriùs prædicta, aliaque pietatis, & charitatis opera ad Confraternitatum inſtitutum pertinentia, obeantur, Parochi principaliori feſtiuitate vniuſcuiuſque Sodalitatis, quibus Indulgentijs gaudeat, & quid quiſque Confrater agendo, earum fructum conſequi valeat, inter Miſſarum ſolemnia, declarent.

10. Præterea in præfatis Oratorijs defuncti, etiam Sodales, non ſepeliantur, Miſſaque ibidem in Ferijs quinta, & ſexta, ac Sabbato Sãcto maioris hebdomadæ nullatenus; & alijs diebus ita celebretur, vt Parochialium Eccleſiarum Sacrificia, & Diuina

Officia, & Conciones non impediantur.

11. In Parochialibus tantummodò, & non in Confraternitatum Eccleſijs, ſeu Oratorijs palmarum, & candelarum benedictiones, & diſtributiones faciendas eſſe edicimus.

12. Singulę Sodalitates vtantur opera Presbyteri pij, & prudentis, atque à Nobis approbati, qui ad munus hoc à dictæ Confraternitatis Concilio electus, illud detrectare nequeat, ſed omnia ea peragat, quæ ex vniuſcuiuſque Inſtituto Sacerdotale miniſterium requirunt.

13. Iam vero Viri pietate, & diligentia cæteris præſtantes non minores vigintiquatuor annis, ſufficienſque patrimonium in ſtabilibus poſſidentes, in Priores, atque Officiales quotannis eligantur coram Vicario Generali in Oppido Sublaci, & Foraneis, ſeu Parochis in Diœceſi, idque ſub pœna nullitatis electionis, qui omnes tam in dicto Oppido, quàm Diœceſi, vt ſuprà, electi, per eundem Vicarium Generalem, ſi eos dignos iudicauerit, erunt approbandi, teneāturque ſtatim coram ijſdem Vicarijs iuramentum præſtare de fideli, ac diligenti adminiſtratione obeunda, ſuoque loco, & tempore eiuſdem ratione reddenda.

14. Electio porrò quotannis fiat per ſecreta Confratrum vota, nec Officialium eorundem confirmatio vltra triennium extendatur, ſeruenturque adamuſſim, tum quoad eligendi modum, tum, quoad cætera, regulæ, quas Societatum regimini

accom-

Digitized by Google

accommodatiſſimas, ac propterea in appendice huius Synodi inſertas, quondam tradidit ÆMILIVS de ALTERIIS tunc Epiſcopus Camerinenſi, præcipuo Dei munere, & rara huius Abbatiæ felicitate, atque honore Viſitator eiuſdem ab Eminentiſſimo noſtro Prædeceſſore delegatus, nunc verò CLEMENS X. Vniuerſalis Eccleſię Summus Pontifex, idemque hominum maximus, & ſanctiſſimus.

15. Officialis, qui ex priore adminiſtratione debitor in aliqua ſumma remanſit, non iterum, niſi ſoluto priùs debito, eligatur, nec confirmetur, ſicuti nec quicunque alius, qui eidem Confraternitati notabilem pecuniam, aut aliam rem debet, bonaue eius conducta tenet, ad officium præſertim Prioris, vel Camerarij, ſeu Depoſitarij admittatur.

16. Camerarius abſque licentia Prioris, & aliorum Officialium vinum, frumentum, alioſque fructus Societatis vendere, ſub pœna decem ſcutorum, priuationis officij, & refectionis damnorum, non audeat; nec reditus, ſiue certi, ſiue incerti in vllos vſus, præterquàm deſtinatos, etiam ſub prætextu Charitatis, vel ſtipis Quæſtoribus eleemoſynarum elargiendæ, vt in Viſitatione præcepimus, vllatenus erogentur: nec cuicunque, ſignanter Officiali, Computorum reuiſori, aut loci Communitati mutuò dentur, ſub eadem pœna contra erogantes, & mutuantes; nullique ſumptus, etiam in vſus deſtinatos ſupra, ſummam vnius ſcuti ab Officialibus fiant, niſi conſulto priùs Confraternitatis Concilio,

& li-

& licentia Vicarij noſtri Generalis obtenta, neque lites cuiuſcunque generis aliter ſuſcipiantur, & contrauenientes, vltra alias pœnas arbitrarias, de proprio teneantur. Concilium autem, ſeu Congregatio, quoties neceſſitas aliqua Societatis id exegerit, legitimè in certo loco conuocetur, & quidquid ibidem per vota ſecreta, à maiore Confratrum parte determinatum fuerit, firmiter obſeruetur; Præfato verò Cõcilio Vicarius Foraneus, atq; eo legitimè impedito, Archipresbyter, ſeu Parochus loci per Priores, ſeu Officiales de dicta Conuocatione cum diei, & horæ indicatione antea monendus, interueniat.

17. Eleemoſynæ verò Societatibus, ſiue oblatæ, ſiue per ſuos Quæſtores de licentia Noſtra, vel Vicarij noſtri Generalis quæſitæ (aliter enim quæri vetamus) conſeruentur in Capſa firma, & bene clauſa penès Camerarium retinenda ſub duabus clauibus diuerſis, altera ab Archipresbytero, vbi adeſt, vel antiquiore Parocho, vbi in eadem Eccleſia plures reperiuntur, altera à Priore Confraternitatis fideliter cuſtodiendis.

18. Quęcunque de alienationibus, locationibus, conceſſionibus in emphyteuſim, Cenſuum acquiſitione, & extinctione, pecuniarum reinueſtimentis, ſuppellectilis ſacræ, vel profanæ commodatione in capite de Bonis Eccleſiæ, locorumque piorum ſuprà decreta ſunt, quæque in prælaudatis ſaluberrimis Societatum regulis continentur, ſub pœnis vtrobique expreſſis, obſeruari diſtrictè mandamus.

19. Ap-

Digitized by Google

19. Appropinquante iam annalis adminiſtrationis fine, Syndici per Confratres ſecreto ſcrutinio electi, eiuſdem rationes, & computa examinent, vt mox tempore nouæ electionis liquere poſſit, an Officiales ſint debitores, nec ne, & infra decem dies poſt præfatam electionem, dicti Officiales veteres, etiam non requiſiti, computa ſua iurata, ſub pœna ternorum iuliorum in ſingulos dies, donec paruerint, denuò exhibeant nouis Officialibus coram Vicario noſtro Generali, & quatenus hoc commodè fieri nequeat, coram proprio ipſorum Vicario Foraneo, & Archipresbytero, vel antiquiore, vt ſuprà, Curato, qui eadem deinde Vicario Generali tranſmittere teneantur. Quòd ſi ex hiſce computis ita reuiſis aliquid adhuc debere prædictos Officiales apparuerit, niſi intra menſem ſoluerint, officiorum in quacunque Sodalitate reddantur incapaces, & ad ſolutionem per nouos iudicialiter compellantur. Quidquid autem in fine anni ex reditibus ſupereſſe compertum fuerit, id Nobis per dictos Vicarios ſignificetur, vt in beneficium Oratorij, Cappellæ, ſeu Altaris, alioſue vſus Confraternitatis, arbitratu Noſtro, expendi poſſit.

20. Ijdemque Vicarij, & Parochi, vt Sodalitatum debitores quicunque, præſertim ij, quos in Viſitatione Noſtra tales declarauimus, ad ſoluendum iuris remedijs adigantur, apud Officiales ſedulò inſtent, crebrò ijs denunciando, ſi quid ex creditis eorum incuria deperierit, id ab ipſis de proprio

eſſe


eſſe reſarciendum. Quicunque verò ex ijſdem Vicarijs, ſeu Parochis in aliquo ex præmiſſis negligentes deprehenſi fuerint, grauiter punientur. Hic quoque Sublaci eadem omnia diligenter exequenda eſſe vigilantia Vicarij noſtri Generalis omnino confidimus.

21. Inuentaria etiam quarumlibet rerum ad Sodalitates pertinentium exactè ab Officialibus cõficiantur, & eorum exemplaria ad Vicarium noſtrũ Generalem, vt in Cancellaria Noſtra Eccleſiaſtica reponantur, ſtatuto tempore tranſmittantur, ſeruatis ijs omnibus, quæ in capite de Bonorum Eccleſiæ, aliorumque locorum piorum Inuentario, nec non in Inſtructione pro inuentario conficiendo in fine Synodi poſita copiosè habentur.

22. Præterea in vnaquaque Societate quatuor adſint libri benè compacti, & chartulati; In primo omnia nomina Confratrum, cum die, & anno receptionis regiſtrentur; In ſecundo ſingulæ Congregationes cum reſolutionibus in ijſdem factis, adiecto itidem die, & anno, atque inſuper Decreta Viſitationis ad Confraternitatem pertinentia, ſcribantur; In tertio Introitus certi, & incerti, exactiones, atque exitus pecuniarij, addito pariter die, & anno, necnon ſententię, quibus finita adminiſtratione, reuiſiſque computis, præteriti Officiales abſoluuntur, vel condemnantur, accuratè notentur: In quarto Legata, & quæuis aliæ piæ diſpoſitiones, cum ſuis oneribus, eorunque adimplementis, quæ onera, ſi fue-

fuerint Miſſarum, obſeruentur alibi ſancita, circa Tabellam Sacriſtię, librumque, in quo earundem Miſſarum celebrationes manu Celebrantis deſcribuntur. Quæ onera, vt debita diligentia, adimpleantur, Officiales, atque etiam Parochi religiosè procurent; ſed in ijs ſuſcipiendis, ſi ſunt perpetua, nouerint Noſtram, vel Vicarij noſtri Generalis licentiam in ſcripto eſſe omnino obtinendam.

23. Poſtremò omnes iſti libri, Inuentaria, Confraternitatum erectiones, aggregationes, Indulgentiarum diplomata, Codicilli, ſeu legata pia, Inſtrumenta, quæcunque denique ſcripturæ ad eaſdem pertinentes, non pęnes Officiales, ſed in Archiuio, ſeu Armariolo peculiari in Oratorio, vel Sacriſtia Eccleſię, vbi dictæ Confraternitates ſunt erectæ, à præfatis Officialibus comparando, aſſeruentur, cum diligentijs, & ſub pœnis in capite de Bonorum Eccleſiæ, aliorumque locorum piorum Archiuio explicatiùs ſtatutis.



De Seminario erigendo, & ludi Magiſtris.

CAPVT XXXVI.

1 POpulorum ſalus, ac Eccleſiarum ſalutare regimen, Clericorum maximè ſcientia, atque innocentia continentur, quæ vix aliter conſtare poſſunt, quàm ſi iijdem à teneris annis ſeorſum ab alijs, ſub ſalubri Inſtitutorum magiſterio in Seminario, ceu plantæ nouellę, benigniori cultura educentur, vt inde poſtea ad laborioſa Eccleſiaſtica miniſteria in Vineam Domini opportunè tranſplantentur.

2. Propterea Nos, vt in hac noſtra Diœceſi ſufficiens idoneorum ad ordines, curamque animarum ſuſcipiendam numerus ſemper ſuppetat, Sacris Canonibus, & Concilio Tridentino obſequentes, Collegium, ſeu Seminarium Clericorum in Oppido Sublaci, ſub certis regulis, & diſciplina, ad præſcriptum eiuſdem Concilij ſtabiliendis, de conſilio duorum Canonicorum à Nobis electorum, & iam publicè in hac Synodo declaratorum gubernãdum, necnon ſalubri aliqua ratione, iuxta rerum, temporumque conditionem per Nos ineunda, dotandum, præſenti Conſtitutione Synodali inſtituimus, atque erigimus, Eccleſiamque Sanctæ Mariæ ad Niues, ac

Concil. Tridem. c. 18. ſeſſ. 23. de refor.
c. omnis ætas 12. q. 1.

Ædes

Ædes contiguas, cum annexis, extra Portam dicti Oppidi, vulgò *Angolinam* dictam, ſitas huic vſui aſſignamus.

3. Eos portò, quorum opera, & prudentia in hoc Decreto exequendo vſuri ſumus, vt omnem fidem, induſtriam, & zelum huc Nobiſcum conferant, paternè monemus: Alijs verò, ad quos quomodocunque ſpectat, promptam, & plenam eiuſdem Decreti obſeruantiam diſtrictè iniungimus; Cunctos denique, vt tam pium, animarumque ſaluti neceſſarium opus, quanto poſſunt maximo fauore, ſtudio, & pietate proſequantur, ac promoueant, in Domino obſecramus.

4. Interea, donec præfata erectio ad debitum finem perducatur, dictæ Eccleſiæ, domuſque curam Ludi Magiſtro idoneo ad illud à Nobis comperto commiſimus, vt ibidem Schola publica exerceatur, id, quod in cæteris omnibus huius Abbatiæ Caſtris, vel per Præceptores publicè conductos, quatenus fieri poſſet, vel certè per ipſos Parochos præſtari vehementer cuperemus.

c.quia nonnulli de Magiſtris.

c.de quibuſdam diſt.37.

5. Iſti tamen Magiſtri in dicta loca, abſque Noſtra, vel Vicarij noſtri Generalis approbatione in ſcriptis, & gratis concedenda, Fideique profeſſionis emiſſione, à Nobis pariter, aut eodem Vicario Generali recipienda, nullatenus admittantur, & ſine ijs, vel alterutro eorum iam admiſſi, intra menſem, quod omiſſum eſt, ſub pœna remotionis ab

officio ſupplere omnino teneantur.

6. Ijdem functionibus ſuis ſolicitè incumbentes, bis quotidie, exceptis Feſtiuitatum, & conſuetarum vacationum diebus, pueros ad Scholas ſuas accedentes literis, pro vniuſcuiuſque captu, diligenter inſtituant, libros vetitos, vel obſcęnos interpretandos non ſuſcipiant, nec à Diſcipulis legi permittant; Miſſæ Sacrificio, Verbi Dei prædicationi, Veſperis, atque deuotæ Roſarij recitationi, attentè, piè, & frequenter eoſdem intereſſe, ac ſemel ſaltem in menſe Sacramentali Confeſſione peccata eluere, & ſi fert ætas, in ſolemnioribus Feſtis Sacram Communionem percipere ſedulò procurent; Fidei rudimentis ex Doctrina Chriſtiana piæ memoriæ Cardinalis Bellarmini potiſſimùm deſumptis, tum ſæpe aliàs, tum certa per ſingulas hebdomadas huic vni exercitio attributa die imbuant, & ad ſacram Catecheſim, quoties in Eccleſia Parochiali peragitur, ipſi ſemper conducant.

Leo X. in Conc. Lateranen. & in Conſtit. ſua in ord. Bullarij 7. §. 32. incipien. Supernæ.

7. Præcipua autem Cura vitæ Clericali deſtinatos ad omnia præmiſſa incitent, atque in ſtudijs, præſertim ſtatui ipſorum conuenientibus, Sacri Concilij Tridentini nimirum, & Catechiſmi Romani explicatione inſtruant.

8. Denique Vicarij noſtri Generalis, & Foranei, Archipresbyteri, & Parochi Scholas in ſuo quique diſtrictu, crebrò inuiſant, Magiſtrorumque docendi rationem, ac mores ſolerter obſeruent, &

quos

Digitized by Google

quos negligentes, aut verbo, vel exemplo offendiculum aliquod prebentes deprehenderint, vt orienti malo opportunè occurrere liceat, ad Nos quamprimùm deferant.

De

De Monte Frumentario.

CAPVT XXXVII.

SVbſidia Frumentarij Montis in
1 Oppido Sublaci, eximia So-
Conc.Trid.c.8. ſeſſ.25. de ref. cietatis Sanctiſſimi Crucifixi pietate, erecti, vt quàm maxima charitate miſerabilibus perſonis diſpenſentur, paternè ſoliciti præcipimus, eadem præuio mandato Priorum præfatæ Confraternitatis directo alicui perſonæ induſtriæ, fidei, atque erga egenos benignitatis perſpectæ viro in Montiſtam, cum approbatione Vicarij Noſtri Generalis electo, circa Feſtiuitates Natiuitatis, & Reſurrectionis Dominicæ annona laborantibus diſtribui, ac deinde intra totum menſem Auguſti ab ijſdem per dictum Diſpenſatorem recuperari, ſub pœna ſupplendi de proprio quiquid ipſius negligentia non fuerit reſtitutum.

2. Qui autem in reddendo, quod mutuo, vt ſuprà, acceperunt, moroſi deprehenſi fuerint, notentur, vt ad reſtitutionem compellantur, nec poſtea Nobis, vel Vicario noſtro Generali inconſultis, hoc beneficio gaudeant.

3. Frumentum porrò, non apud Priores, aut Montiſtam, ſed in horreo peculiariter huic vſui de-

ſti-

ſtinato, diligenti cura, & cuſtodia aſſeruetur, eiuſq; diſtributio, ac reſtitutio in libro benè compacto, chartulato, atque ad hoc ſpecialiter comparato, cum die, menſe, & anno, necnon nominibus accipientium, reddentiumque accuratè deſcribantur.

4. In fine anni Montiſta rationem ſuæ adminiſtrationis Syndicis à conſilio dictæ Confraternitatis per ſecreta vota eligendis, ac Vicario noſtro Generali reddere, & ſucceſſori in officio, ſi eundem non ampliùs confirmari placuerit, præfatum librum cum ſchedulis debitorum tradere teneatur.

5. Iſti Confratres, Priores, ac Montiſta ſcire omnino debent, Montem hunc Frumentarium, in Conſtitutionibus Apoſtolicis ſuper Monte pietatis emanatis, comprehendi, atque adeo illius bona in nullos, præterquàm pauperum vſus ad præſcriptum inſtituti, ſub excommunicatione Summo Pontifici reſeruata ipſo facto incurrenda conuertere licere; Propterea ipſis eiuſdem fidelem curam, & conſeruationem; incrementa verò, & amplificationem omnibus Fidelibus ex intimo miſericordiæ in pauperes affectu, impensè commendamus.

Conſt. Pauli V. incip. Onerosa.

De

De Hoſpitalibus.

CAPVT XXXVIII.

Conc.Trid.c.8. ſeſſ.25.de ref.& c.15. ſeſſ.7. de refor. c.3. & 4. de relig. domibus. Clem.quia contingit eod. tit.

XEnodochia pauperum Peregrinorum commoditati priſca Fidelium pietate inſtituta, atque à Sacris Canonibus toties,tamque enixè paſtorali ſolicitudini commendata, vt in hac Noſtra Diœceſi, quantum per prouentus eorundem licet ad priſtinum Hoſpitalitatis officium redigantur, omni ſtudio adniti decet.

1. Vir itaque prouidus, iuſtus, expertæ in miſerabiles perſonas charitatis,atque vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum egreſſus, ab Archipresbytero, ſeu Parocho loci, & vbi in eadem Eccleſia ſunt plures, ab antiquiore, ſiue à quocunque alio, ad quem de iure, vel conſuetudine ſpectat, vniuſcuiuſque Hoſpitalis adminiſtrator, per triennium ad ſummum continuandus, eligatur, qui bona, res, & iura eiuſdem diligenter, ac fideliter adminiſtret, conſeruet, ſtrenuèque tueatur, atque eorundem vſurpatores, ſub pœnis in capite de Bonis Eccleſiæ, locorumque piorum ſtatutis, Nobis, vel Vicarijs noſtris denunciet, prædia excoli, domos ſarto tecto, ianuiſque, & feneſtris refectis, vt in Viſitatione Noſtra præcepimus, ad Hoſpitij vſum accom-

d.c.8.ſeſſ.25. de reform.

modare

by Google

modare faciat, Eccleſiæ, ſeu Cappellæ, ſi qua fortè Hoſpitali reperitur adnexa, cultum, & nitorem, onerumque eidem incumbentium adimplementum religioſè curet; aduentantes Peregrinos gratìs, nihil ab eis exigendo, nec vltro oblatum recipiendo, benignè excipiat, ſuſcepti itineris tempus, ac rationem, atque, an Ordinarij ſui literas teſtimoniales ſecum deferant, ſedulò exquirat, nomina, cognomina, & patriam in libro ad hoc deſtinato ſcribat, vltra vnam noctem, & diem, niſi eos ægrotare contigerit, non retineat, maiores natu cum pueris, vel adoleſcentulis, niſi filios ſuos eſſe manifeſtè docuerint, in eodem lecto cubare non patiatur, nec mares cum fœminis eodem cubiculo, imò nec diuerſis inter ſe peruijs manere permittat, niſi fortè matrimonio iunctos legitima atteſtatione conſtiterit, alioquin perſonas diuerſi ſexus ſimul peregrinantes, aut quemcunque alium turpem, facinoroſum, arma deferentem, Circulatorem, Aleatorem, Ebrioſum, quemuis denique publicum peccatorem, nullatenus admittat; & iam admiſſos, ſi tales mox detexerit, aut aliter, quàm loci religio poſtulat, in eodem verſantes deprehenderit, protinus eijciat; nec ipſe in Hoſpitali vllam mulierem, præſertim iuuenem, quantumuis propriam vxorem, aut filiam morari, vel peregrinis famulari ſinat.

2. Reditus eiuſdem in ſuos vſus damnabiliter conuertere, aut in alienos ab inſtituto erogare, ſub d. Clem. quia contingit.

Conc. Trid. cap. 11. ſeſſ. 22. de reform.

excommunicationis pœna non audeat, ſed, vt quidque acceperit, exegerit, vel expenderit, in libro bene compacto, & chartulato ad hoc deſtinato, fideliter notet, & in fine anni, vel quotieſcunque fuerit requiſitus, adminiſtrationis rationem Vicario noſtro Generali, ſeu proprio Foraneo, & Parocho, alijſue, quibus ex fundatione, vel conſuetudine ius hoc competit, reddere teneatur, & quidquid ex annuo reditu ſupereſſe compertum fuerit, Nobis per eoſdem Vicarios, vel Parochos ſignificetur, vt in Hoſpitalis, alioſue pios vſus, prout è re magis viſum fuerit, Noſtro arbitratu impendatur.

Conc. Trid. cap. 9. ſeſſ. 22. de reform.

3. Quæcunque de locorum piorum bonis ſtabilibus, & mobilibus alienandis, locandis, commodandis, deque ipſorum Inuentarij confectione, atque exempli inde extrahendi ad Cancellariam Noſtram Eccleſiaſticam tranſmiſſione ſuprà ſtatuta ſunt, ſub pœnis ibidem ſancitis, obſeruet, & exequatur; Præfati tamen Inuentarij originale, cum ſcripturis quibuslibet ad Hoſpitale pertinentibus, non apud ſe, nec etiam in Hoſpitali retineat, ſed in Parochialis Eccleſiæ Archiuio reponendum, & aſſeruandum diligenter procuret.

Conc. Trid. c. 8. d. ſeſſ. 22.

4. Vicarij denique Noſtri, Generalis, Foranei, Archipresbyteri, & Parochi omnia Hoſpitalia, ſub quorumcunque cura, intra ſuæ Iuriſdictionis fines exiſtentia ſæpe inuiſant, prefatorumque executioni aſſiduè inuigilent; & ſi quid animaduerſione dignum inue-

Digitized by Google

inuenerint, pro ſua quiſque authoritate opportunè prouideant, vel ad Nos deferant, vt contra tam Hoſpitalarios, remotione ab officio, ac grauioribus pœnis, & cenſuris, pro modo culpæ, quàm alios quoſcunq; in præmiſſis delinquentes ſeuerè procedere valeamus.

¶Idem Concil. cap.8.ſeſſ.25.de reform.



De Concubinarijs.

CAPVT XXXIX.

1 TVrpiſſimas impudicitiæ ſordes, vnde grauia inter Fideles ſcandala, ex hac Noſtra Diœceſi, quatenus ex alto permittitur, egerere impensè cupientes, Parochis omnibus diſtrictè iniungimus, vt quos in Concubinatu verſari cognouerint, ſalutaribus adhortationibus ad purioris vitæ ſtudium reducere paternè laborent. Ex ſuprà tamen ſancitis, tam ipſi, quàm quicunque alij Confeſſarij meminerint, ſe ijs Sacramentalem abſolutionem nullatenus impertiri poſſe, niſi, penitùs eiecta, & reſpectiuè relicta ante menſem Concubina, veræ pœnitentiæ ſpecimen dederint; nec, etiam poſt abſolutionem, manifeſtos, & notorios Concubinarios ad publicam Communionem admittant, niſi de præfata ſeparatione, ſcandalique remotione iam palàm conſtiterit.

Conſt. 20. Leonis X. incipien. Primitiua, §. 21. & ſeq.

2. Obſtinatè autem, & notoriè in impuritate perſiſtentes ad Nos quamprimùm deferant, vt contra ipſos ſiue ſolutos, ſiue vxoratos pœnis corporalibus, carceris, alijſque arbitrarijs procedere, atque inſuper, præmiſſa trina monitione ſpeciali Eccleſiarum valuis publicè affigenda, ad ſententiam Excommu-

Conc. Trid. c. 8. ſeſſ. 24. de ref. matrimon.

municationis deuenire valeamus. Mulieres quòque flagitij ſocias, ſiue ſolutas, ſiue nuptas, ſi ter monitæ non paruerint, fuſtigatione, atque exilio à tota Diœceſi plectendas eſſe decernimus; Si qui verò in hac Abbatia, matrimonium alibi contractum aſſerentes, more coniugali cohabitare reperti fuerint, literas teſtimoniales eiuſdem ab Ordinario loci, vbi celebratum fuerit, Parochis, in quorum paroecijs degunt, exhibere omnino teneantur.

Sac.Cong.Concil. apud Garz. de benef. p.11. cap. 10. n 186. ſine die, & anno. Concil.Triden. vbi ſupra.

3. Et quia meretrices eſſe, & ad meretrices accedere prohibet Dominus; idcirco ijdem Parochi, ſi quam fœminam inhoneſtam quæſtu corporis animam propriam, alienaſque illaqueantem deprehenderint, id Nobis quamprimùm ſignificent, vt, omni ſanctiore cura adhibita, ad vitæ emendationem, quàm maximè fieri poterit, inducatur, vel, nulla melioris frugi ſpe relicta, tanquam putridum membrum, ne reliqua turpitudinis contagione inficiat, amputatum extra Diœceſim proijciatur. Adulterium autem à quocunque, & cum quacunque commiſſum acerrimè à Nobis vindicandum eſſe omnes meminerint. Præterea ſi perſona aliqua nefaria, alienæ libidinis miniſtra, virginis, aut mulieris, præſertim caſtæ, integræque famæ, mentem deteſtandis lenocinij artibus corrumpere, aut tentare comperta fuerit, fuſtigationis, irreuocabilis exilij, atque alijs pœnis contra lenones à Iure ſtatutis ſeueriſſimè afficietur.

c. Meretrices eſſe 32. q. 14.

Conſt. 46. Sixti V. Ad compeſcendum.

Conſt. 18. Pauli IV. incip. Sanctiſſimus.

4. Clerici denique quantò integriore conti-

nentia

Digitized by Google

nentia cęteros antecellere debent, tantò enixiùs caueant, ne, non ſolùm cum Concubinis, ſed nec cum quacunque alia fœmina, & præcipuè ſuſpecta, vllam omnino conſuetudinem habeant; alioqui in ipſos ex præſcripto Sacrorum Canonum, ſumma ſeueritate animaduertemus: &, ſi ne ſic quidem reſipuerint, eos ad formam Sacroſancti Concilij Tridentini beneficiorum fructibus, adminiſtratione, atque ipſo demum titulo, ad ſingula monitione præmiſſa, gradatim priuabimus, declarando inſuper omni alio beneficio, officio, atque honore indignos, & procedente vlteriùs contumacia ſententia excommunicationis feriemus. Clerici autem nullum beneficium eccleſiaſticum habentes, iuxta delicti, & perſeuerantiæ in eodem qualitatem, carceris, ſuſpenſionis ab Ordine, atque inhabilitatis ad Beneficia, alijſque pœnis grauiſſimè plectentur, & mulieres cum ipſis ſacrilegè delinquẽtes fuſtigationis, & perpetui exilij addicentur ſupplicijs.

c. Clericus ſolus diſt. 81.

c. Sacerdotes, diſt. 50.
c. Presbyteri, diſt. 82.
c. Præter, §. ad hæc, diſt. 32.
c. Si qui ſunt, diſt. 81.
Concil. Triden. c. 14. ſeſſ. 25. de reform.

De

De Vſuris, & illicitis Contractibus.

CAPVT XL.

1 VT peſtifera vſurarum lues vtriuſque teſtamenti pagina ciuilibus, & Canonicis legibus reprobata, procul à caula Dominica, ne Oues nobis commiſſas inficiat, arceatur, & ne Fideles, maximè Clerici, poſthabito Dei timore, eluſis in communem vtilitatem latis legibus, nulla in proximos amoris, aut æquitatis ratione habita, viſcera miſericordiæ claudant, & crudeliter obdurent, nefariaſque rapinas, aut palam cum impunè licet, aut clam ſi ſecùs, in pupillorum, viduarum, operariorum, aliorumque miſeria oppreſſorum perniciem exerceant;

tit. de Vſur. per tot. Exod. 22. v. 25. Deuteron. 23. v. 19. & 20. Leuit. 25. v. 36. & 37. 2. Eſdr. c. 5. per tot. Pſalm. 14. v. 5. Prouerb. 22. v. 16. & c. 28. v. 8. Ezech. 18. v. 8. 13. & 17. & c. 22. v. 12. Luc. 6. v. 34. & c. 19. v. 8. Prou. 21. v. 11. 1. Ioan. 3. v. 17. Prou. 12. v. 10. Exod. 22. v. 23. & ſeqq.

2. Hortamur in primis, obſecramus in Domino, atque etiam mandamus, vt omnes Parochi, Vicarij Foranei, Confeſſarij, Concionatores, alijq; curam animarum exercentes, Sacros Canones, Summorum Pontificum Conſtitutiones, probatoſque Authores indefeſſo ſtudio euoluentes, ſanam de contractibus doctrinam apprimè calleant, quam populis ſibi commiſſis, contractus cēſuum, ſocietatum, alioſque inire volentibus, omnibus denique, maximè Tabellionibus, aut eorum vice fungentibus ſequen-

B. Pij V. Conſtit. 79. Sixti V. Conſtitut. 45.

quendam proponant, occaſionemque ſæpe, & libentes arripiant fidelem plebem enucleatè edocendi, atque commonefaciendi, vt in præfatis contractibus faciendis memores charitatis, iuſtitiæ, æquitatis, bonæ fidei, ſpontanei conſenſus, inuiolabilis iuramentorum, & promiſſorum Religionis, & Euãgelici moniti, *mutuum dantes nihil inde ſperantes*, proximorum in ſe affectum, vitam, iuſtitiam, & gloriam à Deo omnium Patre, & iuſto ſimul Iudice conſequantur: atque, vt fœdi, enormis, & venenoſi quęſtus illiciti horror Fidelium mentibus conceptus penitùs inſideat, ijdem Parochi, Vicarij, Confeſſarij, Concionatores, cæterique acriter inuehantur in eos, qui per vim, & metum, per dolos, ac fraudes, per colluſiones, deceptiones, pauperiorumque per fas, & nefas oppreſſiones, vias Domini rectas ſubuertunt, nec ad æterna, quæ eorum criminibus debentur ſupplicia, rudentibus inferni trahi perhorreſcunt.

Lucæ 6.v.35. Prou.21.v.21. Pſalm.7.v.12. 2.Timoth.4. v.8.

Act.13.v.10.

2.Petr.c.2.v.4.

3. At verò Confeſſarij, præter ſupradicta ſerijs monitionibus inculcanda pœnitentibus, meminerint diligenter ad ſe accedentes accurato examine interrogare ſuper negotiationibus, quibus fortè implicantur, nec faciles ſe ad occultas eorum artes approbandum reddant, niſi poſt exactum ſtudium, & peritorum etiam, ſi opus fuerit, expetitum conſilium, eas legitimas, permiſſaſque eſſe certò ſibi conſtiterit; atque adeo omnino caueant, ne alienorum bonorum raptores, vſurpatores, detentores,

& præ-

Digitized by Google

& præcipuè vſurarios, debitarumque operarijs mercedum fraudatores, atque etiam horum omnium filios, & heredes crudeli, & iniquà indulgentia palpent, quos quidem nullo pacto, niſi facta reali reſtitutione, aut certè detecto in ipſis firmo quamprimùm reſtituendi propoſito, à peccatis abſoluant, gnari ſe, ſi ſecùs fecerint, alienis peccatis innecti, & in defectum ſuorum pœnitentium, prout aliàs monuimus, ad reſtitutionem obligari.

c.Tua nos 9. de Vſuris.

4. Maxima item diligentia inuigilent Parochi, Vicarijque noſtri Generalis, & Foranei ſua quique in Parochia, & diſtrictu ſuper cenſuum, ſocietatum, alijſque factis, faciendiſue contractibus, quibus, ſi lædi æquitatis, & iuſtitiæ iura, Summorumque Pontificum Bullas deſuper emanatas infringi liquidò agnouerint, quantùm poſſunt, iniri impediant, iamque initos omni conatu reſcindi procurent; quorum ſalutaribus monitis, & increpationibus manifeſtè refractarij, ad Nos, iuxta Sacrorum Canonum, & præfatarum Conſtitutionum Apoſtolicarum ſancita, caſtigandi, & perpetua infamia notandi quantocyus deferantur, nec interea, aut viui ad Sacramenta, aut mortui ad Eccleſiaſticam ſepulturam admittantur, niſi priùs pro vſurarum debito, reali ſolutione ſatisfecerint, vel ſaltem depoſito, aut fideiuſſoribus, pignoribuſue legitimam cautionem præſtiterint.

B. Pij V. Conſtit. 79.
Sixti V. Conſtit. 45.
c. ſuper eo 3. de Vſuris.
B. Pij V. vt ſup.

5. Quoties verò Parochi, aut Vicarij noſtri de prædictorum contractuum æquitate ſubdubitant,

Digitized by Google

Nos quamprimùm, vt quid circa eorundem validitatem decernendum ſit, pro paterna ſolicitudine, iuſtitiam prę oculis habentes, præſcribamus, conſulere non prætermittant.

6. Notarijs verò, ſeu Tabellionibus quibuſcunque, & eorum vice fungentibus firmiter prohibemus, ne vlla contractuum, ſeu manifeſtè, ſeu palliatè Vſurariorum inſtrumenta conficere audeāt. Quòd ſi huic Noſtro Synodali decreto contraire præſumpſerint, vltra grauiſſimum, quod in animas ſuas, crimen admittunt, & præter pœnas, à Sacris Canonibus inflictas, à Nobis quoque ſeueriſſimè, atque irremiſſibiliter ſe caſtigandos eſſe nouerint.

7. Et quoniam inſana lucrandi cupiditas, eò iniquitatis in hac Noſtra Diœceſi, cum maximo animi Noſtri mœrore erupit, vt Artifices, Mercatoreſq; Operariorum ſuorum mercedes, non numerata pecunia, ſed datis in ſolutum rebus, ſeu mercibus ſummo pretio, ac interdum etiam iniuſto ęſtimatis perſoluant, quas deinde ijdem Operarij, nonniſi infimo, & quandoq; ad vrgentes neceſſitates ſubleuandas dimidio minoris diſtrahere coguntur, Nos pro paterna, & Paſtorali in omnes charitate, tam inopum indemnitati, quàm officinæ magiſtrorum ſaluti conſulturi, mandamus omnibus huius Noſtræ Diœceſeos Mercatoribus, Opificibus, alijſque quibuslibet, ne debitam Operariorum laboribus mercedem aliter, quàm in prompta, & enumerata pecunia exſoluant, neque huius loco aliam, ſeu

alias

alias rerum ſpecies, aut ab initio paciſcantur, aut poſtmodùm ſubſtituant, Operarijs etiam volentibus, qui in id non ſponte conſentiunt, ſed metu, ne ſi fortè numeratam pecuniam exigerent, occaſiones victũ diurno labore quærendi difficulter inuenirent. Quam Noſtram Conſtitutionem, ſi violare quipiam auſi fuerint, vltra pœnas grauiſſime eorum culpæ in ipſum Cœlum clamantis à Diuina, & humana Iuſtitia debitas, nouerint ſe Noſtro arbitrio ſeueriſſimè corrigendos & mulctandos eſſe.

Iacob. c.5.v.4.

De Iudicibus Synodalibus.

CAPVT XLI.

Concil. Triden. c.10. ſeſſ.25. de reform.

INhærentes Sacri Concilij Tridentini decreto in hac Noſtra Diœceſana Synodo Iudices, quibus cauſę Eccleſiaſticæ, ac ſpirituales, & ad Forum eccleſiaſticum pertinentes in partibus delegandæ cõmittantur, & ex quibus, iuxta Gregorij XV. Conſtitutionem, Regulares debeant ſibi Conſeruatores eligere, ſequentes declaramus.

Conſt. Gregor. XV. incipien. Sanctiſſimus.

M.R.D. Petrum Antonium Preti Phil. & S.Theol. ac I.V. D. Canonicum Collegiatæ Sublacenſis, Protonotarium Apoſtolicum, & Eminentiſſimi Abbatis Vicarium Generalem.

Illuſtriſſimum D. Antonium Simonem Abbatem Balleonum Canonicum Sacroſanctæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Beneficiatum S. Mariæ Montis Præclari Abbatiæ Sublacenſis.

Perilluſtrem & M. R. D. Chriſtophorum Blancum Abbatem S. Theodori, & Canonicum Trebarũ.

M. R. D. Cæſarem Panimollem I.V. D. Vicarium Generalem Eminentiſſimi Epiſcopi Præneſtini, & Clericum Beneficiatum S. Ægidij Cameratæ.

R. D. Alexandrum Iordanum Philoſophiæ, & Sac.

Theol.

Digitized by Google

Theol. ac I.V. D. Rectorem Collegiatæ S. Andreæ Sublacenſis, Præpoſitum nuncupatum.

Reu. Carolum Cecconium Rectorem Collegiatę S. Mariæ Trebarum, Archipresbyterum nuncupatum.

Reu. Alexandrum Palladinum Rectorem S. Mariæ Ceruariæ, Archipresbyterum nuncupatum, Vicarium Foraneum.

Reu. Marcum Orlandum Archipresbyterum Aphilarum, Vicarium Foraneum.

Reu. Ioannem Baptiſtam Delphinum Archipresbyterum Arcis Canterani, Vicarium Foraneum.

Ven. Archipresbyterum Arcis S. Stephani Marcum Felicem.

De Examinatoribus.

CAPVT XLII.

1 QVoniam animarum ſaluti ſummopere expedit, vt earundem cura Viris doctrina, & ſanctitate cęteros præcellentibus cõmittatur, Sacroſanctum Concilium Tridentinum ſaluberrimo Decreto conſtituit, vt per Ordinarios in Synodo Diœceſana ad minus ſex Examinatores proponantur, atque in eadem probentur, quorum deinde tres ſaltem cunctos ad Parochiales Eccleſias promoueri volentes diligenter examinent.

Conc. Trid. cap. 18. ſeſſ. 23. de reform.

2. Propterea Nos infraſcriptos Examinatores, vt ſuprà propoſitos, & probatos eligimus, atque deputamus, eiſdem denunciantes, ipſis, non ſolùm, cùm primum conſtituuntur ex Concilij pręſcripto, ſed etiam quoties ad examinandum accedunt, ex hac Noſtra Synodali Conſtitutione coram Nobis, vel Vicario noſtro Generali iurandum eſſe ſe, quacunque humana affectione poſtpoſita, munus ſuum fideliter executuros; proinde ſub pœna periurij caueant, ne examinandos ante examen, quid ſit reſpondendum vllatenus doceant, nec quidquam occaſione examinis vllo tempore capiant; alioquin, tam ipſi, quàm dantes, ſimoniæ vitium

incur-

incurrunt, à quo, niſi beneficijs, quæ obtinent, dimiſſis, abſolui nequeunt, atque etiam ad quæuis alia in poſterum obtinenda inhabiles euadunt.

3. Præterea ſciant, examinandis eas dumtaxat, quæ ad curam Parochialem ſpectant, & non inutiles, ac implicatas quæſtiones eſſe proponendas, eorundemque non tantùm doctrinam, ſed etiam modeſtiam, prudentiam, continentiam, cæteraſque chriſtianas virtutes eſſe explorandas, atque in primis inquirendum eſſe, animarumne ſalutis zelo, an potiſſimùm rationibus ſuis conſulendi ſtudio, ad Beneficium Curatum aſpirent.

4. Curabunt etiam, vt Examinati propoſitorum dubiorum ſolutiones à ſe adductas, in folijs ſeparatis mox ad Nos, ſi extra Diœceſim fuerimus, cum totius examinis documento, per Cancellarium Noſtrum Eccleſiaſticum, in ipſo actu examinandi diligenter confecto, tranſmittendis, propria manu ſcribant, & ſubſcribant. Peracto denique examine, quos, quoad ſcientiam, mores, prudentiam, ætatem, & reliqua dignos iudicauerint, ſecretis ſuffragijs approbent, iudicio de electione magis idonei Nobis reſeruato.

Examinatores Synodales ſunt ſequentes.

Adm. R. D. Petrus Antonius Preti Phil. & S. Theol. ac I. V. D. Canonicus Sublacenſis, Protonotarius Apoſtolicus, & Eminentiſſimi Abbatis Vicarius Generalis.

R. D.

R. D. Alexander Iordanus Phil. & S. Theol. ac I.V. D. Rector Collegiatæ S. Andreæ Sublacenſis, Præpoſitus nuncupatus.

Reu. Paulus Ferrarij I.V. Peritus, Canonicus Sublacenſis.

Reu. Angelus Thaira Sacrorum Canonum Peritus, Canonicus Sublacenſis.

Ven. Archipresbyter S. Marię Sublacenſis Hercules Todinus.

Reu. Carolus Cecconius Rector Collegiatæ S. Marię Trebarum, Archipresbyter nuncupatus.

Reu. Bartholomæus Germanus Canonicus Collegiatæ Trebarum.

Reu. Franciſcus Honeſtus Canonicus Collegiatæ Trebarum.

Reu. Dominicus Antonius Petrantonij Phil. & Sac. Theol. ac I.V. D. Canonicus Collegiatæ Trebarum.

Reu. Franciſcus Antonius de Lelijs I.V. D. Canonicus Trebarum, & Vicarius Foraneus.

Reu. Alexander Palladinus Rector S. Mariæ Ceruariæ, Archipresbyter nuncupatus, Vicarius Foraneus.

Reu. Petrus Riccardus Archipresbyter Ciuitellæ, Vicarius Foraneus.

Reu. Marcus Orlandi Archipresbyter Aphilarum, Vicarius Foraneus.

Reu. Ioannes Baptiſta Delphinus, Archipresbyter Arcis Canterani, Vicarius Foraneus.

Ven.

Digitized by Google

Ven. Archipresbyter S. Stephani Marcus Felix.
Ven. Presbyter Petrus Paulus Pedicoſta Curatus Roiatis.
Presbyter Placidus Cellettus.
Presbyter Ioſephus Mambrilla.
Presbyter Ioannes Vetromilis Phil. & Sac. Theol. Peritus, ac I.V. D.

Quibus adduntur.

Illuſtriſsimus Dominus Ioannes Frãciſcus Albanus Phil. & Sac. Theol. ac I.V.D. Inſignis Collegiatę S. Laurentij in Damaſo de Vrbe Canonicus.
Presbyter Don Iulius Natalinus Eminentiſſimi Abbatis Confeſſarius.
Presbyter Don Guglielmus Lesleus Phil. & Sac. Theol. Peritus, Eminentiſſimi Abbatis Familiaris.
D. Coſmus Carbonus I.V.D., Eminentiſſimi Abbatis Auditor.
D. Thomas Forbeſius Phil. & Sac. Theol. ac I.V. Peritus, Eminentiſſimi Abbatis Familiaris.

Ex Regularibus.

M.R.P. D. Andreas à Neapoli Phil. & Sac. Theol. Doctor, Abbas Caſſinenſis.
P. D. Alphonſus à Nola Sac. Theologię Profeſſor, Prior Caſſinenſis.

D. Franciſcus de Paulis ab Vrbe Sac. Theol. Profeſſor, Decanus Caſſinenſis.

P. Andreas Gerardus Societatis Ieſu Philoſ. & Sac. Theol. Profeſſor.

Fr. Ioannes ab Acuto Vicarius S. Franciſci Reformatorum Sublaci.

Fr. Alexander à Graue Dona Lector Reformatorum S. Franciſci Sublaci.

Fr. Claudius à Monte Sancti Ioannis Guardianus Capuccinorum in Vrbe.

Fr. Benedictus à Tuſculo Lector in Conuentu Capuccinorum Sublaci.



De Teſtibus Synodalibus.

CAPVT XLIII.

CVm Prælati Eccleſiæ , eorumue Vicarij , vigilantia quantumuis maxima , aſſequi nequeant , vt per ſe omnia Clericorum , Laicorumque delicta , ſalubrem in interno , externoque Eccleſiæ Foro correctionem , & remedium requirentia , inueſtigare valeant , ſed ad id piorum , prudentum , ac eccleſiaſticæ diſciplinæ conſeruandę ſtudioſorum hominum opera,atque indicio egeant, Nos ſalutari ſapientiſſimorum Paſtorum exemplo infraſcriptos præfatis moribus præditos Teſtes Synodales conſtituimus , qui , non ordine iudiciali, ſed diſcretè procedendo , diligenter animaduertant.

Primò , an Parochi , Canonici , alijque ad reſidentiam obligati , verè reſideant.

Secundò , an Capitula Diuinum Officium ad præſcriptum rite peragant.

Tertiò , an Parochi Dominicis, & Feſtis diebus, hora populo commoda Miſſas celebrent , eundemque in Fidei myſterijs , & neceſſarijs ad ſalutem, adhibito ad hoc inter earundem Miſſarum ſolemnia Exercitio quotidiano iuſſu Noſtro typis edito , ac pueros in Fidei rudimentis erudiant , Sacramentaq;

ſanis, & infirmis diligenter miniſtrent:

Quartò, an Sacerdotes diebus ſaltem Dominicis, & Feſtis ſacrum faciant, & alij Clerici ad pręſcriptum huius Synodi, Sacramenta Pœnitentiæ, atque Euchariſtiæ frequenter ſuſcipiant, vitamque verè Clericalem ducentes ſuis officijs ſedulò fungantur.

Quintò, an in hac Noſtra Diœceſi ſuperſtitiones, blaſphemiæ, Concubinatus, adulteria, vſuræ, & id genus alia publica ſcelera vigeant.

Sextò, an dies Feſti, & ſacra ieiunia religiosè colantur.

Septimò, an aliqui Paſchalem Communionem non ſuſceperint.

Octauò, an pia legata iuxta Teſtatorum voluntatem, iuriſque diſpoſitionem effectum ſortiantur, aut id hęredes, atque Executores negligant.

Nonò, an matrimonia iuxta Sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini, Sacræque Inquiſitionis decreti præſcriptum contrahantur.

Decimò, an denique reliqua in hac Synodo ſtatuta rite ſeruentur. Quidquid autem in præmiſſis, vel in vlla alia re emendandum compererint, ad Nos, aut Vicarium noſtrum Generalem, quoties opus fuerit, memores iuramenti à ſe in hac Synodo præſtiti, fideliter deferant, vt ſpirituales ægritudines, & neceſſitates populi Noſtri ſcientes, faciliùs remedia adhibere valeamus.

Teſtes

Digitized by Google

Teſtes autem Synodales ſunt ſequentes.

Reu. Paulus Ferrarij I.V. Peritus, Canonicus Sublacenſis.

Reu. Angelus Thaira Sacrorum Canonum Peritus, Canonicus Sublacenſis, pro Oppido Sublacenſi.

Reu. Franciſcus Antonius de Lelijs I. V. D. Canonicus Collegiatæ Trebarum, pro Trebis, & Iennis.

Reu. Alexander Palladinus Rector Ceruariæ, Archipresbyter nuncupatus, pro Ceruaria, & Camerata.

Reu. Marcus Orlandus Archipresbyter Aphilarum, pro Aphilis, & Pontio.

Reu. Innocentius Vittozzius Curatus Ierani, pro Ietano, & Cerreto.

Reu. Ioannes Baptiſta Delphinus Archipresbyter Arcis Canterani, pro Arce Canterani, & Arce Medij.

Reu. Bartholomæus Antoniettus Archipresbyter Auguſtę, pro Auguſta, & Marano.

Ven. Archipresbyter Arcis S. Stephani Marcus Felix, pro Arce S. Stephani, & Canterani.

Ven. Franciſcus Nattinus Curatus Ciuitellæ, pro Ciuitella, & Roiate.

For-

Formula Iuramenti in manibus Eminentiſſimi Abbatis per ſupraſcriptos Teſtes Synodales in Synodo præſtiti.

Ex Maſſobrio de Synodo fol. 157. & ex Barboſa de Officio, & poteſt. Episc. p. 3. in Formulario Epiſcopali folio 51.

Ego N. Teſtis Synodalis ab Eminentiſſimo, ac Reuerendiſſimo Domino Abbate nominatus, promitto, ſpondeo, & iuro, quod amodò in antea, quicquid noui, aut audiui, aut poſtmodum inquiſiturus ſum, quod contra voluntatem Dei, & rectam Chriſtianitatem in Diœceſi, vel regione mihi commiſſa, factum ſit, vel futurum erit, ſi in diebus meis euenerit, tantum, vt ad meam cognitionem quocunque modo deueniat, ſi ſciuero, aut indicatum fuerit mihi Synodalem cauſam eſſe, & ad miniſterium Eminentiſſimi Abbatis pertinere, quod ego, nec propter timorem, nec propter præmium, nec propter parentelam vllatenus celabo Eminentiſſimo Abbati, aut eius Miſſo, cui hoc inquirere iuſſerit, quandocunque ex hoc me interrogauerit, ſic me Deus adiuuet, & hæ Sanctorum reliquiæ.

De

Digitized by Google

De Conſtitutionibus Synodalibus.

CAPVT XLIV.

1 CVm Ouium Nobis commiſſarum ſalutem in legis cuſtodia potiſſimùm poſitam eſſe non ignoremus, agnoſcamuſque conſcientiæ noſtræ grauiſſimum pondus, ni latas leges executioni demandari procuremus, anxia ſolicitudine animum hac in parte noſtrum continenter perurgente præcipimus, & mandamus, vt ad valuas Eccleſiarum Noſtræ Abbatialis S. Scholaſticæ, & Collegiatæ S. Andreæ ſeruatis de more ſeruandis Conſtitutionum harum Noſtrarum Synodalium publicatio die per peculiare ſuper hoc Edictum mox ſtatuenda affigatur, & infra tempus ibidem præfigendum vim legis obtineant cunctos, tam Laicos, quàm Clericos, ſiue Seculares, ſiue Regulares cuiuſcunque gradus, conditionis, & dignitatis extiterint, non ſecùs, ac ſi de illis ſpecialis mentio fieret, & ſingulis perſonaliter intimarentur, comprehendant, afficiant, atque obligent. Prou.19. v.19.

2. Ne autem eædem Conſtitutiones temporum decurſu, hominumue incuria deperdantur, neue in deſuetudinem per earundem ignorantiam abire poſſint, non modò in Diœceſana Synodo, quo-

ties

ties celebrabitur, eas denuo, ſaltem generaliter promulgari, verùm etiam earundem, poſtquàm impreſſæ, & publicatæ fuerint, authenticum exemplar, tam in Eccleſiaſtica Noſtra Sublacenſi Cancellaria, quàm in omnium Parochialium Eccleſiarum Archiuijs reponi, ac diligenter, perpetuòque aſſeruari volumus, & ſtrictè iubemus.

3. Sed quoniam hiſce Conſtitutionibus, nec ea omnia, quæ ſalubribus Sacrorum Canonum ſanctionibus ſtabilita ſunt, exprimenda duximus, nec cunctos caſus, qui quotidiana experientia emergere, & legum correctione indigere poſſunt, comprehendi intelligimus, idcirco Sanctorum Patrum ſententias, Conciliorum decreta, Pontificias Bullas, aliàſque leges firmiter, & inconcuſsè in ſuo ſemper robore, ipſo iure remanere, denunciamus. Neque etiam auctoritatis Noſtræ fines, & cancellos ita circumſcribimus, quin eaſdem Conſtitutiones Noſtras, quatenus opus ſit, mutare, corrigere, alterare, declarare, interpretari, imò vbi opus fuerit, cum Subditis Noſtris ſuper ijs diſpenſare, atque demum eis addere, quæ in Domino adiungenda videbuntur, pro Noſtro arbitrio, æquitatis dictamine, & caſuum exigentia, iure Noſtro valeamus; reſeruata à Nobis ſuper his neceſſaria facultate, Vicario noſtro Generali, prout expedire iudicabimus, communicanda.

Tit.2. v.12. 4. Similiter, vt bonis ſobriè, iuſtè, & piè viuentibus læta tranquillitas per legum præſidia comparetur; mali verò per caſtigationum immi-

nen-

nentium metum, optimum legum cuſtodem, atque exactorem, ad bonam frugem reuerti, in officio contineri, aut publicam quietem ſaltem non perturbare valeant, præter pœnas, & cenſuras his Conſtitutionibus ſuo quaſque loco adnexas, etiam ijs, quas Sacri Canones, Oecumenica Concilia, & Apoſtolicæ Summorum Pontificum ſanctiones ſalubritèr ſtabiliuerunt, alijſque tum corporalibus, tum pecuniarijs Noſtro arbitrio infligendis, eccleſiaſticæ diſciplinæ rigorem procuraturos Nos, nec vllum in contrarium prætextum, aut colorem, ad excuſandas excuſationes in peccatis admiſſuros, omnes dignoſcant, & recordentur. Pſalm. 140. v. 4.

5. Memores quoque obedientiæ, reuerentiæ, & ſubmiſſionis, quam ergà Sanctam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum optimam Matrem, & tutiſſimam Magiſtram meritò debemus, has eaſdem Conſtitutiones Noſtras Sanctiſſimo Domini Noſtri Saluatoris Ieſu Chriſti in Terra Vicario humiliter ſubijcimus, vt Sedis Apoſtolicæ auctoritate immutentur, corrigantur, emendentur, aut, ſi dignabitur, fulciantur.

Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 3. de Baptiſm. Itē ſeſſ. 14. c. 3. de Extr. vnct. ſeſſ. 22. c. 8. de Sacrif. Miſſ. ſeſſ. 25. decreto de Delectu ciborum.

6. Et quia Conſtitutionum harum executionē à Vicarij noſtri Generalis auctoritate, ac diligentia, omnium præcipuè pendere experimur, eius conſcientiam grauitèr onerando, præcipimus, vt omni humano affectu, quocunque terreno timore, & deteſtanda perſonarum quarumcunq; acceptione poſtpoſitis, Noſtra in omnibus auctoritate, non ſecùs,

2. Paralip. 19. v. 7. Eccleſ. 20. v. 24. Roman. 2. v. 11.

Epheſ.6. v.9. Coloſſenſ. 3. v.25. Iacob.2. v.1. 1.Petri1.v.17. atque ſi Nos ipſi præſentes eſſemus, imperterritus vtatur. Cui ſanè ſpeciali huic Noſtro mandato, niſi obſequioſiſſimè obediat, & Conſtitutionum harum, Sacrorum Canonum, Pontificiorum decretorum, & iuſſionum Noſtrarum ſeuerum ſe Exactorem, & vindicem præſtiterit, præter Diuinam vltionem, quam, ob animas, eius incuria, aut noxio metu deperdendas (quod tamen futurum, perſpecta Nobis eius probitas, & regiminis experientia non perſuadent) in tremendo Iudicij die Dominus ſumet; Ezech.tot.c.33. & 34. Noſtram quoque indignationem ſe prouocaturum, tum ipſe nouerit, tum Noſtræ Diœceſeos fideles, & maximè Eccleſiaſtici, ne eius mandatis vllatenus reluctentur, id ipſum intelligant.

7. At verò, ne quiſpiam eidem Vicario, in officij ſui munere exequendo, contradicere, obſtare, aut eius diligentiam fruſtrare, atque eludere præſumat, ſeculari Noſtro brachio, quoties illud inuocauerit, ſtrictiſſimo iuſſu committimus, & iniungimus, vt, nulla interpoſita mora, prætextu, aut excuſatione neceſſarium auxilium feſtinanter præſtiturum adcurrat.

8. Vicarios quoque Foraneos, Parochos, Confeſſarioſque omnes enixè comprecamur, hortamur, & commonefacimus, vt pro eo, quem in Saluatorem Noſtrum Ieſu Chriſtum gerunt, affectu, pro ſalutis animarum, quo flagrant zelo, & pro ſui, quo tenentur, muneris Fideli adimplemento, nullam operam, nullam induſtriam, nullumque ſtudium

præ-

Digitized by Google

prætermittant, nullum orandi Deum, cuius eſt ædificare domum, & cuſtodire Ciuitatem, finem faciant, quò gregis ipſemet ſui incolumitati conſultum, & proſpectum velle dignatus, eam mentem cunctis inſpiret, vt Conſtitutiones has Noſtras, ad maiorem ſui gloriam, ad fidelium curę Noſtrę concreditorum ſpiritualem vtilitatem, & ad Eccleſiaſticam in Clero diſciplinam ſtabiliendam, confectas, prompti, & alacres complectantur, ac iugi cuſtodia obſeruent, Noſque demum cum illis, per mandatorum ſuorum ſemitas decurrentes, ad æternam, quò tendimus, beatitudinem peruenire, proſperè valeamus.

Pſalm. 126. v. 1. & 2.

Pſalm. 18. v. 35. & 32.

OF-

Digitized by Google

OFFICIALES SYNODI.

Promotor Oppidanus M. R. D. Cæſar Panimollis I.V. D. Vicarius Generalis Eminentiſſimi Epiſcopi Præneſtini, Clericus Beneficiatus Caſtri Cameratæ.

Promotor Foraneus R. Dominicus Antonius Petri Antonij Philoſ. & Sac. Theol. Doctor, Canonicus Collegiatæ Trebarum.

Secretarius R. D. Alexander Iordanus Phil. & Sac. Theol. ac I.V. D. Rector Collegiatæ Eccleſiæ S. Andreæ Sublacenſis, Præpoſitus nuncupatus.

Coadiutor Secretarij R.Paulus Ferrarij I.V.Peritus, Canonicus Collegiatæ Eccleſiæ S. Andreæ Sublacenſis.

Iudices Querelarum, & Excuſationum.

M.R.D. Petrus Antonius Preti Phil. ac Sac. Theol. & I. V. D. Canonicus Collegiatæ Sublacenſis, Protonotarius Apoſtolicus, ac Eminentiſſimi Abbatis Vicarius Generalis.

Illuſtriſſimus D. Ioannes Franciſcus Albanus Phil. & Sac.Theol. ac I.V.D. Canonicus Inſignis Collegiatæ S. Laurentij in Damaſo de Vrbe.

Perilluſtris & M.R. D. Franciſcus Abbas Chryſolinus Philoſ. ac Sac.Theol. ac I.V. D.

D. Coſmus Carbonus I.V. D. & Auditor Eminentiſſimi Abbatis.

D. Thomas Forbeſius Philoſ. & Sac. Theol. ac I.V. Peritus, Eminentiſſimi Abbatis Familiaris.

D. Marcus Attilius Saulinus I.V. D.

D. Carolus Thomaſſettus I.V. D.

Præfecti Diſciplinæ Synodalis, & Scrutinij.

R. Franciſcus Antonius de Lelijs I.V.D. Canonicus Collegiatæ Trebarum, Vicarius Foraneus.

R. Franciſcus Honeſtus Canonicus Collegiatæ Trebarum.

R. Petrus Riccardus Archipresbyter Ciuitellæ, Vicarius Foraneus.

Ven. Archipresbyter Cerreti Stephanus Cecius.

R. Innocentius Vittozius Curatus Ierani, Vicarius Foraneus.

Presbyter D. Iulius Natalinus Eminentiſſimi Abbatis Confeſſarius.

Presbyter D. Guglielmus Leſleus Phil. & S. Theol. Peritus, Eminentiſſimi Abbatis Familiaris.

Presbyter D. Antonius Drago Congregationis Miſſionis.

Presbyter Ioſephus Catanus.

Presbyter Benedictus Blanconus.

Præ-

Præfectus Hoſpitiorum.

R. Bartholomæus Germanus Canonicus Collegiatæ Trebarum.

Coadiutores.

Ven. Archipresbyter Hercules Todinus Rector S. Mariæ Sublacenſis.
Presbyter Ioannes Camillus Ferrarij.
Presbyter Ioſephus Catanus.
Presbyter Ioannes Vetromilis Phil. & Sac. Theol. Peritus, ac I.V.D.

Confeſſarij Cleri.

Pater D. Alphonſus à Nola Sac. Theol. Profeſſor, Prior Caſſinenſis.
D. Caſſiodorus à Mantua Sac. Theol. Profeſſor, Decanus Caſſinenſis, & Confeſſarius Monialiū.
D. Hyacinthus à Præneſte Sac. Theol. Profeſſor, Decanus Caſſinenſis, & Rector Sacri Specus.
Frater Ioſephus à Caſtro Candulpho Guardianus Reformatorum S. Franciſci Sublacenſis.
Frater Ioannes ab Acuto Vicarius Reformatorum S. Franciſci Sublacenſis.
Presbyter D. Iulius Natalinus Confeſſarius Eminentiſſimi Abbatis.

Presbyter D. Antonius Drago Congregationis Miſſionis, cum facultate Noſtra abſoluendi à Caſibus etiam Nobis reſeruatis durante hac Synodo, vſque ad Dominicam ſequentem Menſis huius, pro Clero in Confeſſione audiendo tantùm, vt quiſque redeat ad propria benè purgatus, & Deo magis coniunctus, ad vtilitatem quoque Populorum Noſtræ Diœceſis.

Procuratores Cleri.

Ven. Presbyter Petrus Paulus Pedicoſta Curatus Roiatis.

Ven. Presbyter Franciſcus Nattinus Curatus Ciuitellæ; Qui ad Nos deferant quæcunque Clerus exoptat.

Oeconomus pro exigendo Cathedratico, quod Eminentiſſimus Abbas benignè condonauit.

D. Marcus Attilius Saulinus Eminentiſſimi Abbatis Depoſitarius.

Magiſtri Cæremoniarum, quibus omnes obediant.

R. Angelus Thaira Sacrorum Canonum Peritus, Canonicus Collegiatæ Sublacenſis.

R. Ioan-

R. Ioannes Antonius Battaglinus Sacrorum Canonum Peritus, Clericus Beneficiatus Sacroſanctæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum.

Presbyter Bonauentura Laureti Phil. & Sac. Theol. Doctor, Clericus Beneficiatus Sacroſanctæ Baſilicę Principis Apoſtolorum, Eminentiſſimi Abbatis Caudatarius.

Coadiutor Presbyter Franciſcus Riccius Beneficiatus S. Theodori Trebarum.

Oſtiarij Synodi, quibus item pareant omnes in eorum officio.

D. Ioannes Cecius Secretarius Eminentiſsimi Abbatis.

D. Carolus Thomaſſettus I.V.D.

D. Nicolaus Saulinus I.V.D.

D. Ioſephus Caninus Eminentiſſimi Abbatis Supraintendens.

D. Marius Caninus Eminentiſſimi Abbatis Familiaris.

D. Ioſephus Lucidus.

Notarij.

Petrus Verzettus I.V.D.

Ioannes Dominicus de Ianuenſibus.

Iudices Synodales.

M.R.D. Petrus Antonius Preti Phil. & Sac. Theol. ac I. V. D. Canonicus Collegiatæ Sublacenſis, Protonotarius Apoſtolicus, & Eminentiſſimi Abbatis Vicarius Generalis.

Illuſtriſſimus D. Antonius Simon Abbas Balleonus Canonicus Sacroſanctæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Beneficiatus S. Mariæ Montis Præclari Abbatiæ Sublacenſis.

Perilluſtris & M. R. D. Chriſtophorus Blancus Abbas S. Theodori, & Canonicus Trebarum.

M. R. D. Cæſar Panimollis I. V. D. Vicarius Generalis Eminentiſſimi Epiſcopi Præneſtini, & Clericus Beneficiatus S. Ægidij Cameratæ.

R. D. Alexander Iordanus Philoſ. & Sac. Theol. ac I.V.D. Rector Collegiatæ S. Andreæ Sublacenſis, Præpoſitus nuncupatus.

Reu. Carolus Cecconius Rector Collegiatę S. Marię Trebarum, Archipresbyter nuncupa-tus.

Reu. Alexander Palladinus Rector S. Mariæ Ceruariæ, Archipresbyter nuncupatus, Vicarius Foraneus.

Reu. Marcus Orlandus Archipresbyter Aphilarum, Vicarius Foraneus.

Reu. Ioannes Baptiſta Delphinus Archipresbyter Arcis Canterani, Vicarius Foraneus.

Ven. Archipresbyter Arcis Sancti Stephani Marcus Felix.

Exa-

Digitized by Google

Examinatores Synodales.

M.R.D. Petrus Antonius Preti Phil. & Sac. Theol. ac I. V. D. Canonicus Sublacenſis, Protonotarius Apoſtolicus, & Eminentiſſimi Abbatis Vicarius Generalis.

R. D. Alexander Iordanus Phil. & S. Theol. ac I.V. D. Rector Collegiatæ S. Andreæ Sublacenſis, Præpoſitus nuncupatus.

Reu. Paulus Ferrarij I.V. Peritus, Canonicus Sublacenſis.

Reu. Angelus Thaira Sacrorum Canonum Peritus, Canonicus Sublacenſis.

Ven. Archipresbyter S. Marię Sublacenſis Hercules Todinus.

Reu. Carolus Cecconius Rector Collegiatæ S. Marię Trebarum, Archipresbyter nuncupatus.

Reu. Bartholomæus Germanus Canonicus Collegiatæ Trebarum.

Reu. Franciſcus Honeſtus Canonicus Collegiatæ Trebarum.

Reu. Dominicus Antonius Petrantonij Phil. & Sac. Theol. ac I.V.D. Canonicus Collegiatæ Trebarũ.

Reu. Franciſcus Antonius de Lelijs I.V. D. Canonicus Trebarum, & Vicarius Foraneus.

Reu. Alexander Palladinus Rector S. Mariæ Ceruariæ, Archipresbyter nuncupatus, Vicarius Foraneus.

Reu.

Reu. Petrus Riccardus Archipreſbyter Ciuitellæ, Vicarius Foraneus.

Reu. Marcus Orlandi Archipreſbyter Aphilarum, Vicarius Foraneus.

Reu. Ioannes Baptiſta Delphinus, Archipreſbyter Arcis Canterani, Vicarius Foraneus.

Ven. Archipreſbyter S. Stephani Marcus Felix.

Ven. Preſbyter Petrus Paulus Pedicoſta Curatus Roiatis.

Preſbyter Placidus Cellettus.

Preſbyter Ioſephus Mambrilla.

Preſbyter Ioannes Vetromilis Phil. & Sac. Theol. Peritus, ac I.V. D.

Adduntur.

Illuſtriſsimus Dominus Ioannes Frãciſcus Albanus Phil. & Sac.Theol. ac I.V.D. Inſignis Collegiatę S. Laurentij in Damaſo de Vrbe Canonicus.

Preſbyter D. Iulius Natalinus Eminentiſſimi Abbatis Confeſſarius.

Preſbyter D. Guglielmus Leſleus Philoſ. & Sac. Theol. Peritus, Eminentiſſimi Abbatis Familiaris.

D. Coſinus Carbonus I.V.D., Eminentiſſimi Abbatis Auditor.

D. Thomas Forbeſius Phil. & Sac. Theol. ac I.V. Peritus, Eminentiſſimi Abbatis Familiaris.

Ex

Ex Regularibus.

M.R.P. D. Andreas à Neapoli Phil. & Sac. Theol. Doctor, Abbas Caſſinenſis.

P. D. Alphonſus à Nola Sac. Theologię Profeſſor, Prior Caſſinenſis.

D. Franciſcus de Paulis ab Vrbe Sac. Theol. Profeſſor, Decanus Caſſinenſis.

P. Andreas Gerardus Societatis Ieſu Philoſ. & Sac. Theol. Profeſſor.

Fr. Ioannes ab Acuto Vicarius S. Franciſci Reformatorum Sublaci.

Fr. Alexander à Graue Dona Lector Reformatorum S. Franciſci Sublaci.

Fr. Claudius à Monte Sancti Ioannis Guardianus Capuccinorum in Vrbe.

Fr. Benedictus à Tuſculo Lector in Conuentu Capuccinorum Sublaci.

Teſtes Synodales.

Reu. Paulus Ferrarij I.V. Peritus, Canonicus Sublacenſis.

Reu. Angelus Thaira Sacrorum Canonum Peritus, Canonicus Sublacenſis, pro Oppido Sublacenſi.

Reu. Franciſcus Antonius de Lelijs I. V. D. Canonicus Collegiatæ Trebarum, pro Trebis, & Iennis.

Digitized by Google

Reu. Alexander Palladinus Rector Ceruariæ; Archipresbyter nuncupatus, pro Ceruaria, & Camerata.

Reu. Marcus Orlandus Archipresbyter Aphilarum, pro Aphilis, & Pontio.

Reu. Innocentius Vittozzius Curatus Ierani, pro Ierano, & Cerreto.

Reu. Ioannes Baptiſta Delphinus Archipresbyter Arcis Canterani, pro Arce Canterani, & Arce Medij.

Reu. Bartholomæus Antoniettus Archipresbyter Auguſtę, pro Auguſta, & Marano.

Ven. Archipresbyter Arcis S. Stephani Marcus Felix, pro Arce S. Stephani, & Canterani.

Ven. Franciſcus Nattinus Curatus Ciuitellæ, pro Ciuitella, & Roiate.

Punctatores.

Punctator Collegiatæ Eccleſiæ S. Andreæ Sublacenſis Camerarius pro tempore, & ad præſens Reu. Ioannes Petrus Antonius Abrugia Canonicus.

In Collegiata S. Mariæ Trebarum Camerarius pro tempore, & ad præſens Reu. Franciſcus Honeſtus Canonicus.

OF-

OFFICIALES CLERI.

Præfecti Muſicæ.

Reu. Angelus Thaira Sacrorum Canonum Peritus, Canonicus in Collegiata Sublacenſi.

Reu. Franciſcus Antonius de Lelijs I.V. D. Canonicus in Collegiata Trebarum.

Syndici, ſeu Procuratores Cleri pro Immunitate, & alijs.

Pro Clero Sublacenſi Reu. D. Alexander Iordanus Phil. & S. Theol. ac I. V. D. Rector Collegiatæ Eccleſiæ S. Andreæ Sublacenſis, Præpoſitus nuncupatus.

Presbyter Simon Valentinus.

Pro Clero Diœceſano Reu. Lucidus Corizza Canonicus Ceruariæ.

Ven. Archipresbyter Iennarum Dominicus de Felicibus.

Ven. Archipresbyter Ierani Eleutheriuis Vernitia.

Ven. Presbyter Petrus Paulus Pedicoſta Curatus Roiatis.

Presbyter Franciſcus Riccius Beneficiatus Sancti Theodori.

Digitized by Google

Præfecti, & Adminiſtratores Seminarij erigendi.

M.R.D. Petrus Antonius Preti Phil. ac Sac. Theol. & I. V. D. Canonicus Collegiatæ Sublacenſis, Protonotarius Apoſtolicus, ac Eminentiſſimi Abbatis Vicarius Generalis.

R. D. Alexander Iordanus Philoſ. & Sac. Theol. ac I.V. D. Rector Collegiatæ Eccleſiæ S. Andreæ Sublacenſis, Præpoſitus nuncupatus.

R. Paulus Ferrarij I. V. Peritus, Canonicus Sublacenſis.

R. Ioannes Petrus Antonius Abrugia Canonicus Sublacenſis.

D. Marcus Attilius Saulinus I.V.D.

D. Carolus Thomaſſettus I.V.D.

D. Ioſephus Caninus.

D. Petrus Galli.

Præfecti Diſciplinæ Cleri.

In Oppido Sublacenſi.

R. Angelus Thaira pro Clero Collegiatæ.

Presbyter Ioſephus Catanus pro reliquo Clero Sublacenſi.

In Diœceſi verò

R. Franciſcus Antonius de Lelijs I.V.D. Canonicus Collegiatæ Trebarum, qui habet Trebas, & Iennas.

Reu.

Digitized by Google

Reu. Alexander Palladinus Rector S. Mariæ Ceruariæ, Archipresbyter nuncupatus, qui habet Ceruariam, & Cameratam.

Reu. Bernardinus Antonellus Archipresbyter Roiatis, qui habet Roiatem.

Reu. Petrus Riccardus Archipresbyter Ciuitellæ, qui habet Ciuitellam, & Arcem S. Stephani.

Reu. Archipresbyter Aphilarum Marcus Orlandus, qui habet Aphilas.

Reu. Innocentius Vittozius Curatus Ierani, qui habet Ieranum, & Cerretum.

Reu. Sanctes Lupi Curatus Pontiæ, qui habet Pontiam.

Reu. Ioannes Baptiſta Delphinus Archipresbyter Arcis Canterani, qui habet Arcem Canterani, Canteranum, & Arcem Mediam.

Reu. Bartholomæus Antoniettus Archipresbyter Auguſtæ, qui habet Auguſtam, & Maranum.

Omnes Vicarij Foranei, quos tales in hac præſenti Noſtra Diœceſana Synodo conſtituimus.

Priores Doctrinæ Chriſtianæ tam pro Maribus, quàm pro Mulieribus.

Ioannes Maria Rocchus.
Ioannes Petrus Iacominus.
Floredana Sancti Angeli.
Cinthia Lepere.

Con-

Digitized by Google

Confeſſarij ſpeciales Clericorum Ordinum Minorum.

In Oppido Sublaci.

Reu. Paulus Ferrarij I.V. Peritus, Canonicus Collegiatæ S. Andreæ Sublacenſis.

In Collegiata Trebarum.

Reu. Franciſcus Honeſtus Canonicus.

Præfecti Fabricæ Eccleſiarum, vulgò Sanctesij dicti in ſingulis Collegiatis, & Parochialibus.

Illi, qui Sanctesij vulgò apud Nos nuncupantur, conſtituuntur Præfecti Fabricæ Eccleſiarum in ſingulis Eccleſijs, tam Collegiatis, quàm Parochialibus, tam Oppidi, quàm Diœceſis Sublacenſis, quorum munus ſit, tertio quoque menſe parietes, tecta, vniuerſamque earumdem ſtructuram diligenter perluſtrare, quæque reparatione indigent, procurare, & reparata ſarta tecta conſeruare.

Aduocatus Pauperum.

Reu. Franciſcus Antonius de Lelijs I. V. D. Canonicus Trebarum.

Pro-

Procurator Pauperum.

Reu. Carolus de Marijs I.V.D.

Præfectus ſpiritualis Carceratorum.

Ven. Archipresbyter pro tempore S. Marię de Valle Sublacenſis, vti Rector intra cuius limites Carceres nunc ſiti reperiuntur.

Præfectus Chori.

In Collegiata S. Andreæ Sublacenſi.

Reũ. Paulus Ferrarij I.V. Peritus Canonicus.

In Collegiata Trebarum.

Rẽu. Ioannes Allegrinus Canonicus.

Recognitor Onerum Miſſarum in tota Diœceſi.

M.R.D. Petrus Antonius Preti Phil. & Sac. Theol. ac I. V. D. Canonicus Collegiatæ Sublacenſis, Protonotarius Apoſtolicus, & Eminentiſſimi Abbatis Vicarius Generalis.

Præfecti Communium Cleri, tam in Collegiata Sublacenſi, quàm in Collegiata Trebarum.

RR. Canonici Camerarij pro tempore.

Diſpenſator Eleemoſynarum, quæ in Concionibus fiunt.

R. D. Præpoſitus, & Rector Collegiatæ Eccleſiæ S. Andreæ Sublacenſis pro tempore.

Reuiſores Adminiſtrationum Locorum Piorum.

M.R.D. Vicarius Generalis ex officio ſuo, tam in Oppido Sublaci, quàm in vniuerſa Diœceſi.

Vicarij verò Foranei in ſuo quiſque diſtrictu ex cõmiſſione præfati Vicarij Generalis.

Præfecti Confratriarum, quorum partes ſint inuigilare, & inquirere, an omnia ſeruentur ab vnaquaque Sodalitate iuxta Inſtituta ſuæ Erectionis, ſint Archipresbyteri Caſtrorum, in quibus erectæ ſunt Confraternitates, & in locis, vbi non reperiuntur Archipresbyteri, ſit antiquior Parochus.

A C-

ACCLAMATIONES SYNODALES.

Diaconus. Deo Patri miſericordiarum, & Deo totius conſolationis, & gratiæ omnis laus, honor, & gloria in ſæcula ſęculorum.

Chorus ℞. Amen, Amen, Amen.

Diaconus. Beatiſſimo D.N. CLEMENTI Papę X. Sanctæ, & Vniuerſalis Eccleſiæ Pontifici, Chriſtiani nominis in omnes Terrarum partes propagatio, cunctarum gentium obedientia, Pax vera, Diuturna proſperitas.

Chorus ℞. Domine Deus Sanctiſſimum Patrem noſtrum Eccleſiæ tuæ conſerua, mitte illi auxilium de Sancto, vt eo gubernante, gentes omnes illuminentur, & quæ diſperſæ ſunt, in vnum Eccleſiæ tuæ Ouile colligantur.

Diaconus. Animæ Beatiſſimi Pontificis VRBANI VIII. Inſignis huius Abbatiæ Inſtauratoris, ac Reparatoris munificentiſſimi, æternam requiem, ſempiternam felicitatem.

Chorus ℞. Sanctiſſimum Patrem, Miſericors Deus, Sanctiſſimorum Antiſtitum Cœtui aggrega, Cœlitumque conſortio Vi-

gilantiſſimum olim Sacerdotem Maximum adſcribe, vt, te miſerante, perenni retributione perfruatur.

Diaconus. Eminentiſſimo, ac Reuerendiſſimo Domino Cardinali Carolo Barberino Abbati noſtro Commendatario, huius Synodi Præſuli, eiuſque Miniſtris ſalutaris vigilantia, & fœlix exitus.

Chorus ℟. Omnipotens Deus ſuper eundem Abbatem noſtrum Commendatarium benedictionum tuarum dona perpetua multiplica.

Diaconus. Oppido, & Diœceſi noſtræ Inſignis Abbatiæ Sublacenſis tranquillitas, ſalus, & diuinarum gratiarum abundantia.

Chorus ℟. Benedic Domine filios tuos, & eſto in circuitu Populi tui, ex hoc nunc, & vſque in ſæculum.

Diaconus. Benedicamus Domino.

Chorus ℟. Deo gratias, Deo gratias, ſemper dicamus Deo gratias.

Diaconus. Eminentiſſimo Domino Abbati noſtro Commendatario, Paſtori Vigilantiſſimo, Diſciplinæ Eccleſiaſticæ aſſertori perennes gratias.

Chorus ℟. Perennes gratias, incolumem, ſaluumque illum nobis Dominus diutiſſimè cuſtodiat, atque conſeruet.

Diaconus. Decretorum huius Diœceſis obſeruantiam

tiam ſalutarem omnes, qui hic adſumus, vnanimi voto à Deo bonorum omnium largitore humiliter imploremus, intercedente Deipara Virgine Maria Domina noſtra, cum Beatis Apoſtolis Petro, & Paulo, & Beato Patriarcha Benedicto totius noſtræ Abbatiæ Patrono, & omnibus Sanctis.

Chorus ℟. Fiat, fiat. Amen, Amen.



Digitized by Google

ROGITVS NOTARIORVM

SYNODALIVM.

SVpradictæ Conſtitutiones, & Synodalia Decreta, ſæpius in priuatis Congregationibus à Viris doctrina, prudentia, ac pietate præſtantibus ſedulò, & multa cum maturitate diſcuſſa, præſidente Eminentiſſimo, & Reuerendiſſimo Domino D. Carolo Sancti Cæſarei Diacono S. R. E. Cardinale Carolo Barberino Archipresbytero Sacroſanctæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Inſignis Monaſterij Sanctæ Scholaſticæ Abbatię Sublacenſis Abbate, & perpetuo Commendatario, eiuſque Diœceſis, & Iuriſdictionis Ordinario, præſente Vniuerſo Clero dictæ Abbatiæ in Eccleſia Abbatiali S. Scholaſticæ, ſeruatis de more ſeruandis, legitimè cõgregato, alta, & intelligibili voce lecta fuerunt per Admodũ Reu. D. Alexandrum Iordanum Præpoſitum Collegiatæ Eccleſiæ S. Andreæ Sublacenſis, præſentis Synodi Secretarium, & per Reu. D. Paulum Ferrarium dictæ Collegiatæ Canonicum, ac eiuſdem Secretarij Coadiutorem Anno à Sanctiſſima Natiuitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quarto, Indictione duodecima, diebus verò tertia, quarta,

quin-

quinta, & ſexta Iunij, quatuor ſeſſionibus continuatis etiam à prandio, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri D. Clementis Diuina Prouidentia Papę Decimi Anno quinto, multis ibidem præſentibus, & audientibus, & in ſpecie DD. Chriſtophoro Blanco Ariminenſi Abbate S. Theodori Trebarum, Ioanne Franciſco Albano Vrbinatenſi Canonico Inſignis Collegiatæ Eccleſiæ S. Laurentij in Damaſo de Vrbe, & Franciſco Abbate Chryſolino Romano Teſtibus ad pręmiſſa omnia habitis, vocatis ſpecialiter, atque rogatis.

Ita eſt Ego Io. Dominicus de Ianuenſibus Sublacenſis publicus, & Apoſtolica auctoritate Notarius, & ad præſens Curiæ Abbatialis Eccleſiaſticæ Cãcellarius rogatus in ſolidum cũ infraſcripto D. Petro Verzetto Connotario &c.

Locus ✠ Signi.

Petrus Verzettus de Terra Serronis Præneſtinæ Diœceſis Incola Sublacenſis publicus Apoſtolica auctoritate Notarius cum ſupradicto D. Connotario rogatus &c.

Locus ✠ Signi.

Let-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Lettera circolare inſtruttiua à i Parochi dell'Abbadia di Subiaco ſcritta dall' Eminentiſs. Sig. Cardinale Abbate alcuni giorni doppo la terminatione del Sinodo.

Reu. Sig. Arciprete N. N.

DAll'attione Sinodale, come habbiamo ritratto particolare conſolatione per la pietà, e feruore, con che da tutto il Noſtro Clero è ſtata accompagnata; così ci hà la medeſima sõminiſtrato particolar conoſcimento del carico, che continuamente ci preme, per non ſottrarci dall'obligo, che habbiamo, e per corriſpondere al zelo de' noſtri Miniſtri pronti all' eſecutione di quanto loro rimoſtriamo. Di qui è, che per ſupplire quanto può la tenuità noſtra al molto, che da Noi ſi richiede, habbiamo giudicato non poterui eſſere diſcaro il rammentarui alcune coſe principali, nelle quali vi bramiamo ſopra tutto accurati, come ſopra tutto neceſſarie alla ſalute, e voſtra, e delle anime à

voi commeſſe. Siaui dunque ſommamente à cuore il penſiero, che doue non è ſano alimento, non può eſſer vigor di ſalute, anzi che oue quello del tutto manca, è forza che manchi anco la ſteſſa vita, occidendo chi non paſce, & eſſendo à voi precetto Diuino il farlo per non incorrere l'Eterna maleditione con quell'horribile rimprouero di hauere ben paſciuto voi ſteſſi, non curando la fame altrui. Nè per adempire queſt'obligo ſi ricerca da voi altro, che il non ommettere con ſimplicità, sì di cuore, come di lingua l'Inſtruttioni più efficaci a' voſtri Popoli, di ciò, ch'è douuto à Dio vnico Creatore dalle ſue Creature, riconoſcendo le virtù, abominando i vitij, e non ignorando i Miſterij della Santa Fede, e della Redentione humana, il che non può meglio eſeguirſi, quanto vnitamente cauandone, nella forma che il Signore medeſimo vi ſomminiſtrerà, gli ammaeſtramenti da' Vangelij correnti nelle Domeniche, e Feſte principali dell'Anno: Vi raccomandiamo per tanto à non traſcurare di eſeguirlo almeno per hora come organi, ed iſtromenti di ciò, che la pia fatica d'altri hà raccolto à prò di tali iſtruttioni ſopra i medemi Vangelij annali, laſciate da Noi ſcritte à mano fin dall' anno paſſato in tempo della noſtra Viſita appreſſo il noſtro Vicario Generale, d'onde potrete prenderne copia per voſtro vſo. E poiche à queſto ſteſſo ſcopo s'indrizza l'eſercitio quotidiano da Noi preſcrittoui nella medema Viſita da pratticarſi inter Miſſarum ſolemnia, perciò vi

eſor-

Digitized by Google

eſortiamo ſempre più efficacemente di continuare con feruore in eſſo, cōforme habbiamo da ſcruttinij fatti nel Sinodo riconoſciuto, con gran contento noſtro adempirſi, e ciò ſegua con voce diſtinta, poſata, e con proferire lentamente le parole, perche poſſa commodamente ciaſcuno riſpondere, in che conſiſte il principal frutto di queſta ſanta attione, nella quale riſiede il primo miniſtero del voſtro Vffitio, ch'è d'inſtruire le anime à voi ſoggette; perciò non v'intrepidite in eſſo, mà viè più inferuorateui, acciòche il Signore non ſi raffreddi con voi, mà vi accenda ſempre più col calore della ſua ſanta gratia.

L'iſteſſo vi ricordiamo, e v'incarichiamo intorno alla Dottrina Chriſtiana, che s'inſegna doppo il mezzo dì, premendo che v'interuenghino, e con voi cooperino gli altri Sacerdoti, e Chierici, inculcandolo à medemi à nome, e d'ordine Noſtro, ſe vogliono eſſere poi da Noi conſiderati, e giudicati nelle occaſioni, che ſi preſenteranno per i loro auanzamenti, vtili, fruttuoſi, e proportionati cultori della Vigna del Signore, non douendo eſſere loro nè fatigoſo, nè ſtrano ciò, che conuiene eſſentialmente al carattere, & alla profeſſione da eſſi intrapreſa, e ciò, che poi deue eſſere inſeparabile miniſtero de' gradi, à quali in queſta Diioceſi ſaranno col tempo da Dio chiamati.

L'eſſecutione di ciò, che nelle Viſite ſi è preſcritto, ſiaui parimente à cuore, come ve ne verrà aſſidua-

mente rimoſtrata la noſtra premura dal noſtro Vicario Generale per nuoua, ed inculcata commiſſione, che gliene habbiamo ſtrettamente data di preſente prima della noſtra partenza, pregandoui con tutto l'affetto paterno, che oue manca forſi la poſſibilità de' mezzi temporali, creſca in voi almeno quella dell'animo, e del zelo nell'eſercitio de'mezzi ſpirituali, per l'eſatta amminiſtratione de' Santi Sacramenti, nella vigilanza con gl'Infermi, nell' ammaeſtramento verſo gl'ignoranti, e biſognoſi d'inſtruttioni ſalutari, nella carità verſo di quelli, che deuiati dalla via della ſalute, ſi danno in preda à quella della perditione, abbandonando i Santi Sacramenti con diſpreggio del precetto della Chieſa, anco in tempo di Paſqua, baſtando loro d'ingannare, come preſumono, il giuditio eſterno de Sacri Miniſtri, e non conſiderando i miſeri, che quando ciò ben loro riuſciſſe, il che non permette però la Sapienza Eterna, queſta non può eſſere da loro mai ingannata, mà eſſi ſteſſi ſono i deluſi, eccitandoſi contro l'ira Diuina, che non può ſchiuarſi con ſutterfugij Diabolici, come pretendono debba loro riuſcire nel ſottrarſi da caſtighi humani. Per ricondurre queſti tali al Signore, non laſciate fatica veruna intentata, acciòche non periſchino per voſtra, mà per propria loro colpa.

Finalmente moſtrateui ſecondo l'inſegnamento dell'Apoſtolo eſemplare di pietà, d'integrità, e d'opere vere, e ſincere, ne' Santi Sacrificij, negli Vffi-

cij

Digitized by Google

cij Diuini, ed eſercitij diuoti, conſiderando che la Caſa del Signore è la quotidiana voſtra habitatione, e che abbandonata da voi ne' giorni à Dio dedicati, và in conſeguenza che ſi deſerti, e reſti abbandonata anco da Secolari, i quali ſe ſono tenuti à ſantificarli nel coſpetto di Dio con opere di pietà e religione, che ſarà di voi, che ne ſiete il capo, il condottiere, il direttore? Potrà dunque eſſerui lecito il voltar le ſpalle à Dio per applicarui nelſe hore, e tempi deſtinati al ſuo culto à giuochi, diuertimenti, e ripoſo intempeſtiuo? Sia per tanto il voſtro diletto ciò, che è il voſtro debito, ciò, che da voi eſigge il Miniſtero, ch' eſercitate, e l'eſempio, che l' voſtro gregge da voi attende, e queſto all'hor più aſſiduamente, che la ſolennità de' tempi per ſe ſteſſa più efficacemente ve lo ricorda, come nella Quadrageſima, e nelle ſolennità maggiori. Pregoui dunque con ogni feruore à non voler eſſere con noſtro rammarico coſtretti di rendere à Dio forzatamente ciò, che deè eſſere in voi volontario, & à Sua Diuina Maeſtà in tal guiſa più caro, e più gradito.

In vltimo per le viſcere del Signore vi ricerchiamo di ben'inſtruirui col Libretto del Padre Segnari della Compagnia di Gieſù, che vi habbiamo dato nel fine del Sinodo, per la perfetta, e diligente amminiſtratione della Penitenza, acciòche la dannatione degli altri per ignoranza, ò negligenza voſtra cagionata, non tragga ſeco quella di voi medeſimi: e poiche la Bontà Diuina per ſua infinita Clemenza

hà

hà dato compimento all'attione Sinodale, con noſtro, e voſtro contento, non vi ſia graue, riconoſcendone dall'vnica ſua miſericordioſa aſſiſtenza, il ſucceſſo felice, rendergliene con Noi le douute gratie, aggiungendo nella Meſſa la Domenica prima doppo la riceuuta della preſente la Colletta pro gratiarum actione; Fratanto che attenderemo à publicare il Sinodo promulgato, habbiamo ſtimato Noſtro preciſo obligo il laſciarui queſti ricordi, ſuperflui forſi alla voſtra diligenza, dalla noſtra debole vigilanza però douuti in adempimento del ricordo, che ci dà S. Paolo di eſſerui anche importunamente moleſti in tutto ciò che ridonderà poi in voſtro premio, e gloria, col eccitarui al corſo, benche feruidamente corriate, per mezzo delle preghiere, delle inſinuationi, delle ammonitioni, e delle riprenſioni taluolta, biſognando, con quella tolleranza, e dottrina, che piace alla miſericordia di Dio somminiſtrare alla fiacchezza noſtra per iſtradarci vnitamente alla Celeſte Geruſalemme, doue giunti godiamo quelle benedittioni ſempiterne, che dalla Diuina Maeſtà Sua con tutto l'affetto vi preghiamo.

Dalla Rocca di Subiaco li 19. Giugno 1674.

Il Card. Carlo Barberini Abbate Commend.

EDICTVM

DE PVBLICATIONE SYNODI.

Carolus S. Cæſarij Diaconus S.R.E. Cardinalis Carolus Barberinus, Sacroſanctæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum Archipresbyter, ac Inſignis Monaſterij S.Scholaſticæ Abbatiæ Sublacenſis Abbas, & perpetuus Commendatarius, eiuſdemque Diœceſeos, ac iuriſdictionis Ordinarius.

HOC præſenti authentico tranſumpto ad valuas Eccleſię noſtrę Abbatialis S. Scholaſticę, & inſignis Collegiatæ S. Andreæ Oppidi Sublaci, nec non aliarum ſingularum Eccleſiarum Parochialium vniuerſæ noſtræ Diœceſeos affixo publicantur omnia, & ſingula acta, & decreta facta in Synodo diœceſana per Nos, ſeruatis ſeruandis, habita Diebus tertio, quarto, quinto, & ſexto menſis Iunij proxime præteriti, vt ea omnes, ad quos ſpectat, ſedulo, accuratèq; ſtudeant obſeruare. Volumus autem, quòd infra menſem omnes prædictos afficiant, & adſtringant perinde, ac ſi perſonaliter eis exhibita, & intimata fuiſſent. Ideò &c. ne de prędictis ignorantiam &c. aliàs &c. Datum die 21. Martij feſto glorioſi Patriarchæ S. Benedicti, Abbatiæ noſtræ Sublacenſis Patroni, Anno Sanctiſſimi Iubilei 1675.

Cardinalis Carolus Barberinus Abbas Commendatarius, & Ordinarius.

Loco ✠ Sigilli

Io: Dominicus de Ianuenſibus Notarius, & Cancellarius.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BREVIS ENARRATIO
Spiritualis Status Abbatiæ Sublacenſis præſentis Anni 1674.

QVO DIOECESANA SYNODVS Celebrata fuit

Ab Eminentiſſimo, & Reuerendiſſimo D. D.

CARDINALE CAROLO BARBERINO
ABBATE COMMENDATARIO.

INſignis Abbatia Sublacenſis, ſeu Sublaquenſis, Nullius Diœceſis ſuo ſatis nomine celeberrima, quippe quam magnus in primis Monachorum Parens, atque Occidentalis decus Eccleſiæ Benedictus, nec non præclariores, qui hinc prodiere, ipſius Diſcipuli ſplendiſſima Catholicæ Eccleſiæ lumina, mirificè illuſtrarunt; Ibi ſiquidem Sanctiſſimus ille Patriarcha acerba adhuc adoleſcentiæ ætate, vt Magnus Gregorius in Dialogis refert, *relicta domo, rebuſque Patris, ſoli Deo vacare deſiderans, ſanctæ conuerſationis habitum quæ-* Gregor. Dialog lib.2.c.1.

ſiuit , atque in altiſſimo ſpecu iuxtà Simbruinos montes ſic per trienium delituit, vt vnus id ſciret Romanus Monachus, quo ad vitæ neceſſitatem Minrſtro vtebatur: Inde verò Dei reuelatione notior factus, ac inſignium miraculorum fama vniuerſæ regioni conſpicuus, ſublimioris Monaſtici inſtituti prima ibidem fœliciter iecit fundamenta: cùmque ad ſanctioris vitæ ęmulationem ſuo exemplo quàmplurimos traduxiſſet, duodecim in agro Sublacenſi à ſe erecta Monaſteria Sanctiſſimis Viris repleuit. Plures tunc etiam Romanæ Vrbis Proceres, Benedicti audito nomine *ſuos ei Filios in omnipotentis Dei cultu enutriendos conſignarunt: atque hos inter bonæ ſpei ſuas ſoboles Equitius, ſiue Eutychius Maurum, Tertullus verò Patricius Romanus Placidum tradidere*. Idem hic Tertullus ampliſſimo patrimonio, ac nobili in primis ditione Sublacenſem Abbatiam ditauit, quam poſtea ipſemet Sanctus Gregorius Magnus opulentis auxit donarijs: atque his ſubinde, ſiue ex Romanorum Pontificum munificentia, ſiue ex largitione Regum, vel Principum, ſiue demum ex pijs Fidelium oblationibus maxima opum, ac iurium acceſſere incrementa, adeò vt Abbatis Sublacenſis iuriſdictio quamplurium Oppidorum, Arcium, Caſtrorum, nec non etiam Ciuitatum Principatu conſpicua, ab agro Tuſculano, vſque ad Mare Mediteraneum protenderetur. Accedunt vetuſtiſſima, eademque inſignia, ac planè innumera Summorum Pontificum,

Idem Gregor. vbi ſupra c.3.

Im-

Digitized by Google

Imperatorum, ac Regum Abbati Sublacenſi conceſſa priuilegia, ſiue temporalem, ſiue ſpiritualem eiuſdem poteſtatem reſpicientia, quæ in Archiuio Sacri Monaſterij S. Scholaſticæ aſſeruantur, & eorum nonulla impreſſa leguntur in Bullario Caſſinenſi. Hęc Abbatialis iuriſdictio per octingentos penè annos, nempe à S. Gregorio Magno, vſque ad Vrbanum VI., primò reſedit in Abbatibus, qui per Conuentum Sublacenſem de numero Monachorum eligebantur: Deinde idem Vrbanus VI. Conuentum hoc iure electionis priuauit, & Abbates manuales ad Sedis Apoſtolicæ beneplacitum amouibiles inſtituit, qui tamen clauſtrales erant. Poſtremò ſub Calliſto III. hæc eadem iuriſdictio plenè tranſijt in Abbates Commendatarios perpetuos, qui ab eodem Calliſto III. vſque in præſens ſucceſſiuè continuarunt. Abbas itaque Commendatarius plenam modò exercet temporalis Principis auctoritatem in inſigni Oppido Sublaci, atque in alijs ſexdecim non ignobilibus, imò & illuſtribus Oppidis circumquàque adiacentibus, quæ per nobilem virum Gubernatorem laicum in eodem Oppido Sublaci reſidentem regit, inferioribus etiam iudicibus pro primis inſtantijs in vnoquoque Oppido conſtitutis. In his pariter omnibus abſolutiſſimam habet, ac quaſi Epiſcopalem ſpiritualis gladij poteſtatem, antiquitus quidem à finitimis Epiſcopis Præneſtino, Tyburtino, atque Anagnino controuerſam, nunc verò ex ipſorum Epiſcoporum

ceſſione à ſan. mem. VRBANO VIII. Pont. Max. pleniſſimè roborata, penitùs inconcuſſam, ac firmiſſimè ſtabilitam.

Breuiter modò ſpiritualem hunc ſolummodò Abbatiæ ſtatum ex inſtituto referemus, quem ſequentia componunt.

1. Baſilica Cathedralis inſignis Monaſterij Sanctæ Scholaſticæ extra mœnia Sublaci, in qua Abbatialis ſedes collocatur, humiliùs olim conſtructa vnà cum Monaſterio contiguo ab ipſomet Sancto Benedicto ſub Inuocatione Sanctorum Coſmæ, & Damiani: magnificentiùs deinde aucta à Sancto Honorato eiuſdem Sancti Patris Benedicti Diſcipulo, & poſt illum Abbate Sublacenſe, ipſique Sancto Benedicto, & Sanctæ Scholaſticæ eius Sorori, veteri mutato nomine, nuncupata. Eccleſia hæc, quam ipſemet S. Gregorius Magnus fertur conſecraſſe, mole, & cultu illuſtris, vetuſtæ quidem, ſed in primis nobilis ſtructuræ, vndecim Altaribus congruè diſpoſitis, eleganti Choro, pretioſaque ſupellectili inſignitur. Peramplo, ac verè magnificentiſſimo Monaſterio auguſtior, quod vniuerſæ Benedictinæ Familię primum eſt, & antiquiſſimum; Degunt in eo Monachi Congre-

gregationis Caſſinenſis, qui in eadem Ecclesia Abbatiali diuina peragunt. Plures ibidem, ac ſanè inſignes Sanctorum Reliquiæ aſſeruantur. Præ cæteris autem in hac Baſilica requieſcunt corpora Ss. Anatoliæ, & Audacis Martyrum, nec non S. Chelidoniæ Virginis Ordinis Caſſinenſis, Patronæ, & Protectricis Oppidi Sublaci, vbi de ea fit officium ſub ritu duplici cum lectionibus proprijs nuper approbatis à Sac. Rit. Congregatione ad preces Eminentiſſimi Abbatis Commendatarij.

2. Non longè hinc diſtat in aſperiori iugo Sanctiſſimus Locus, qui ſacer Specus nuncupatur, diuturna Sancti Patris Benedicti pœnitentia conſecratus; Prope quem conſtructum adeſt Monaſterium cum Eccleſia, multiplici Indulgentiarum theſauro, ac inſignibus Sanctorum Reliquijs ditata, confluentium vndequàque Fidelium cultu conſpicua, necnon magnorum Principum, ac plurium etiam Romanorum Pontificum, perſonali luſtratione, celeberrima.

3. Abbatia Secularis S. Theodori Oppidi Trebarum in Diœceſi, quæ antiquitus fuerat Sedes Epiſcopalis, & nunc liberè confertur ab Eminentiſſimo Domino Cardinale Abbate Commendatario. I.

4. Beneficia octo ſimplicia erecta in Eccleſia di-

ctæ Abbatiæ, ac ſine præiudicio poſſeſſorum, qui Beneficiati nuncupantur, recenter vnita in poſtrema Viſitatione Eminentiſſimi Abbatis Canonicatibus Collegiatæ Eccleſiæ S. Mariæ eiuſdem Oppidi Trebarum ad terminos Sac. Conc. Tridentini ſeſſ. 24. de reform. cap. 15. VIII.

5. Collegiatæ tres, & ſimul Parochiales, nimirum vna in Oppido Sublaci cum Præpoſito, penès quem reſidet cura Animarum: aliæ duæ in Diœceſi, ambæ cum Archipresbytero pariter habente curam animarum. III.

6. Canonici in prædictis Collegiatis quindecim, quibus recenter additi fuerunt alij duo, ſed nondum venit caſus factæ erectionis. XV.

7. Lectio Sacræ Scripturæ, ſiue Moralis Theologiæ erecta in Collegiata Sublacenſi iuxta decretum Sac. Conc. Tridentini ſeſſ. 5. de refor. cap. 1. I.

8. Beneficiati duo amouibiles in eadem Collegiata Sublacenſe. II.

9. Præpoſitus cum cura Animarum. I.

10. Archipresbyteri cum cura Animarum ſexdecim. XVI.

11. Curati, ſiue Rectores cũ cura Animarum abſque denominatione Archipresbyterali ſeptem. VII.

12. Parochiæ omnes Seculares per totam Diœceſim

ſim vigintiquatuor. XXIV.

13. Coadiutores Parochorum varijs in locis conſtituti, ſiue ratione perpetui beneficij, quod poſſident, cum hoc onere erecti, ſiue ratione temporanei ſtipendij, quod ad id ex pia inſtitutione percipiunt, in tota Diœceſi ſex. VI.

14. Clericatus perpetui cum onere inſeruiendi Eccleſijs Parochialibus in minoribus officijs, decem & octo. XVIII.

15. Beneficia ſimplicia, ſiue Capellaniæ perpetuæ, quarum collatio liberè ſpectat ad Eminentiſſimum Dominum Cardinalem Abbatem triginta duæ. XXXII.

16. Beneficia omnia, ſiue cum cura, ſiue ſine cura, tam reſidentialia, quàm abſque reſidentia, quæ ex antiquiſſimo iurepatronatus, ac modò ex pleno iure Epiſcopali recentiùs ſtabilito liberè conferuntur ab Eminentiſſimo Abbate, octoginta nouem. LXXXIX.

17. Beneficia ſimplicia, ſiue Capellaniæ perpetuæ, quæ aſſeruntur de Iurepatronatus diuerſorum Laicorum, & in quibus inſtitutio ſpectat ad Eminentiſſimum Dominum Cardinalem Abbatem, vigintinouem. XXIX.

18. Beneficia igitur omnia Abbatiæ Sublacenſis ſunt centum decem, & octo. CXVIII.

19. Miſſę per annum celebrandę ex perpetuis oneribus prædictorum omnium beneficiorum,

ſeptin-

ſeptingentæ, & triginta quatuor ſupra quinquies mille. 5734. Præter alias quamplurimas ex pijs legatis per varias Eccleſias, pias ſodalitates, ſiue etiam legantium hęredes, adimplendis.

20. Capellani amouibiles variarum Eccleſiarum totius Diœceſeos vigintiſeptem. XXVII.

21. Vicariatus Foranei, nouem. IX.

22. Congregationes literariæ Clericorum, quæ pro diſcuſſione Caſuum conſcientiæ per totam Diœceſim in varias Claſſes diſtributam, ſtatis temporibus habentur, decem. X.

23. Ludimagiſtri, qui tum literis, tum pietate, ac bonis moribus pueros erudiunt, per vniuerſam Diœceſim octo, qui omnes coram Eminentiſſimo Abbate Fidei profeſſionem emiſerunt. VIII.

24. Seminarium Clericorum modò erigitur in Oppido Sublaci pro Clero vniuerſæ Diœceſeos, peculiaribus attributis reditibus ad præſcriptum Concil. Tridentini ſeſſ. 23. de reform. cap. 18. I.

25. Concionatores Quadrageſimalis temporis pro vnoquoque Diœceſeos Oppido ab Eminentiſſimo Abbate eliguntur: ijs tamen ſtipendium, ſiue eleemoſyna à Communitatibus Locorum eſt conſtituta. XVII.

26. Monaſteria Regularium per totam Diœceſim ſex. VI.

Mo-

Digitized by Google

27. Monaſterium Monialium Ordinis Sancti Benedicti Regularibus eiuſdem Ordinis ſubiectarum, in Oppido Sublaci. I.

28. Oratoria Confratrum, in quibus celebratur in Oppido Sublaci tria. III.

29. Reliquæ Eccleſiæ ſimplices Seculares abſque cura animarum in tota Diœceſi ſexagintanouem. LXIX.

30. Omnes itaque Eccleſiæ ſiue Seculares, ſiue Regulares, tam cum curà animarum, quàm ſine curà ſunt nonaginta octo. XCVIII. Præter quamplura Oratoria, in quibus non celebratur, quorum pleraque ab approbatis Eremitis incoluntur.

31. Fontes Baptiſmales in Oppido Sublaci duo. In reliqua Diœceſi ſexdecim. XVIII.

32. Reliquiæ Sanctorum, præter inſigniores, quæ in Templo S. Scholaſticæ, atque in Eccleſia Sacri Specus cuſtodiuntur, in omnibus penè Parochialibus Eccleſijs decentiſſimè aſſeruantur. Præ cæteris verò in Collegiata Eccleſia Oppidi Trebarum requieſcit Corpus Sancti Petri Confeſſoris eiuſdem Oppidi Patroni, de quo ibidem ex indulto ſan. mem. Clementis VIII fit officium duplex cum octaua, & lectionibus proprijs breuiſis à clar. mem. Ceſare Cardinali Baronio, eiuſque Officij conceſſio à Sac. Rit. Congregatione nuper extenſa fuit pro vni-

uerſo

uerſo Clero Abbatię Sublacenſis ad preces Eminentiſſimi Abbatis Commendatarij.

33. Pię Sodalitates laicorum canonica auctoritate erectæ in Oppido Sublaci decem. X. In reliqua Diœceſi quadraginta noué. XLIX.

32. Schola Doctrinæ Chriſtianę in Oppido Sublaci. I. Aliarum per Diœceſim erectio in Synodo demandatur.

35. Hoſpitalia Peregrinorum in tota Diœceſi quatuordecim. XIV.

36. Montes Frumentarij duo, nempè alter in Oppido Sublaci, alter in Diœceſi. II.

37. Pia ſubſidia dotalia pro annuatim nubendis pauperibus Virginibus tria, vnum in Oppido Sublaci, alia duo in Diœceſi. III.

38. Congregatio Viſitationis carceratorum, ex pijs, doctiſque Viris vnà cum Officialibus Abbatialis Curiæ in Oppido Sublaci inſtituta, quę etiam ad ſpiritualem hunc Abbatiæ ſtatum pertinere poteſt, cum pro recta non tam temporalis, quàm Eccleſiaſticæ poteſtatis adminiſtratione erecta ſit, ac in pluribus pietatis officijs erga carceratos ſe exerceat. I.

39. Procurator Pauperum in Curia Sublacenſi, qui certà receptà mercede ex largitione moderni Eminentiſſimi Abbatis, pauperum cauſas tum Ciuiles, tum Criminales, tum mixtas in vtroque Foro defendit. I.

Aduo-

Digitized by Google

40. Aduocatus pauperum qui ſimiliter eaſdem pauperum cauſas in vtroque Foro tuetur. I.

41. Officiales Fori Eccleſiaſtici, nimirum Vicarius generalis, Procurator Fiſcalis, Cancellarij, alijque Miniſtri omnes ad inſtar Curiarum Epiſcopalium omninò habentur.

42. Clerici omnes Seculares CXXXII.

43. Regulares LIX.

44. Moniales triginta duæ. XXXII.

45. Familiæ laicorum prout colligitur ex ſtatu animarum, de præſenti Anno à ſingulis Parochis iuxta Romanum Rituale confecto, in Oppido Sublaci 544. Animæ 3000. Communionis 2067.

46. In reliqua Diœceſi Familiæ 2067. Animæ 10600. Communionis 6667.

47. Omnes igitur Familiæ Abbatiæ Sublacenſis 2611. Animæ laicorum 13600. Communionis 8734.

Oppi-

Oppida ſubiecta Abbatiæ Sublacenſi Alphabetico ordine diſpoſita.

Aphilæ.
Arx Canterani.
Arx Media.
Arx Sancti Stephani.
Auguſta.
Camerata.
Canteranum.
Cerbaria.
Cerretum.
Ciuitella.
Ienhæ.
Ieranum.
Maranum.
Pontia.
Roiates.
SVBLACVS.
Trebæ.

INDEX
CHRONOLOGICVS
ABBATVM MONASTERII S. SCHOLASTICÆ SVBLACENSIS.

Anno Dñi	*ABBATES*	Summi Pontifices.
480	Sanctus BENEDICTVS naſcitur Nurſię in Sabinis, aut Vmbria potiùs, patre Euproprio, an Eutropio Iuſtiniani Romani Senatoris filio, matre Claudia Abundantia, vno partu cũ ſorore Scholaſtica, ex Anicia ſtirpe oriundus; Romæ ſecularibus ſtudijs eruditus agnoſcens Philoſophię ſectatores per abrupta vitiorum in æternam mortem corruere, relictis parentibus, & mundi ſtudijs Roma diſceſſit; & cum Cyrilla nutrice Caſtrum Effide peruenit;	
494	Vnde ætatis anno decimoquarto ſolus aufugiens	

§ deſer-

Anno Dñi	Abbates	Summi Pontifices.
	deſertum Sublaceſe petijt, vbi per triennium in horrido ſpecu, Romano Monacho conſcio, & cibum ſubminiſtrante, latuit, & monaſticæ vitæ Tyrociniũ poſuit. Anio è Trebarum montibus ortus, mox inter montes Symbruinos, quaſi συμβριοντες, ob frequentes aquarum decurſus ſic dictos, excurrens, obſtructis à Caio, & Claudio Cæſaribus montium faucibus ſtagnare coactus fuit, vt in lacum collectus extenderetur, ac deinceps è præruptis cataractis rueret præceps, ſed poſt aliquot ſecula diſruptis obicibus priſtinam libertatem adeptus inferiùs alluit Caſtrum, ſeu Oppidum proximum, cui iam olim Sublacum, alijs Sublaqueum, nomen indiderat.	
1. *Abbas* 502	S. Benedictus Electus fuit Abbas à Mo-	

nachis

Anno Dñi	Abbates	Summi Pontifices.
	nachis Caſtri Vicouari anno ætatis 21. ſeu 22.	
509	S. Maurus naſcitur.	
515	S. Placidus naſcitur.	
521	SS. Maurus, & Placidus offeruntur S. Benedicto.	
527	S. Benedictus à Sublaco diſceſſit, eique in regimine ſucceſſit S. Honoratus Abbas Sublacenſis ſecundus. *2. Abbas*	
528	S. Benedictus ædificare cœpit Monaſterium Caſinenſe.	
536	S. Placidus mittitur in Siciliam.	
541	S. Placidus ætatis anno 26. martyrizatur.	
542	Totila Rex Gothorum adit Caſinum.	
	S. Benedictus prophetizat.	
	S. Maurus mittitur in Gallias.	
543	S. Benedictus moritur Caſini anno ætatis 62. ſeu 63. & ibi ſepelitur; ſicut	

§ 2 & S.

Annò Dñi	*Abbates*	Summi Pontifices.
	& S. Scholaſtica eodem anno paulo ante fratrem obijt.	
545	Numeratur annus 19. Regiminis S. Honorati, qui diſcipulus, & ſucceſſor S. Benedicti Monaſterium Sublaceſi maius ampliauit.	
591		*S. Gregorius Papa Romanus electus, qui cum genetrice ſua Syluia Monaſterium Sublacenſe inuiſit, & ei plurima bona contulit.*
598	S. Honoratus ſecundus Abbas ætatis ſuæ anno, vt putatur, 99. è vita deceſſit: vixit in munere annos 71. Subſtituitur illi tertius Abbas Helias ſanctimonia inſignis.	
600	Monaſterium Sublacẽſe à Longobardis Campaniam Romanam vaſtantibus incenſum, & per 100. ampliùs annos deſolatum fuit; Monachi Romam	

confu-

	Anno Dñi	*Abbates.*	Summi Pontifices.
		confugiunt ad S. Eraſmi Monaſterium, ad quod etiam multo poſt, anno ſcilicet 935., Hungaris irruentibus refugerunt, & è quo anno 669. Adeodatus Pontifex prodijt, vt refert Anaſtaſius.	
	604		*S. Gregorius Papa I. & cognomento Magnus moritur. Sederat annos* 13. *menſes* 6. *dies* 10.
	703		*Ioannes Papa VII. Roſſani in Calabria citeriore natus eligitur. Sedit annos* 2. *menſ.* 7.
	704	Iuſſu Ioannis Pontificis reuerſi ſunt Monachi ad Monaſterium Sublacenſe poſt deſolationem annorum 104.	
4. *Abbas*	705	Stephanus Primus Abbas Sublacẽſis quartus: totum Monaſterium, & Eccleſiam reædificauit, illudque rexit annis 48.	

Ste-

	Anno Dñi	*Abbates*	Summi Pontifices.
	751		*Stephanus Papa III. Romanus. Sedit ann. 5.*
5. *Abbas*	753	Sergius Abbas Sublacenſis quintus : rexiſſe fertur annis 74.	
		Leonas Abbas reperitur præfuiſſe Cœnobio S. Clementis, ſub quo titulo primum ex duodecim Monaſterijs extructum reperitur à S. Benedicto, & poſtea terræmotu dirutum fuit. Sed Leonas iſte Sublacenſibus Abbatibus nō adnumeratur.	
6. *Abbas*	827	Petrus Primus Abbas Sublacenſis ſextus : rexit annis 32.	*Gregorius Papa IV. Romanus. Sedit annos* 16.
	840	Monaſterium Sublacēſe iterum deſtruitur à Barbaris, Saracenis ſcilicet, & diripitur.	
	842	Illud poſt biennium reparare aggreditur Gregorius Papa IV.	
	847	Abbatis rogatu Leo Papa inuiſit Cœnobium, atque in Sacri Specus recèns	*Leo Papa IV. Romanus. Sedit annos* 8. *menſes* 3.

ædifi-

	Anno Dñi	*Abbates*	Summi Pontifices.
		ædificato Sacello conſecrauit duo altaria in Dei honorem, vnum ſub titulo S.Benedicti, & S.Scholaſticæ, alterũ ſub titulo S. Silueſtri, ornamenta, & Eccleſiæ paramenta donauit, fundamenta prȩfati Sacelli Abbas ſuprà dictus iecerat.	
	858		*Nicolaus I. Papa Romanus. Sedit annos 9. menſes 6. dies 21.*
7. *Abbas*	859	Leo Primus Abbas Sublacenſis ſeptimus: prȩfuit annis 9.	
8. *Abbas*	868	Azo Abbas Sublacenſis octauus: moderatus eſt annis 17.	
	883		*Martinus, ſeu Marinus Papa Galleſius. Sedit annum* 1. *dies* 20.
	884		*Hadrianus Papa III. Romanus. Sedit annũ* 1. *menſes* 3. *dies* 19.
9. *Abbas*	885	Leo II. Abbas Sublacenſis nonus: gubernauit quinquennio.	*Stephanus Papa V. ſeu potius VI. Romanus. Sedit annis 6.*

Ste-

	Anno Dñi	*Abbates*	Summi Pontifices.
10. *Abbas*	890	Stephanus II. Abbas Sublacenſis decimus: præfuit annis 5.	
11. *Abbas*	895	Maio Abbas vndecimus Sublacenſis: legitur fuiſſe antea Abbas Monaſterij S. Eraſmi Romæ: rexit ſeptennio.	
12. *Abbas*	903	Petrus II. Abbas Sublacenſis duodecimus: per triennium rexit.	
	905		*Benedictus IV. Papa Romanus. Sedit annos 3.*
13. *Abbas*	906	Ioannes Primus Abbas Sublacenſis decimus tertius: præfuit annis 10. mẽſes 6.	
	912		*Ioannes X. Papa Romanus. Sedit annis 16.*
14. *Abbas*	917	Leo III. Abbas Sublacenſis decimus quartus: vixit in Præſulatu annis 38.	
	928		*Leo Papa VI. Romanus. Sedit menſes 6. dies 15.*

Ste-

Anno Dñi	*Abbates*	Summi Pontifices.
929		*Stephanus VIII. Papa Romanus. Sedit annos 2. menſem 1. dies 15.*
931		*Ioannes XI. Papa Romanus. Sedit annos 4. menſes 7.*
935	Hunni, ſiue Hungari in Italiam ab Alberico Marchione Tuſciæ euocati vaſtant, & exurunt Monaſterium Sublacenſe, & remanſit illud 42. annis deſertum.	
936		*Leo Papa VII. Ioanni XI. ſubrogatus. Sedit annos 3. menſ. 6. Monaſterium S. Eraſmi Romæ in regione ſecunda, & Monte Cælio ſitum, coniunctūque titulo S. Stephani dilecti filij ſpiritualis Alberici Principis, & Senatoris interuentu donat Monaſterio Sublacenſi.*

	Anno Dñi	*Abbates*	Summi Pontifices.
		In catalogo manuſcripto Abbatum Sublacenſiũ deſcripti ſunt anno 941., ſeu 944. Leo, tum ſine anni nota Oddo, Silueſter, & anno 963. Ioannes: & fortaſſe præfuerunt Monaſterio S. Eraſmi Romæ, in quo Monachi Sublacenſes profugi tunc degebant ex conceſſione Leonis Papę VII.	
15. *Abbas*	955	Georgius Primus Abbas Sublacenſis decimus quintus dudũ Abbas Monaſterij S. Eraſmi Romæ, & Sedis Apoſtolicę Secundocerius: rexit annis 24.	*Ioannes XII. Papa Romanus. Sedit annos 8. menſes 9.*
	956	Hoc anno Pontifex Ioannes XII. Sacrum Specũ viſitauit.	
	965		*Ioannes XIII. Papa. Sedit annos 6. menſes 11.*

Præ-

Anno Dñi	*Abbates*	Summi Pontifices.
967	Prȩfatus Georgius Abbas cum Ioanne XIII. Pōtifice ad Synodum Rauennatēſem acceſſit.	
972	Circa hoc tempus Petrus III. videtur fuiſſe Abbas.	
975		*Benedictus Papa VII. Romanus. Sedit annis 9.*
978	Benedictus II. Abbas, circa hoc tempus videtur rexiſſe.	
981	Præfatus Benedictus Papa VII. reȩdificauit Monaſterium Sublacēſe, quod viſitauit, & reconſecrauit Eccleſiam ſub titulo SS. Benedicti, & Scholaſticæ die 4. Decembris, & in Altari maiori recondidit medietatem Reliquiarum Sacrarum SS. Audacis, & Anatoliæ Martyrum, reliquam verò partem repoſuit in altari maiore ſacri Specus. Confirmationem Caſtri Sublaci, aliaq; multa Abbati conceſſit.	

2 § 2 Ioan-

	Anno Dñi	*Abbates*	Summi Pontifices.
16. *Abbas*	984	Ioannes II. Abbas decimus ſextus Sublacenſis: vixit triennio in Præſulatu: à Pontifice Leuita Sacri Palatij delectus attributa Diaconia S. Mariæ in Domnica.	
	985		*Ioannes Papa XV. Romanus. Sedit annos 10. menſes 4. dies 12.*
17. *Abbas*	987	Anno tertio Pontificis Ioãnis XV. ſurrexit Georgius II. Abbas decimus ſeptimus Sublacenſis, circa hoc tẽpus venit Gregorius venerabilis Epiſcopus Abbas Sublacenſis intruſus à Bonifacio Antipapa, ſicut & Martinus Epiſcopus prædeceſſor Gregorij.	
18. *Abbas*	989	Petrus IV. Abbas decimus octauus Sublacenſis annis 8. præfuit.	
	996		*Gregorius Papa V. Germanus. Sedit annos 2. menſes 8. dies 6.*
19. *Abbas*	997	Stephanus III. Abbas decimus nonus Sublacenſis: præfuit annis 8.	

Sil-

Digitized by Google

	Anno Dñi	*Abbates*	Summi Pontifices.
	999		*Silueſter II. Papa Auguſtanus. Sedit annos 4. menſes 9.*
	1000	Venit Sublacum Otho Imperator.	
20. *Abbas*	1004	Petrus V. Abbas Sublacēſis vigeſimus, per vincula, excœcationem, & glaucomationem ex phlebotomia inflictam, aliaſq; ærumnas Martyr, & Sanctus ad Dominum tranſiuit, ſepultus in Eccleſia S. Vincentij Monticelli ad annum 1008.	*Ioannes XIX. cognomine Faſanus Papa. Sedit annos 4. menſes 4.*
21. *Abbas*	1005	Demetrius Abbas Sublacenſis vigeſimus primus præfuit triennio, cui vidētur ſucceſſiſſe alius poſt alium Silueſter, & Gregorius vſq; ad annum 1019.	
	1013		*Benedictus VIII. Papa Romanus. Sedit annos 11, dies 12.*
22. *Abbas*	1019	Stephanus IV. Abbas Sublacenſis vigeſimus ſecundus: præfuiſſe videtur annis 20.	

Ioan-

Digitized by Google

	Anno Dñi	*Abbates*	Summi Pontifices.
23. *Abbas*	1039	Ioannes III. Abbas Sublacenſis vigeſimus tertius: rexit annos 6. regularem diſciplinam exercuit: multos libros ad vſũ Monaſterij conſcribi fecit; moribundus ad Eccleſiam deferri voluit, & ad pedes Crucifixi animã Deo reddidit.	
24. *Abbas*	1045.	Benedictus III. Abbas Sublacẽſis vigeſimus quartus (præceſſerat ergo Benedictus II. vt ſupra notatum eſt) vixit in Præſulatu annis circiter 6.	
	1049		*Leo Papa IX. Lotharingus. Sedit annis 5. menſes 2. dies 5.*
25. *Abbas*	1051	Otho, ſeu Athõ Abbas Sublaceñ. vigeſimus quintus: cum Leo Papa Sublacum veniſſet fugam arripuit, & Trebis latuit, accitus à Pontifice venire renuit; itaq; ab eodem Pontifice inſtitutus eſt	

Hum-

	Anno Dñi	*Abbates*	Summi Pontifices.
26. *Abbas*	1052	Humbertus Gallus Abbas Sublacenſis vigeſimus ſextus, qui plurima conſtruxit, in Arce Ciuitellæ traditus cuſtodiæ, mox dimiſſus deſciuit à Sancta Sede, tandem abdicauit ſe Abbatia, & in Caſtro Sangrini reliquum vitæ in pace tranſegit: rexit annis 11.	
	1055	Edificatum fuit Campanile S. Scholaſticæ.	
	1057	Dormitoriũ extruitur.	
	1059	Conſtructa fuit Eccleſia Sacri Specus.	
	1061		*Alexander Papa II. Mediolanenſis. Sedit annos* 11. *menſes* 6. *dies* 22.
27. *Abbas*	1063	Ioannes IV. pręclariſſimus Abbas Sublacenſis vigeſimus ſeptimus diſciplinã regularem reſtituit; præfuit per annos 52.	
	1068	Arx Sublaci erigitur.	
	1073		*Gregorius VII. Papa Tuſcus. Sedit annos* 12. *menſes* 3. *dies* 3.

Ioan-

Anno Dñi	*Abbates*	Summi Pontifices.
1074	Ioannem Abbatem Pōtifex plurimùm diligens eum Cardinalem S. R. E. delegit.	
1077	Agnes Auguſta vxor Henrici Secundi, & mater Hērici tertij Imperatorum, poſtquàm Romæ bonis operibus multum claruerat, Sublacum, & Sacrum Specum adierat, pallium, & alia obtulerat, quieuit in Domino ſepulta in Baſilica S. Petri iuxta S. Petronillæ aram.	
1078	S. Cleridonia naſcitur Ciculis in Aprutio.	
1088		*Vrbanus II. Papa Gallus. Sedit annos* 11. *menſes* 4. *dies* 18.
1089	Icona maioris altaris fit à Ioanne Abbate, & hoſpitium pro Peregrinis.	
1090	Palumbus Monachus incolit Specum in penuria, & maceratione vitam ducens ſanctiſſimam.	

Sacel-

Digitized by Google

Anno Dñi	*Abbates*	Summi Pontifices.
	Sacellum S. Mariæ Nouæ à Petro Epiſcopo Anagnino conſecratur.	
1093	S. Cleridonia Sublaci Eremum ingreditur.	
1097	Cęperũt Monachi Monaſterium Sacri Specus inhabitare.	
1099		*Paſchalis Papa II. Tuſcus è Bleda. Sedit annos* 18. *menſes* 5. *dies* 4.
1099	Paſchalis Pontifex rogatu Ioannis Abbatis viſitauit Sacrum Specum, celebrauitque officia diuina in die Octauæ Natiuitatis Dei Genetricis, ibi pernoctauit: conſecrauit altaria per ſe, perque Cononem Epiſcopum Præneſtinum.	
1103	Monaſteria SS. Blaſij, & Ioannis Baptiſtæ ad Arcum inſtaurantur.	
1106	Sacellum S. Viti extruitur.	
1110	Eccleſia S. Romani, nunc S. Blaſij dicta, reno-	

	Anno Dñi	*Abbates*	Summi Pontifices.
		uata dedicatur, & conſecratur.	
	1114	Obijt in ſenectute bona Ioannes IV. Abbas, poſt S. Benedictum in regimine nulli ſecundus, anno præſulatus ſui 52.	
28. *Abbas*		Petrus VI. Abbas Sublacenſis vigeſimus octauus ſufficitur: per annos 21. gubernauit.	
	1119		*Caliſtus Papa II. Gallus. Sedit annos 5. menſ. 10. dies aliquot.*
	1125		*Honorius Papa II. Bononienſis. Sedit annos 5. menſ. 1. dies 17.*
	1130		*Innocentius Papa II. ſedit annos 13. menſes 7.*
29. *Abbas*	1135	Oddus, ſeu Otho II. Abbas Sublacenſis vigeſimus nonus ſurrexit anno ſexto Pontificis Innocentij, depoſitus à Monachis nono die ſuæ electionis, eique ſubſtituitur per intruſionem	

Ray-

Digitized by Google

	Anno Dñi	*Abbates*	Summi Pontifices.
30. *Abbas*		Raymundus trigeſimus Abbas Sublacenſis dilapidator bonorum Monaſterij, quod rexit annis 10.	
		Gregorius Monachus Sublacenſis S. Angeli Abbas ab Innocentio II. S.R.E. Card. Diaconus S. Angeli in Piſcina delectus fuit.	
	1145		*Eugenius Papa III. Piſanus: Sedit annos* 8. *menſes* 4. *dies* 13.
31. *Abbas*	1150	Simon Sangrinus Abbas Sublacenſis trigeſimus primus, poſtea anno 1158. S.R.E. Card. Diaconus S. Mariæ in Domnica renũciatus fuit; à rebellibus vaſſallis captus, cuſtodiæ traditus, tum liberatus: proſperè ad 34. circiter annũ præſulatus peruenit.	
	1152	S. Cleridonia Virgo ætatis anno 74. miraculis clara migrauit ad Sponſum.	

Digitized by Google

	Anno Dñi	*Abbates*	Summi Pontifices.
	1154		*Hadrianus Papa IV. Anglus. Sedit annos* 4. *menſes* 10.
	1158	Simon Abbas Monaſterium S. Mariæ Magdalenæ, aliàs S. Cleridoniæ, extruxiſſe creditur.	
	1159		*Alexander Papa III. Tuſcus. Sedit annos* 21, *menſes* 11. *dies* 24.
	1166	Gregorius filius Oddonis de Polis Abbas intruſus eijcitur.	
	1181		*Lucius Papa III. Lucenſis. Sedit annos* 4. *menſes* 2.
32. *Abbas*	1184	Beraldus Abbas Sublacenſis trigeſimus ſecundus: rexit annis 6.	
	1188		*Clemens Papa III. Romanus. Sedit annos* 3. *menſes* 3. *dies* 5.
33. *Abbas*	1190	Romanus Abbas trigeſimus tertius Sublacenſis: Cœnobium annis circiter 26. gubernauit.	

Cæle-

Digitized by Google

Anno Dñi	*Abbates*	Summi Pontifices.
1191		*Cœleſtinus Papa III. ſedit annis circiter 7.*
1198		*Innocentius Papa III. Romanus. Sedit annis 18. menſ. 4.*
1203	Innocentius Papa cũ aliquibus Cardinalibus Sublacum veniens, & in Monaſterio S.Scholaſticę multis diebus commorãs Monachos viſitauit, & reformauit, vt in eius conſtitutione poſtea Decretalibus inſerta in cap. *Cum ad Monaſterium Sublacen̄.* de ſtatu Monachorum.	
1211	Laurentius Appulus Eremita Spelæum S.Mariæ, vulgo Morræbottis dictũ, inhabitare cœpit; vitamq; ibi ſanctiſſimè tranſegit. Chroniſtes Senior poſt Romanum Abbatem ſucceſſiuè pręfuiſſe putat Abbates Amatum, Matthæũ de Farfaro, Benedictum III., Gregorium II., Gulielmum I., ſed de his nihil	

certi

	Anno Dñi	*Abbates*	Summi Pontifices.
		certi reperitur ſcriptum.	
34. *Abbas*	1216	Rainaldus Abbas Sublacenſis trigeſimus quartus: rexit annis 15.	*Honorius Papa III. Romanus. Sedit annos 10. menſes 7.*
	1227		*Gregorius Papa IX. Romanus Gennæ Caſtri Abbatiæ natus. Sedit annis 14. menſ. 3.*
	1228	Gregorius Pontifex Sacrum Specum viſitauit, ibique Iulio, & Auguſto menſibus æſtiuauit, & Sacellum, olim ad honorem SS. Angelorum conſecratum, S. Gregorio Magno dedicauit.	
35. *Abbas*	1231	Landus inſignitus Abbatiali infula Abbas Sublacẽſis trigeſimus quintus: præfuit decennio.	
	1235	Clauſtrum interius è marmore conſtruxit.	
36. *Abbas*	1241	Henricus Abbas Sublacenſis trigeſimus ſextus è Montaneis Dominis, Auriculæ ortus: videtur præfuiſſe annis 32.	

Lau-

Anno Dñi	*Abbates*	Summi Pontifices :
1243	Laurentius Eremita moritur.	*Innocentius Papa IV. Genuenſis poſt longam Sedis vacationem. Sedit annis* 11. *menſibus* 6.
1256		*Alexander Papa IV. Romanus, ſeu Anagninus. Sedit annis* 6. *menſes* 5. *dies* 4.
1261	Alexander Pontifex Monaſterium Sublacenſe viſitauit, & reformauit.	*Vrbanus Papa IV. Gallus. Sedit annos* 3. *menſem* 1.
1265		*Clemens Papa IV. Gallus. Sedit annis* 3. *dies* 23.
1268	Henricus Abbas in Sacro Specu obſeruantiam regularem, & Priorem inſtituit.	
1271		*Gregorius Papa X. Placentinus poſt diuturnam Sedis vacationem. Sedit annis* 4. *menſes* 4.
1273	In electione Abbatis inter Monachos ſchiſma circa tres electos, Pelagiũ procuratorem, qui Mo-	

naſte-

	Anno Dñi	*Abbates*	Summi Pontifices.
		naſterium depeculatus eſt, Mathiam, & Ioannem; tuncque Monaſterium per quadriennium fuit deſolatum.	
37. *Abbas*	1276	Innocentius Pontifex, auditis Monaſterij calamitatibus, illuc deſtinat Abbatem trigeſimum ſeptimum Gulielmum Burgũdum, mox ab Epiſcopo Tuſculano benedictũ, qui ſuſceptus honorificè, rexit Abbatiam per decennium.	*Innocentius Papa V. Sabaudus. Sedit menſibus* 5.
	1285		*Honorius Papa IV. Romanus. Sedit annos* 2.
38. *Abbas*	1286	Bartholomæus de Mõteregali ſurrexit Abbas Sublacenſis trigeſimus octauus, præfuit annis 11.	
	1288		*Nicolaus Papa IV. Aſculanus. Sedit annis* 4. *menſem* 1.
	1294		*Bonifacius Papa VIII. Anagninus. Sedit annis* 8. *menſ.* 9.
39. *Abbas*	1297	Benedictus IV. Abbas Sublacẽſis trigeſimus nonus: rexit per triennium.	

Fran-

	Anno Dñi	*Abbates*	Summi Pontifices.
40. *Abbas*	1300	Franciſcus Primus Caietanus Abbas Sublacenſis quadrageſimus : præſedit annis 7.	
	1305	Vi ventorum, & aquarum diluuio ruptis aggeribus lacus diſſipatur, pontes quoque cum molendinis, & mandris diſrupti.	*Clemens Papa V. Gallus. Sedit annos 8. menſib.* 10. *diebus* 16.
	1307	Franciſcus I. Abbas velut intruſus deijcitur, Iacobus Sciarra Columna S. R. E. Cardinalis Diaconus S. Mariæ in Via lata Rector Abbatiæ à Clemente V. inſtitutus ad eam dirigitur, vacat Abbatialis Sedes ad annum vſq; 1319. Abbatiam in ſpiritualibus regebat Fr. Nicolaus à Mileto; ſed in temporalibus D. Sciarra Columna, valdè ſeuerus erga Subditos, at Monachis æquus.	
	1316		*Ioannes Papa XXII. Gallus. Sedit annos* 18. *menſes* 3. *dies* 18.

Digitized by Google

	Anno Dñi	*Abbates*	Summi Pontifices.
41. *Abbas*	1319	Bartholomæus II. Abbas Sublacenſis quadrageſimus è Monacho Caſineñ multa laudabiliter peregit, præfuit annis 20.	
	1334		*Benedictus XII. Papa Gallus. Sedit annos 7. menſes 4.*
42. *Abbas*	1339	Ioannes V. Abbas Sublacenſis quadrageſimus ſecundus è Ciuitate Caſtelli oriundus, doctus, & religioſus: rexit annis 9.	
	1342		*Clemens Papa VI. Gallus. Sedit annos 10. menſes 7.*
43. *Abbas*	1348	Petrus VII. Abbas Sublacenſis quadrageſimus tertius, vixit quinquennio, peſtis ſæuiſſima toto orbe graſſata eſt, atque etiam in Monaſterio.	
	1352		*Innocentius VI. Papa Gallus. Sedit annis 9. menſ. 8. dies 26.*
44. *Abbas*	1353	Angelus de Monte Regali Abbas Sublacenſis quadrageſimus quartus,	

pulſus

	Anno Dñi	*Abbates*	Summi Pontifices.
		pulſus à Sublacenſibus adit Pontificem Auenionem, Abdicat ſe Abbatia, quam rexit annis 6.	
		Pontifex dedit Viſitatorem Sublacenſis Monaſterij Andream Epiſcopum Tudertinum.	
	1358	Reliquiæ vnius ex Socijs S. Vrſulę è Colonia Agrippina translatæ fuerunt Sublacum.	
45. *Abbas*	1359	Ademarus Gallus Abbas Sublacenſis quadrageſimus quintus: crudelis, rexit Monaſterium annis 5.	
	1362		*Vrbanus Papa V. Gallus. Sedit annos 8. menſes 2. dies 23.*
	1364	Ademarus Abbas Auenionem profectus Abbatiæ coram Papa renunciat.	
46. *Abbas*		Corradus è Marchionibus Ceuæ quadrageſimus ſextus Abbas Sublacenſis Sacrum Specum deſtruere niſus ab Vrbano Pontifice, & Sacro Collegio Car-	

	Anno Dñi	*Abbates*	Summi Pontifices
		dinaliũ expellitur, & mœrore obijt: rexit annis 5.	
47. *Abbas*	1369	Bartholomæus III. Senenſis, Monachus S. Crucis de Peruſia, fuit electus Abbas Sublacẽſis quadrageſimus ſeptimus, vir prudens; Eccleſiam S. Scholaſticæ reſarcinit: gubernauit Monaſterium Sublacenſe annis 7.	
	1371		*Gregorius XI. Papa Gallus. Sedit annos 7. menſes 6.*
48. *Abbas*	1376	Franciſcus II. electus à Monachis Abbas Sublacenſis quadrageſimus octauus, vir pius.	
	1378	Franciſcus Abbas apud Pontificem Vrbanum cõqueſtus de Sublacenſium contumacia petijt ſibi concedi Coadiutorem in ſpiritualibus Thomam de Celano virum egregium, & in ſpiritualibus Vicariũ Monachum è Caſtro Girano ſibi conſtituit Iaco-	*Vrbanus Papa VI. Neapolitanus. Sedit annos* 11. *menſes* 8.

bum,

Digitized by Google

	Anno Dñi	*Abbates*	Summi Pontifices.
		bum,qui auctoritatem ſpiritualem reſignauit Thomæ ſupradicto;ſicq; Franciſcus II. fuit vltimus Abbas Clauſtralis, cum rexiſſet annos 11.	
1. *Abbas Commendatarius.*	1386	Thomas de Celano cœpit eſſe primus Abbas Cõmendatarius Vrbano Pontifice approbante: gubernauit Abbatiam per annos 31.	
	1388	Inditur Cruci vna de Spinis Coronæ dominicæ, quæ deauratur. Inſtauratur Monaſterium S. Hieronymi ab Epiſcopo Vrbeuetano.	
	1389		*Bonifacius Papa IX. Neapolitanus. Sedit annos* 14.*menſ.*11.
	1390	Apud Pontificem Bonifacium conqueruntur Monachi, à quo mittuntur Petrus Epiſcopus Tudertinus, & Donatus de Toledo Abbas S. Laurentij de Auerſa ad Monaſte-	

rium,

Digitized by Google

	Anno Dñi	*Abbates*	Summi Pontifices.
		rium, qui omnia componunt.	
	1404		*Innocentius VII. Papa Sulmonenſis. Sedit annos 2. dies 21.*
	1408	Fuſa fuit maior campana Monaſterij S. Scholaſticæ, & parietes Eccleſiæ depicti.	
	1410		*Ioannes XXIII. Papa Neapolitanus. Sedit annos 5. dies 15.*
2. *Abbas Commendatarius.*	1411	Sagax de Comitibus Abbas Commendatarius ſecundus : rexit annis 7.	
3. *Abbas Commendatarius.*	1417	Matthęus de Carreto è Marchionibus Ianuēſibus, ſeu Saonēſibus, tertius Abbas Commendatarius : rexit annis 10.	*Martinus Papa V. Romanus. Sedit annis* 13. *menſes* 3. *dies* 10.
4. *Abbas Commendatarius.*	1428	Antonius de Rauenna quartus Abbas Commendatarius : gubernauit per ſeptennium.	
	1431	Vnitur Monaſterio Monachorum Monaſterium S. Mariæ Magdalenæ aliàs S. Cleridoniæ à Sanctimo-	*Eugenius IV. Papa Venetus. Sedit annis* 16.

niali-

	Anno Dñi	*Abbates*	Summi Pontifices.
		nialibus deſertum iam indè à multo tempore huc vſque.	
5. *Abbas Commendatarius.*	1435	Iacobus Cordonus, ſeu de Cordonibus quintus Abbas Commendatarius per annos 10. præfuit.	
6. *Abbas Commendatarius.*	1444	Frãciſcus Abbas Commendatarius ſextus, Eugenij Papę IV. Theſaurarius.	
	1445	Alphonſus adminiſtrator: videtur vltra decennium præfuiſſe.	
	1447		*Nicolaus Papa V. Inſuber. Sedit annos* 8. *dies* 19.
	1453	Altare Sanctiſſimę Trinitatis dedicatur.	
		Notandum tamen eſt præfatos ſex Abbates à Pontificatu Vrbani VI. vſque ad Caliſtum III. ab aliquibus non appellari Commendatarios, ſecundùm quos primus, qui hoc nomine nuncupetur, eſt is, qui in ordine hic ſequitur.	

Ioan-

	Anno Dñi	*Abbates*	Summi Pontifices.
chorum, vel ipſius Epiſcopi licentia: De qua tamen cõfeſſione teneri dictos Religioſos eorundem Infirmorum Parochum illicò certiorem reddere, & hoc poſſe illis ab Epiſcopo ſub pœna ſuſpenſionis à facultate audiendi Confeſſiones præcipi: ſufficere tamen, vt certioratio huiuſmodi fiat ſaltem per ſcripturam apud ipſum Infirmum relinquendam:

Et eos, qui dictis Religioſis ſimpliciter approbatis Paſchali tempore confeſſi fuerint, Conſtitutioni, quæ incipit, *Omnis vtriuſque ſexus*, quoad Confeſſionem dumtaxat ſatisfeciſſe cenſendos: Regulares verò ad eiuſmodi Confeſſiones audiendas præuio examine ſimpliciter, & abſque vlla temporis præfinitione ab ipſomet Epiſcopo, (ſecùs autem ſi ab eius Vicario, aut ab Anteceſſoribus Epiſcopis) approbatos non poſſe ab eodem, qui ſic approbauit, iterum examinari, aut ab eiſdem Confeſſionibus audiendis ſuſpendi, ſeu licentias illis conceſſas reuocari, niſi noua ſuperueniente cauſa, quæ ipſas Confeſſiones concernat: De qua tamen haud neceſſarium eſſe, vt in actis conſtet, nec eam teneri Epiſcopum ipſis Regularibus ſignificare; Sed Sedi Apoſtolicæ dumtaxat, vbi eam ſibi aperiri poſtulauerit: Porro ſi Regulares cum ſcandalo, aut alias inhoneſtè viuant; vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Epiſcopi Iudicio videantur à Confeſſionibus ſuſpendi, in quo ipſius Epiſcopi conſcientiam oneratam eſſe volumus, cum præcipua Miniſtri Sacramẽti Pœnitentiæ qualitas ſit vitę

inte-

Digitized by Google

integritas, ac morum honeſtas; vtique eam cauſam ad Confeſſionis miniſterium pertinere, ac proindè nihil obſtare, quo minus ob eam poſſit Epiſcopus Regulares à ſemetipſo approbatos ſuſpendere, aut repellere à Confeſſionibus audiendis: Attamen Confeſſiones audiendi facultatem omnibus ſimul vnius Conuentus Regularibus Confeſſoribus adimi ab Epiſcopo inconſulta Sede Apoſtolica nullatenus poſſe: Ex facultatibus per Mare magnum, aliaue priuilegia Regularibus cuiuſcunque Ordinis, Inſtituti, aut Societatis, etiam Ieſu, conceſſis factam eis non eſſe poteſtatem abſoluendi in caſibus ab Epiſcopo ſibi reſeruatis: Et per confirmationes dictorum priuilegiorum, quas Regulares à Sede Apoſtolica poſt Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt; nequaquam reuixiſſe priuilegia prius ab eodem Concilio, ac deindè Apoſtolicis etiam Decretis ſublata, atque extincta, ſi quę habebant, abſoluendi à caſibus Epiſcopo reſeruatis:

Et habentes facultatem abſoluendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicę reſeruatis, non ideo à caſibus Epiſcopo reſeruatis poſſe abſoluere: Poſſe autem Regularem Confeſſorem in ea Diœceſi, in qua eſt approbatus, confluentes ex alia Diœceſi à peccatis in ipſa reſeruatis, non autem in illa, vbi idem Confeſſor eſt approbatus, abſoluere, niſi eoſdem pœnitentes nouerit in fraudem reſeruationis ad alienam Diœceſim pro abſolutione obtinenda migraſſe; Vigore ſupradictorum priuilegiorum nequaquam

licere

licere Regularibus etiam ſatisfacta parte abſoluere Pœnitentes à cenſuris quoad externum, & Iudiciale forum, & abſolutos ab eis in foro pœnitentiali, vtique non cenſeri abſolutos in exteriori Iudicio, & contentioſo: Quinimò cenſuris Eccleſiaſticis irretitos, & denunciatos ab Epiſcopis cogi poſſe gerere ſe pro talibus, etiam ſi à Regularibus fuerint abſoluti. Quoties, exhibitis aliquibus Regularium Apoſtolicis priuilegijs coram Epiſcopo, ab eo iudicetur ipſa non ſuffragari caſui, de quo agitur, ſi dictorum priuilegiorum verba obſcura ſint, & ambigua, non eſſe ad Metropolitanum prouocandum, ſed cum eius ſit interpretari, cuius eſt condere; dictorum priuilegiorum interpretationem Sedis Apoſtolicæ iudicio, prout aliàs Conſtitutione Prędeceſſoris noſtri fel. record. Clementis IV. ſtatutum fuit; eſſe requirendam.

Decernentes ſic, & non aliàs per quoſcunque Iudices ordinarios, vel delegatos, quauis auctoritate, & dignitate fungentes etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, & Nuncios, & quoſuis alios, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere: Irritum quoque, & inane, quidquid ſecùs ſuper his à quoquam quauis auctoritaie ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus quibuſuis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis in fauorem

qua-

Digitized by Google

quarumcunque perſonarum, atque quorumuis Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam Sancti Ioannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, etiam Ieſu, ac cuiuſuis alterius Inſtituti, etiam neceſſariò, & in indiuiduò exprimendi, Monaſteriorũ, Conuentuum, Capitulorum, Eccleſiarum, & aliorum quoruncunque tam ſecularium, quàm Regularium locorum, nec non illorum etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, vel conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & priuilegijs etiam in corpore iuris clauſis, aut ex cauſa, & titulo oneroſo, vel in limine fundationis conceſſis, etiam Mari magno, ſeu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis; conſeruatorum deputationibus, eorumque, atque alijs inhibitionibus, quibus Epiſcopi deferre minimè teneantur, & quibuſuis alijs ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, aut cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus, & alijs decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, quibus omnibus, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis; ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non

autem

autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, quo ad ea, quę eiſdem præſentibus aduerſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Cæterum quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca deferri, vt eæ tamen omnibus innoteſcant, mandamus illas ad valuas Eccleſię Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, atque Cancellariæ Apoſtolicæ, & in Acie Campi Floræ affigi, & publicari. Volentes, quòd earundem præſentium literarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu tamen alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo Prælati, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis in iudicio, & extra illud, vbi opus fuerit, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum Decreti, declarationis, derogationis, Mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romę apud S.

Ma-

Mariam Maiorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo , vndecimo Kalendas Iulij Pontificatus noſtri Anno primo.

G.Dat.

Viſa de Curia P. Ciampinus.

I.G. Sluſius.

D. Ciampinus.

Anno à Natiuitate D. N. Ieſu Chriſti 1670. Indictione octaua die verò ſecunda Menſis Auguſti, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis Diuina Prouidentia Papæ X. Anno eius primo, præſens Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valuas Eccleſiæ Lateranenſis, Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, & in Acię Campi Floræ, locis ſolitis, & conſuetis Vrbis per me Hilarium Centellum Sanctiſs. D. N. Papæ Curſ.

Petrus Marcheratus Mag. Curſor.

G CO-

COPIA

DELLA LETTERA DELLA SACRA CONGREGATIONE DEL S. OFFITIO.

Di fuora. *All'Illuſtre, e Reuerendiſſimo Sig. come fratello Monſig. Veſcouo di N.*

Loco ✠ del Sigillo.

Di dentro. *Illuſtre, e Reuerendiſſimo Sig. come fratello.*

SI racchiude quì à V. S. vna Copia del Decreto pronuntiato dalla Santità di Noſtro Sig. ſopra l'opinioni nel medemo enunciate, perche V.S. ſi vaglia di tal notitia à benefitio del ſuo Gregge, publicandolo nella ſolita forma, & ordinando particolarmente à Parochi, & à Confeſſori, che leggano coll'attentione douuta le prefate opinioni per bene imprimerſele nella memoria, sì per proprio vſo, sì per auuertirne i commeſſi alla lor cura, e Dio la proſperi. Roma 4. Decembre 1665.

Di V.S.

Come fratello
F. Card. Barberino.

Digitized by Google

Feria V. die 24. Septembris 1665.

IN Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſimo D.N. D. Alexandro Diuina Prouidentia Papa VII. ac Eminentiſs. & Reuerendiſs. DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana aduerſus hæreticam prauitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter Deputatis.

Sanctiſſimus D.N. audiuit, non ſine magno animi ſui mœrore, cōplures opiniones Chriſtianę diſciplinæ relaxatiuas, & Animarum perniciem inferentes partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim nouiter prodire; Et ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omninò ab Euangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula Fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet Chriſtianæ Vitæ corruptela. Quare, ne vllo vnquam tempore viam ſalutis, quam Suprema veritas Deus, cuius verba in æternum permanent, arctam eſſe definiuit, in animarum perniciem dilatari, ſeu verius peruerti contingeret, idem Sanctiſſimus D. N. vt oues ſibi creditas ab eiuſmodi ſpatioſa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro Paſtorali ſolicitudine in

rectam

rectam ſemitam euocaret, earundem opinionum examen pluribus in Sac. Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis DD. Cardinalibus contra hęreticam prauitatem Generalibus Inquiſitoribus ſerio commiſit. Qui tantum negocium ſtrenuè aggreſſi, eique ſedulò incumbentes, & maturè diſcuſſis vſque ad hanc diem infraſcriptis propoſitionibus, ſuper vnaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati Suę ſingillatim expoſuerunt.

Homo nullo vnquam vitę ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum diuinorum ad eas virtutes pertinentium.

Vir equeſtris ad duellum prouocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

Sententia aſſerens, Bullam Cœnę ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1629. 18. Iulij in Conſiſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſs. Cardinalium viſa, & tolerata eſt.

Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſoluere quoſcunque ſeculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.

Quamuis euidenter tibi conſtet, Petrum eſſe hęreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis.

Confeſſarius, qui in Sacramentali confeſſione

tribuit

tribuit Pœnitenti chartam poſtea legendam, in qua ad Venerem incitat, non cenſetur ſolicitaſſe in confeſſione, ac proindè non eſt denunciandus.

Modus euadendi obligationem denunciandæ ſolicitationis eſt, Si ſolicitatus confiteatur cum ſolicitante, hic poteſt ipſum abſoluere abſque onere denunciandi.

Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet Celebrãti correſpondentem, idque poſt Decretum Vrbani VIII.

Poſt Decretum Vrbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendij ſibi retenta.

Non eſt contra iuſtitiam pro pluribus Sacrificijs ſtipendium accipere, & ſacrificium vnum offerre, neque etiam eſt contra fidelitatem, etiam ſi promittam promiſſione etiam iuramento firmata danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.

Peccata in confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere.

Mendicantes poſſunt abſoluere à caſibus Epiſcopis reſeruatis non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.

Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo iniuſtè reprobato.

Qui

Qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.

Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.

Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem grauia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, vti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel eius Religioni publicè, & coràm grauiſſimis Viris prædicta impingere, niſi occidatur.

Licet interficere falſum Accuſatorem, falſos Teſtes, ac etiam Iudicem, à quo iniqua certo imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum euitare.

Non peccat Maritus occidens propria auctoritate Vxorem in adulterio deprehenſam.

Reſtitutio à Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Iudicis, eò quòd ſit pœna.

Habens Cappellaniam collatiuam, aut quoduis aliud beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio literarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi officium per alium recitet.

Non eſt contra iuſtitiam, beneficia Eccleſiaſtica

non

non conferre gratis, quia Collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica pecunia interueniente non exigit illam pro collatione beneficij, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

Frangens ieiunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult ſe ſubijcere præcepto.

Mollities, ſodomia, & beſtialitas ſunt peccata eiuſdem ſpeciei infimæ, ideoque ſufficit dicere in confeſſione ſe procuraſſe pollutionem.

Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit confeſſionis præcepto dicens; commiſi cum ſoluta graue peccatum contra caſtitatem non explicando copulam.

Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Iudex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in fauorem vnius præ alio.

Si liber ſit alicuius Iunioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet, reiectam eſſe à Sede Apoſtolica tanquam improbabilem.

Populus non peccat, etiam ſi abſque vlla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum ſimilium propoſitionum examini cura, & ſtudium impenditur, interea idem Sanctiſſimus re maturè conſiderata ſtatuit, & decreuit prędictas propoſitiones, & vnãquamq; ipſarum,

vt mi-

Digitized by Google

vt minimùm, tanquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet, itaut quicunque illas, aut coniunctim, aut diuiſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputatiuè, publicè, aut priuatim tractauerit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacunque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolui.

Inſuper districte in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Diuini Iudicij prohibet omnibus Christi fidelibus cuiuſcunque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Ioannes Lupus S. Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis Notarius.

Loco ✠ Sigilli.

Anno à Natiuitate D. N. Ieſu Chriſti milleſimo ſexconteſimo ſexageſimo quinto, Indictione tertia, die vero ſecunda Menſis Octobris, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris D. N. D. Alexandri Diuina prouidentia Papæ VII. Anno vndecimo, ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in Acie Campi Floræ, ac in alijs locis ſolitis, & conſuetis Vrbis per me Carolum Melanum eiuſdem Sanctiſſimi D. N. Papæ, & Sanctiſſimæ Inquiſitionis Curſorem.

 Fe-

Feria V. Die 18. Martij. 1666.

IN Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis corãm Sanctiſſimo D.N. D. Alexandro Diuina prouidentia Papa VII. ac Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana aduerſus hereticam prauitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Sanctiſſimus D. N. poſt latum Decretum die 24. Septembris proximè elapſi, quo viginti octo propoſitiones damnatæ fuerunt; examinatis ſedulò, & accuratè vſque ad hanc diem infraſcriptis alijs quadrageſimum quintum numerum implentibus, per plures in Sacra Theologia Magiſtros, ac per Eminentiſſimos, & Reuerendiſsimos DD. Cardinales aduerſus hereticam prauitatem Generales Inquiſitores, eorum ſuffragia ſingillatim ſuper vnaquaque ipſarum audiuit.

Propoſitio 29. In die Ieiunij, qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit Ieiunium.

30. Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione Ieiunij, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum Ieiunio.

31. Excuſantur abſolutè à præcepto Ieiunij om-

omnes illi, qui iter agunt equitando, vtcunque iter agant, etiam ſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter vnius diei conficiant.

32. Non eſt euidens, quod conſuetudo non comedendi oua, & lacticinia in Quadrageſima obliget.

33. Reſtitutio fructuum ob omiſsionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcunque eleemoſynas, quas anteà Beneficiarius de fructibus ſui beneficij fecerit.

34. In die Palmarum recitans officium Paſchale, ſatisfacit præcepto.

35. Vnico officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto pro die præſenti, & craſtino.

36. Regulares poſſunt in foro conſcientiæ vti priuilegijs ſuis, quæ ſunt expreſsè reuocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & reuocatæ à Paulo V. hodie ſunt reualidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali confitendi quamprimùm, eſt conſilium, non præceptum.

39. Illa particula quamprimùm intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur.

40. Eſt probabilis opinio, quæ dicit, eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus vlterioris, & pollutionis.

41. Non eſt obligandus Concubinarius ad eij-

ciendam Concubinam, ſi hęc nimis vtilis eſſet ad oblectamentum Concubinarij, vulgo, *regalo*, dum deficiente illo, nimis egrè ageret vitam, & aliæ epulæ tœdio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inueniretur.

42. Licitum eſt mutuanti, aliquid vltra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem vſque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum, non durat pluſquam per decem annos.

44. Quoad forum conſcientiæ, Reo correcto, eiuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ.

45. Libri prohibiti donec expurgentur, poſſunt retineri vſque dum adhibita diligentia corrigantur.

Quibus maturè penſatis, idem Sanctiſſimus ſtatuit, ac decreuit prædictas Propoſitiones, & vnamquamque ipſarum, vt minimùm, tanquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet. Itaut quicunque illas, aut coniunctim, aut diuiſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputatiuè, publicè, aut priuatim tractauerit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit, (præterquàm in articulo mortis) ab alio quacunque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolui.

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientię, & ſub interminatione Diuini Iudicij prohibet omnibus

bus Chriſti fidelibus cuiuſcunque conditionis dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Ioannes Lupus S. Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis Notarius.

Loco ✠ Sigilli.

Anne à Natiuitate D. N. Ieſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto, Indictione quarta, die verò vigeſima tertia menſis Martij, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris D. N. D. Alexandri Diuina prouidentia Papæ VII. Anno vndecimo, ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in Acie Campi Floræ, & in alijs locis ſolitis, & conſuetis Vrbis per me Carolum Melanum eiuſdem Sanctiſſimi D. N. Papæ, & Sanctiſſimæ Inquiſitionis Curſorem.

Digitized by Google

Digitized by Google

DECRETA SACRAE CONGREGATIONIS CONCILII

Sanctiſsimi D.N. Vrbani Diuina prouidentia Papæ VIII. Authoritate edita de Celebratione Miſſarum.

CVm ſæpè contingat, in quibuſdam Eccleſijs tàm magnum Miſſarum celebrandarum numerum ex varijs defunctorum relictis, aut piorum eleemoſynis impoſitum eſſe, vt illis pro ſingulis diebus pręſcriptis nequeat ſatisfieri; & tamen noua onera Miſſarum in dies ſuſcipiantur; indeque fiat, vt depereant piæ teſtantium voluntates, obſtricta benefactoribus fides violetur, defunctorum animæ ſuffragijs priuentur, Eccleſijs debitus ſubtrahatur cultus, ac Chriſti fideles graui ſcandalo affecti plerunque à ſimilibus charitatis operibus retrahantur: Cumque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quod ij, qui Miſſas ſupra vires celebrandas ſuſcipiunt, ſperent illas breui ad pauciorem numerum à Superioribus reductum iri; aut quòd Eccleſijs, ſorte pecuniarum abſumpta, plerunque nuda remaneant onera Miſſarum abſque vllo emolumento; aut quòd eleemoſyna pro illis celebrãdis ſit adeò tenuis, vt non facilè inueniantur, qui velint huic ſe muneri ſubijcere, & reditus Ec-

cleſiæ,

cleſiæ, aut Monaſterij adeò exigui, vt Sacerdotes pro neceſſaria ſua ſuſtentatione nouis ſe oneribus obſtringere compellantur: Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum animaduertens, facturam ſe rem Deo gratiſſimam, charitatique, ac Iuſtitiæ maximè conſentaneam, ſi pro viribus ſatagat, hunc teterrimum abuſum è Chriſtiana Republica conuellere, atq; eradicare, Sanctiſs. D. N. Vrbani Diuina prouidentia Papæ VIII. authoritate ſibi ſpecialiter attributa, infraſcripta Decreta edidit.

Ac primò diſtrictè prohibet, atque interdicit, nè Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant onera vlla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis; ſed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apoſtolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perſpecta, id ſtatuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur; aliòquin reductiones, moderationes, & commutationes huiuſmodi, ſi quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas, atque inanes decernit.

Deinde, vbi pro pluribus Miſſis, etiam eiuſdem qualitatis celebrandis plura ſtipendia, quantumcunque incongrua, & exigua, ſiue ab vna, ſiue à pluribus perſonis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Eccleſijs, Capitulis, Collegijs,

Hoſpi-

Digitized by Google

Hoſpitalibus, Societatibus, Monaſterijs, Conuentibus, Congregationibus, Domibus, ac locis pijs quibuſcunque tam ſecularibus, quàm regularibus, Sacra Congregatio ſub atteſtatione Diuini Iudicij mandat, ac præcipit, vt abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint; itaut aliòquin ij, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant; quinimò grauiter peccent, & ad reſtitutionem teneantur.

Id verò, vt deinceps obſeruetur exactiùs, Sac. Congregatio eadem authoritate reuocat priuilegia, & indulta omnia quibuſuis perſonis, Eccleſijs, ac locis pijs, tam ſecularibus, quàm regularibus cuiuſcunque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, quamcunque ob cauſam conceſſa, quibus indulgetur, vt certarum Miſſarum, vel Anniuerſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu orationibus, plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

Ac ſimiliter, omne damnabile lucrum ab Eccleſia remouere volens, prohibet Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eandem Miſſam alteri, parte eiuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat.

Præterea, ne in Eccleſijs, in quibus onera Miſſarum in perpetuum impoſita ſunt, Sacerdotes in eis, vt par eſt, adimplendis eò tepidiores, ac ſegniores reddantur, quòd onera huiuſmodi cum nulla, aut parua ſint vtilitate coniuncta, ſtatuit, atque

decernit, vt pecuniæ, ac bona mobilia Eccleſijs, Capitulis, Collegijs, Hoſpitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monaſterijs, Conuentibus, ac locis omnibus, tam ſecularibus, quàm regularibus, atque illorum perſonis in futurum ſimpliciter acquirenda cum onere perpetuo Miſſarum celebrandarum, ab ijs, ad quos pertinet, ſub pœna Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrenda à die realis acquiſitionis, ſtatim deponi debeant penes ædem Sacram, vel perſonam, fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, ſeu illorum pretium quamprimùm inueſtiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expreſſa, & indiuidua mentione oneris, quod illis annexum reperitur; ac ſi eadem bona immobilia auctoritate Apoſtolica deinceps alienari contigerit, eorundem pretium ſub eadem pœna, vt ſupra, deponi, atque in alijs bonis ſtabilibus itidem fructiferis, cum eiuſdem oneris repetitione, atque annexione conuerti debeat.

Ad hæc Sac. Congregatio quibuſuis Capitulis, Collegijs, Societatibus, & Congregationibus, nec non omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, ac piorum locorum, tam ſecularium, quam regularium Superioribus, vel alijs, ad quos pertinet, diſtrictè prohibet, ne in poſterum onera perpetua ſuſcipiant Miſſarum celebrandarum, ſeculares quidem ſine Epiſcopi, vel eius generalis Vicarij, Regulares verò ſine Generalis, vel Prouincialis conſenſu, & licentia in ſcriptis, & gratis concedenda: alioquin ſecularis,

Digitized by Google

laris, qui huius prohibitionis tranſgreſſor extiterit, ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus ſit eo ipſo: Regularis verò pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vociſque actiuæ, ac paſſiuæ, abſque alia declaratione incurrat. Eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis ita demum ijdem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, vt noua quoque onera ſuſcipere valeant: alioquin omninò abſtineant ab huiuſmodi eleemoſynis, etiam ſponte oblatis, in futurum recipiendis, & capſulas auferant ab Eccleſijs cum inſcriptione illa, *eleemoſyna pro Miſſis*, vel alia ſimili, ſub ijſdem pœnis ipſo facto incurrendis, ne fideles hac ratione fruſtrentur. Epiſcopus verò, ſeu eius Vicarius, aut Generalis, vel Prouincialis, vbi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requiſiti, in ſingulis caſibus diligenter inquirant de ſingulis Miſſarum celebrandarum obligationibus cuique Eccleſiæ, Monaſterio, aut loco pio incumbentibus: nec antea aſſenſum huiuſmodi, aut licentiam præbeant, quàm eis legitimè conſtiterit, illius Sacerdotes tam nouo oneri ſuſcipiendo, quàm antiquis iam ſuſceptis ſatisfacere poſſe: præcipuamque rationem habeant, vt reditus, qui Eccleſijs, & locis pijs relinquuntur, omnino reſpondeant oneribus adiunctis, ſecundum morem cuiuſque Ciuitatis, vel Prouinciæ, intelligantque ſi in re tanti momenti deſides, aut negligentes fuerint, in Nouiſſi-

mo die ſe huius prætermiſſi muneris rationem eſſe reddituros.

Poſtremò Illuſtriſsimi Patres, non ſine graui animi dolore intelligentes, mala fere omnia, quæ regularem diſciplinam euertunt, ac prçcipuè nimiam hanc facilitatem fouent in oneribus Miſſarum ſupra vires ſuſcipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex maiori Regularium numero, quàm ferant reditus, & eleemoſynæ cuiuſque Monaſterij, inhærentes Summorum Pontificum, ac Sac. Trid. Conc. decretis hac de re editis, Sanctiſs. D.N. authoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & ſingulis Generalibus, Prouincialibus, Cōmiſſarijs, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Guardianis, Vicarijs, & quibuſcunque alijs Superioribus Monaſteriorum, Conuentuum, ac Domorum regularium bona immobilia poſſidentium, vel non poſſidentium, cuiuſcunque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti exiſtentium intra fines Italiæ, & Inſularum adiacentium, vt ſinguli ad quos pertinet, in qualibet Prouincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus ſui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum vſu peritioribus, bona immobilia, cenſus, reditus, & prouentus omnes, conſuetas item eleemoſynas, & obuentiones, tam cōmunes Monaſteriorum, Conuentuum, & Domorum eiuſdem Prouinciæ, quàm etiam ſingularibus perſonis religioſis aſſignatas, ſeu permiſſas, in cōmunem vſum deinceps conferendas, decem annorum im-

me-

mediatè præcedentium habita ratione diligenter, & maturè recognoſcant, ijs omnibus detractis, quæ reparationes, præſtationes, grandines, ſterilitates, aliaue cuiuslibet generis onera conſueuerunt abſorbere, eaque omnia ſcripto fideliter exarata, idem Superior, cuius intereſt, in proximo Capitulo, ſeu Congregatione generali, vel prouinciali coram tribus Iudicibus ab ipſomet Capitulo, ſeu Congregatione deligendis, proponat, qui computatis huiuſmodi reditibus, eleemoſynis, & obuentionibus vniuerſis, & oneribus, vt ſupra, detractis, ſedulò examinent, quot religioſi homines, connumeratis etiam laicis, alijſque neceſſarijs ſeruientibus, in vnoquoque Monaſterio, Conuentu, & Domo regulari, iuxta regionis, & proprij inſtituti morem, victum, & veſtitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant ſuſtentari. Tum eorundem bonorum, redituum, eleemoſynarum, & onerum præciſam notam ipſimet Capitulo, ſeu Congregationi exhibeant, vt in illo diligenter omnibus diſcuſſis, cuiuſque familiæ, Monaſterij, Conuentus, ac Domus regularis in ſingula quaque prouincia certus earum tantùm perſonarum numerus, Patrum capitularium voto præfigatur, quæ reditibus, eleemoſynis, & obuentionibus, vt ſuperiùs ſufficienter ali poſſint. Ne verò Superiores qui id præſtare debent, ſeriùs, aut remiſſiùs, quàm par eſt, ſuo muneri ſatisfaciant; mandat Sacra Congregatio, vt infra annum poſt proximum Capitulum

gene-

generale, vel prouinciale computandum, omnia hoc de genere particulariter geſta in authenticam formam redacta ad Sacram ipſam Congregationem Concilij ſinguli mittant, numerumque familiæ, ſingulorumque Conuentuum, Monaſteriorum, & Domorum huiuſmodi regularium, Capituli, ſeu Congregationis generalis, vel prouincialis ſententia, & auctoritate præfinitum, ijdem Superiores, tam Generales, & Prouinciales omnes, quàm locales perpetuò ſeruare omnino teneantur, nec poſſint illum quoquo modo augere, etiam prætextu augmẽti redituum, abſque Sacræ ipſius Congregationis licentia. Superiores autem huiuſmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præſtiterint, vel numerum, vt ſuprà præſcriptum quouis modo augere præſumpſerint, priuationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vociſque actiuæ, ac paſſiuæ, & ad omnia ſuæ religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipſo incurrere, atque alijs etiam grauioribus à Sede Apoſtolica infligendis pœnis Sacra Congregatio ſubiacere voluit, & declarauit.

Deinceps verò Monaſterium, Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religioſorum, ſeu Regularium nullibi recipiatur, niſi, præter alia ad id requiſita, in ſingulis eiuſmodi locis, duodecim ſaltem Fratres, aut Monachi, ſeu Religioſi degere, & ex reditibus, & conſuetis eleemoſynis, detractis omnibus, vt ſupra, detrahendis, compe-

tenter

Digitized by Google

tenter ſuſtentari valeant, ad præſcriptum decreti fel. record. Gregorij XV. hac de re editi. Alioquin Monaſteria, & loca huiuſmodi poſthac recipienda, in quibus duodecim Religioſi, vt ſupra, ſuſtentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitauerint, Ordinarij loci viſitationi, correctioni, atque omnimodæ iuriſdictioni ſubiecta eſſe intelligantur.

Porrò, ne vllo vnquam tempore hæc in obliuionem, ſeu deſuetudinem abeant, Superiores locales cuiuſque Monaſterij, Conuentus, ac Domus regularis curare, atque efficere teneantur ſub pœna priuationis officij, vociſque actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto incurrenda, vt in perpetuum, ſexto quoque menſe, ideſt feria ſecunda poſt primam Dominicam Aduentus, & feria ſexta poſt Octauam Corporis Chriſti, præſentes ordinationes in publica menſa perlegantur. Omnibus tam Eccleſiaſticis perſonis, cuiuſcunque ſint ordinis, conditionis, & gradus, quàm laicis, quocunque honore, ac poteſtate præditis præſentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitùs interdicta.

Non obſtantibus, quoad ſupraſcripta omnia, & ſingula in præſentibus Decretis contenta, Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in fauorem quarumcunque perſonarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam S. Io. Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiuslibet alterius inſtituti,

etiam

etiam neceſſario, & in indiuiduo exprimendi, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Capitulorum, Hoſpitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcunque tam ſecularium, quàm regularium locorum, necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Mari magno, ſeu Bulla Aurea, aut aliàs nuncupatis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus Decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitùs omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens, quibus, quoad ea, quæ præſentibus aduerſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, Sacra Congregatio, Sanctitatis Suæ authoritate ſpecialiter, & expreſsè derogat, cæteriſque contrarijs quibuſcunque.

Et

Digitized by Google

Et ne præmiſſorum ignorantia à quoquam prætendi poſſit, voluit eadem Sacra Congregatio, vt præſentes Ordinationes in valuis Baſilicarum S. Ioannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac in Acie Campi Floræ, vt moris eſt, affixæ, omnes, ad quos pertinet, ità arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſsent. Vtq; earundem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ die 21. Iunij 1625.

Coſmus Cardinalis de Torres.

Locus ✠ Sigilli.

Proſper Fagnanus Sac. Congr. Secr.

Anno Domini Noſtri Ieſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto, Indictione octaua, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri D. Vrbani Diuina prouidentia Papæ VIII. Anno eius tertio, die verò vigeſimaſecunda Menſis Septembris, ſupraſcripta Decreta affixa, & publicata fuerunt ad valuas Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac in Acie Campi

Floræ, vt moris eſt, per nos Camillum Fundatum, & Fabium Emilianum Sanctiſs. D. N. Papæ Curſ.

Brandimartes Latinus Prælibati S.D.N. PP. ac S. Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis Curſor, pro Mag. DD. Curſ.

DECLARATIONES ALIQVOT SACRAE CONGREGATIONIS CONCILII

Sanctiſſimi D.N. Vrbani Papæ VIII. auctoritate editæ ſuper Decretis eiuſdem Congregationis de Celebratione Miſſarum.

SVper primo Sacrę Congregationis Decreto de celebratione Miſſarum, quo prohibetur, ne Epiſcopi in diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquomodo, reducant onera vlla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis,

Quæritur, quid ſi legatum ſit ita tenue, vt non ſit, qui velit onus illi iniunctum ſubire, &, ſi recurrendum ſit ad Sedem Apoſtolicam pro moderatione oneris, totum, aut ferè totum inſumendum ſit pro expenſis ad id neceſſarijs?

Et quid, ſi permittatur Epiſcopo in fundatione, vt poſſit huiuſmodi onera moderari?

Secundò, ſuper ſecundo eiuſdẽ Congregationis Decreto, quo cauetur, vt celebrentur tot Miſſę, quot ad rationem tributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint,

Quæritur, an verba illa (præſcriptæ fuerint) intelligenda ſint de præſcriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?

Tertiò, an, cum Ordinarius præſcripſerit eleemoſynam congruam iuxta qualitatem loci, perſoſonarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes ſtipendium minus congruo teneantur Miſſas illis ab offerente præſcriptas celebrare?

Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Miſſas celebrare ratione beneficij, ſeu cappellæ, legati, aut ſalarij, poſſint etiam manualem eleemoſynam, pro Miſſis votiuis, aut defunctorum recipere, & vnico Miſſæ ſacrificio vtrique oneri ſatisfacere?

Quintò, poſito, quòd Teſtator relinquat, vt celebrentur pro eius anima centum Miſſæ, abſque vlla præſcriptione eleemoſynæ: Quęritur, an liberum ſit hæredibus, eleemoſynam ſibi benè viſam præſcribere, an verò eadem eleemoſyna præſcribenda ſit ab Ordinario?

Sextò, ſuper tertio Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio reuocat Priuilegia, quibus indulgetur, vt certarum Miſſarum, vel anniuerſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu orationibus, plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat,

Quæritur, An verba (in futurum ſuſcipiendis) intelligenda ſint de oneribus ſuſcipiendis poſt Priuilegium?

Septimò, ſuper quarto eiuſdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eandem Miſſam alteri, parte eiuſdem eleemoſynæ

ſibi

ſibi retenta, celebrandam committat,

Quæritur, An permittendum ſit adminiſtratoribus Eccleſiarum, vt retineant aliquam eleemoſynarum portionem pro expenſis manutentionis Eccleſię, Altarium, inſeruientium, paramentorum, luminum, vini, hoſtiæ, & ſimilium?

Octauò, An hoc Decretum habeat locum in beneficijs, quæ conferuntur in titulum, ideſt, An Rector Beneficij, qui poteſt per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare ſtipendium ad rationem redituum Beneficij?

Decimò, An Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemoſyna maior ſolita pro celebratione Miſſæ, debeant dare eandem integram eleemoſynam ijs, quibus Miſſas celebrandas committunt: An verò ſatis, ſit, vt dent celebrantibus eleemoſynam conſuetam?

Vndecimò, ſuper quinto eiuſdem Congregationis Decreto, quo inter cætera ſtatuitur in hæc verba (eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis ita demum ijdem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, vt noua quoque onera obire valeant; Alioquin omnino abſtineant ab huiuſmodi eleemoſynis, etiam ſpontè oblatis, in futurum recipiendis, & capſulas auferant, &c.)

Quæritur, An hoc Decretum prohibeat abſolutè, quò minus accipiant nouas eleemoſynas ij, qui acceptis non ſatisfecerunt, & quid ſi congruo tempore

pore

pore poſſint omnibus ſatisfacere?

Duodecimò, quid, ſi offerens eleemoſynas, audito impedimento, conſentiat, vt Sacerdos Miſſam celebret cum primùm poterit?

Decimotertiò, An pœna interdicti, & aliæ appoſitæ in eodem Decreto afficiant tàm eos, qui accipiunt eleemoſynas cõtra formam ibi præſcriptam, quàm eos, qui non auferunt capſulas ab Eccleſijs, vt ibidem præcipitur?

Decimoquartò, An in hoc Decreto comprehendantur illæ capſulæ, quæ apponi ſolent in Eccleſijs in die commemorationis omnium Sanctorũ, & vulgò dicuntur, *caſſe de Morti*?

Decimoquintò, An Adminiſtratores Eccleſiæ magnæ deuotionis, & concurſus poſſint eleemoſynas pro Miſſis celebrandis accipere, ſi ijſdem Miſſis non niſi poſt longum tempus ſatisfacere valeant, nè aliàs cultus Eccleſiæ, & deuotio, ac concurſus fidelium, vt aiunt, minuantur?

Decimoſextò, quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa ſolis Capitulis, Collegijs, Societatibus, Congregationibus, nec non omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, & piorum locorum, tam ſecularium, quàm regularium ſuperioribus, de quibus fit expreſſa mentio, non autem priuatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur ſub clauſula generali (& alijs, ad quos pertinet) ſupplicatur pro oportuna declaratione?

Decimoſeptimò, ſuper ſeptimo eiuſdem Sacrę

Con-

Congregationis Decreto, quo cauetur, vt in ſingulis Monaſterijs Religioſorum præfigatur numerus, qui ex conſuetis reditibus, aut eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari,

Quæritur, An vbi hæc præfixio facta iam fuit in vim ſimilis Decreti ſan. mem. Pauli V. abſque tamen computatione redituum cuiuſque Religioſi, ſit denuò facienda, nec ne?

Decimooctauò, An Nouitij, ad habitum Regularem admiſſi poſſint admitti ad profeſsionem in Monaſterijs, in quibus, habita vt ſuprà præfixione numeri, commodè alı non poſſunt?

Decimononò, ſuper vltimo, quo cauetur, vt nullibi recipiantur Conuentus Regularium, niſi præter alia ad id requiſita, duodecim ſaltem Fratres in eis degere, & competenter ſuſtentari valeant, ita vt alioquin ſubſint iuriſdictioni ordinariæ,

Quæritur, an hoc Decretum, quod videtur editum in Ordine ad celebrationem Miſſarum, comprehendat eas Religiones, quæ non conſueuerunt onera Miſſarum recipere, vt ſunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis Ieſu?

Vltimò, An idem Decretum, vbi diſponit, vt nullibi recipiantur Monaſteria, niſi &c. habeat locum in Italia duntaxat, ad quam eſt reſtrictum Decretum proximè antecedens, an verò etiam extra Italiam?

Sacra

SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, authoritate ſibi à Sanctiſſimo D.N. attributa, ad ſingula dubia ſuperiùs propoſita ad hunc modum reſpondit, videlicet,

Ad primum, etſi legatum ſit adeò tenue, nihilominus, pro reductione oneris, vt ſupra, impoſiti, ab ijs, ad quos pertinet, Sedem Apoſtolicam eſſe adeundam, quæ abſq; vlla impenſa id ſtatuet, quod magis in Domino è re eſſe iudicauerit; Veruntamen ſi in ipſa beneficij erectione expreſsè cautum fuerit, vt liceat Epiſcopo iniunctũ onus reducere, ac moderari, legem hãc fundationis, quam Decreta hac de re edita non ſuſtulerunt, eſſe validam, & obſeruandam.

Ad ſecundum, eſſe intelligenda de præſcriptione facta ab eo, qui eleemoſynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quòd ſi tribuens eleemoſynam numerum Miſſarum celebrandarum non præſcripſerit, tunc tot Miſſas celebrari debere, quot præſcripſerit Ordinarius ſecundùm morem ſuæ Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad tertium, teneri.

Ad quartum, Sacerdotes quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione beneficij, ſeu cappellæ, legati, aut ſalarij, ſi eleemoſynas pro alijs etiam Miſsis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa vtrique obligationi ſatisfacere.

Ad quintum, cenſuit, vbi nullam certam eleemoſynam teſtator reliquit, eſſe ab Epiſcopo præſcribendam eleemoſynam congruam, quæ reſpon-

deat

deat oneribus Miſſarum celebrandarum, ſecundùm morem Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad ſextum, ita eſſe intelligenda.

Ad ſeptimum reſpondit, permittendum non eſſe, vt Eccleſiæ, ac loca pia, ſeu illorum Adminiſtratores ex eleemoſynis Miſſarum celebrandarum vllam, vtcunque minimam, portionem retineant ratione expenſarum, quas ſubeunt in Miſſarum celebratione, niſi cum Eccleſiæ, & loca ipſa alios non habent reditus, quos in vſum earundem expenſarum erogare licitè poſſint, & tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorẽ expenſarum, quę pro ipſomet tantùm Miſſę ſacrificio neceſſariò ſunt ſubeundæ, & nihilominus eo etiam caſu curandum eſſe, vt ex pecunijs, quæ ſuperſunt, expenſis, vt ſupra, deductis, abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab offerentibus eleemoſynas.

Ad octauum non habere locum, ſed ſatis eſſe, vt Rector beneficij, qui poteſt Miſſam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemoſynam congruam, ſecundùm morem Ciuitatis, vel Prouinciæ, niſi in fundatione ipſius beneficij aliud cautum fuerit.

Ad Decimum, debere abſolutè integram eleemoſynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem ſibi retinere poſſe.

Ad vndecimum reſpondit, non prohibere abſolutè: Ac propterea, etſi oneribus iam ſuſceptis

L non

non ſatisfecerint ; poſſe tamen noua etiam onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum, dummodò infra modicum tempus poſsint omnibus ſatisfacere.

Ad duodecimum, quamuis onera ſuſcepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, ſi tamen tribuens eleemoſynam pro aliarum Miſſarum celebratione id ſciat, & conſentiat, vt illæ tunc demùm celebrentur, cùm ſuſceptis oneribus ſatisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quo minùs eo caſu eleemoſyna accipiatur pro ijſdem Miſsis iuxta Benefactoris conſenſum celebrandis.

Ad decimumtertium, has pœnas non habere locum, niſi in ſuſcipientibus onera perpetua Miſſarum celebrandarum ſine licentia Epiſcopi, vel eius Generalis Vicarij, aut Generalis, vel Prouincialis.

Ad decimumquartum, comprehendi.

Ad decimumquintum, non poſſe, niſi de conſenſu eorum, qui eleemoſynas tribuunt, vt ſupra in reſponſione ad duodecimum.

Ad decimumſextum, comprehendi etiam priuatos Sacerdotes.

Ad decimumſeptimum; numeri præfixionem eſſe iterum faciendam ſeruata forma vltimi Decreti hac de re editi.

Ad Decimumoctauum, eſſe admittendos ad profeſſionem, ſi aliàs habiles exiſtant, ac deinde in aliquo alio Monaſterio eiuſdem Religionis eſſe collocan-

locandos, vbi commodè ali poſsint.

Ad decimumnonum, cenſuit comprehendere.

Ad Vltimum, habere locum etiam extra Italiam.

Coſmus Card. de Torres.

Locus ✝ Sigilli.

Proſper Fagnanus Sac. Congr. Secr.



ALIA DECLARATIO SACRAE CONGREGATIONIS

Super Eleemoſyna Miſſarum.

CVm Auctores nõnulli ſcriptis ſuis typis editis aſſeruerint, Sacerdoti pro alio Miſſam, recepta eleemoſyna, celebranti licitum eſſe, aliam eleemoſynam quoque accipere ab altero, cui partem illam fructus, ſeu valoris eiuſdem Sacrificij ipſimet celebranti debitam (ſpecialem nuncupatam) applicet, ac proinde hunc caſum ſub decreto Sacræ Congregationis Cõcilij prohibente duplex pro vnica Miſſa ſtipendium, ſeu eleemoſynam recipi, non eſſe comprehenſum;

Propterea Sac. Congregatio &c. ſub die 25. Ianuarij 1659. cenſuit, nulli Sacerdoti licitum eſſe præfata ratione, ſiue prætextu aliã eleemoſynã accipere, præter illam, quam accipit ab eo, pro quo Miſſam offerre tenetur; Ac proindè caſum hunc eſſe comprehenſum in decretis aliàs per eandem Sac. Congregationem Concilij editis, quibus prohibetur, ne duplex ſtipendium pro vnica Miſſa recipiatur.

Digitized by Google

DECRETVM DE CONFICIENDA *Tabella onerum perpetuorum Miſſarum, contentum in Epiſtola circulari de ordine Sacræ Congregationis locorum Ordiuarijs ſcripta.*

Reu.me Dñe.

CVm Sacra Congregatio Eminentiſsimorum, & Reuerẽdiſſimorum S. R.E. Cardinalium Cõcilij Tridentini Interpretum non infrequẽtibus Chriſti fidelium querimonijs edocta intelligat, quamplura onera Miſſarum ab illis, ſiue ab eorum maioribus titulo Beneficij fundata, aut pijs donationibus, ſeu conuentionibus conſtituta, aut vltima voluntate relicta, à Rectoribus beneficiorum, vel ab Eccleſiarum, locorumue piorum Adminiſtris, vel etiam à priuatis Sacerdotibus negligi, ita vt earundem Miſſarum celebrationi nullatenus, aut diminutè, vel ſerò ſatisfiat; Eminentiſſimi Patres animaduertentes ad huiuſmodi incuriam, ſiue potius fraudem eliminandam, qua piæ teſtantium voluntates depereunt, obſtricta benefactotibus fides violatur, & diuinus cultus imminuitur, aliàs ſub die 21. Iunij 1625. Decreta generalia de celebratione Miſſarum iuſſu ſan. mem. Vrbani VIII. à ſe edita, ac typis impreſſa fuiſſe, eorundem obſeruantiam, atque cuſto-

diam

diam in præſens magis, magiſque vrgendam, atque inculcandam cenſuerunt: Vtpote quòd in ipſis decretis huic deterrimo abuſui eradicando, qui plerúque ex damnabilis lucri cupiditate, aut ex faciliori onerum acceptatione ſuboritur, prouidè conſultum eſt. Quapropter Sacra Congregatio, quamuis perſuadeat ſibi amplitudinem tuam partes ſuas circa onerum Miſſarum adimplementum ſtudiosè procurandum diligenter obire, nihilominus quia tanti momenti res nouum quotidie, atque exuberans ſtudium, & ſolicitudinem expoſcit, Eadem Sac. Congregatio ſpeciali auctoritate per Sanctiſs. D. N. ſibi attributa amplitudini tuæ iniungit, vt ipſorum Decretorum cuſtodiam, atque obſeruantiam in ſua Diœceſi accuratè, & ſeriò procuret, atque aduerſus eorundem Violatores animaduertat, & quò faciliùs illorum negligentia, aut fraus detegatur, ſedulò perſpectis Teſtamentis, conuentionibus, alijſque ſcripturarum documentis, quibus onera Miſſarum vnicuique Eccleſiæ, ſiue loco Pio, aut priuatis Sacerdotibus incumbentia continentur, vocatis etiam omnibus illis, quorum interſit, Tabella conficiatur, in qua prędicta onera dilucidè, & diſtinctè adnotata ſint, & publicè in Sacriſtia eiuſdem Eccleſiæ exponatur; Atque ibidem liber quotidiano vſui paratus ſit, in quo ſinguli Sacerdotes, qui in ea Eccleſia Sacrificium obtulerint, Miſſam à ſe tali die celebratam adnotent, & cuius oneris ratione celebrauerint, propriæ manus ſubſcriptione teſtentur.


Quæ

Quæ omnia ita diligenter ab amplitudinis tuæ vigili prouidentia perficienda ſperant Eminentiſſimi Patres, vt ipſa, quòd huiuſmodi graue Miniſterium tepidè, ac perfunctoriè peregerit, coram Supremo Iudice Chriſto Domino redargui minimè poſſit; & amplitudini tuę copioſa diuinorum Chariſmatum incrementa ex animo precamur. Romæ 15. Decembris 1663.

Vti Frater
F. Cardinalis Chiſius.

Gratis etiam quoad ſcripturas.

C. de Vecchijs Epiſc. Cluſin.
S. C. C. S.



RE-

Digitized by Google

Digitized by Google

REGOLE GENERALI
L. & *M.* c. ſententia ſanguinis. ne Clerici, vel Monachi. c. ex literis, de exceſſibus Prælator. c. 1. diſt. 51. c. ſæpe. c. his, quibus. 23. q. 8.
N. c. Clerici. c. quicunque 23. q. 8. c. petitis. de homicidio.
O. diſt. 50. c. ſi quis, & de homicid. per mult. cap. Concil. Trid. ſeſſ. 14. de reform. c. 7.

Non

Digitized by Google

P. c. 59. ſi quis. 1. q. 1. c. 1. de presbytero nō baptizato. c. 2. de Apoſtatis. c. qui bis. diſt. 4. de conſecrat. c. ſi quis hæreticæ 1. q. 1.

P. Non Baptizati, Rebaptizantes, ac Rebaptizati ſcienter, & Miniſtri rebaptizationi cooperantes, itemque ab hæreticis ſe baptizari permittentes ſcientes hoc eſſe prohibitum.

Q. c. cum illorum, de ſententia excomm.
c. inter ſolicitudines, de purgatione Canonica.
c. finali, de Apoſtatis.
c. 2. §. hæreticis, de hæreticis in 6.

Q. Excommunicati. Interdicti.
Suſpenſi.
Apoſtatæ.
Hæretici.

R. d. c. 2. §. hæretici. de hæreticis in 6.

R. Suſpecti de hæreſi.
Deſcendentes ab ipſis per lineam paternam, vſque ad ſecundum gradum, & per maternam ad primum gradum.

S. c. Infames. 6. q. 1.
c. teſtes. 2. q. 7.
c. maritum. diſt. 33.
d. c. Infames.
d. c. Infames.

Concil. Trid. ſeſſ. 25. de reform. c. 19.
c. Mulierem, & ibi gloſſa 33 q. 5.
c. hi qui ſe. & ſeqq. diſt. 55. c. ex parte, de corpore vitiatis.
d. c. Infames.

c. communiter.
c. Clerici, diſt. 33.
d. c. communiter.
c. vnic. de vita, & honeſt. Clericor. in 6.
c. maritum. diſt. 33.
gloſſa in c. ipſi Apoſtoli 2. q. 7.
Clement. 1. eod. tit.

S. Infames tam iuris, quàm facti, vt
Vſurarij manifeſti.
Periuri.
Raptores mulierum, vel ipſis conſilium, vel auxilium præbentes.
Duellum committentes, vel aſſociantes.
Mulieres.
Eunuchi, qui ſibi facto, aut conſenſu virilia abſciderunt.
Amentes.
Furioſi.
Energumeni.
Laborantes morbo caduco, ſeu comitiali.
Scurræ.
Hiſtriones. Abſtemij. Lanij.
Tabernarij, ac alij obligati ad indecentia.

EDI-

EDICTVM
CARDINALIS VICARII VRBIS.

Ne Clerici nunc, & pro tempore in Vrbe degentes, extrà Vrbem ſe promoueri faciant, niſi in Vrbe examinati, & approbati.

VNiuerſis, & ſingulis Clericis nunc, & in futurum pro tempore in Vrbe commorantibus, ad minores, vel ſacros, & presbyteratus ordines promoueri volentibus, de mandato Sanctiſſimi D. N. PP. Alexandri VII. viuæ vocis oraculo deſuper facto, edicimus, & præcipimus, ne de cætero extra eandem Vrbem, & vigore literarum dimiſſorialium ſuorum ordinariorum, vel cuiuſuis alterius facultatis ad dictos Ordines promoueri ſe faciant, niſi præuio examine ab Examinatoribus in Vrbe deputatis idonei reperti, & approbati fuerint, ac à Nobis licentiam in ſcriptis obtinuerint; Qui ſecus fecerint, ab ordinum executione eo ipſo ſuſpenſi ſint, & exiſtant, donec à S. D. N. PP. & S. Sede Apoſtolica, abſolutionis, & habilitationis gratiam obtinuerint, prout aliàs tempore fel. rec. Clementis VIII. literæ publicatæ fuerunt, & in ſecretaria noſtra ſemper publicè affixæ permanſerunt. Decernentes præſentium executionem in locis ſolitis, di-

miſſis illarum copijs impreſſis, ita quemlibet afficere, perindè ac ſi perſonaliter vnicuique intimatæ fuiſſent, vel oſtenſæ. In quorum fidem &c. Dat. Romæ hac die 15. Maij 1664.

O. Archiepiſc. Patracen. Viceſg.

Ioſeph Palamolla Secret.

MO-

Digitized by Google

MODVS

EXPLORANDI VOLVNTATEM initiandi prima Tonſura;

Interrogetur.

AN ex ſuæ propenſione voluntatis, An vero Parentum incitatione ad clericalem ſtatum impellatur.

An verè propoſitum in eodem ſtatu perſeuerandi teneat, & ad maiores ordines aſcendendi, Deoque inſeruiendi, non autem ſecularis Iudicij fugiendi, aliaue fraude hoc vitæ genus eligere cupiat.

FIDES REQVISITORVM pro promouendis ad Ordines.

Pro Prima Tonſura.

1 De Baptiſmo, natalibus, & ætate ſeptem ſaltem annorum completorum.
2 De Confirmatione.
3 De vita, & moribus, Doctrinæque Chriſtianæ frequentatione.
4 De Schola.
5 De denunciatione nominis, & deſiderij facta in Eccleſia ſuæ Parochiæ.

Pro Minoribus Ordinibus.

1 De prima Tonſura, vel vltimo ordine ſuſcepto.
2 De vita, & moribus, & habitus clericalis geſtatione.
3 De frequenti perceptione Sacræ Communionis; & quoad Acolytatum de ætate duodecim annorum.
4 De frequentatione Doctrinæ Chriſtianæ.
5 De exercitio Ordinum ſuſceptorum, & ſeruitio Eccleſiæ, cui eſt adſcriptus, præſtito, niſi ſtudiorum cauſa abſit.
6 De Schola.
7 De frequentatione collationum Caſuum Conſcieutiæ.

Pro Subdiaconatu.

1 De vltimo ordine minore ſuſcepto.
2 De denunciationibus in Eccleſia Parochiali factis tam quoad nomen, & deſiderium perſonæ ordinandæ, quàm quoad beneficium, ſeu penſionem, ſeu patrimonium, & de pacifica poſſeſſione eiuſdem.
3 De ætate annorum viginti duorum inceptorum.
4 De ordinis ſuſcepti exercitio, & ſeruitio Eccleſię, cui eſt adſcriptus pręſtito, & clericalis habitus geſtatione.
5 De frequentatione Sacræ Communionis.

6 De

6 De natalibus, vita, & moribus, Doctrinæque Chriſtianæ frequentatione.

7 De frequentatione Collationum caſuum conſcientiæ.

8 De ſeceſſu apud Sacerdotes Miſſionarios in Vrbe facto.

9 De titulo, ad quem ordinari petit, eiuſque pacifica poſſeſſione, & fructuum indè perceptione.

Pro Diaconatu.

1 De ordine Subdiaconatus ſuſcepti.

2 De denunciationibus, vt ſuprà.

3 De ætate viginti trium annorum inceptorum.

4 De Subdiaconatus exercitio, & ſeruitio Eccleſię, cui eſt adſcriptus prędito, & clericalis habitus geſtatione.

5 De frequentatione Sacrę Communionis.

6 De natalibus, vita, & moribus, Doctrinęque Chriſtianæ frequentatione.

7 De frequentatione collationum Caſuum conſcientię.

8 De ſeceſſu apud Sacerdotes Miſſionarios in Vrbe facto.

9 De titulo, ad quem ordinari petit, eiuſque pacifica poſſeſſione, & fructuum indè perceptione.

Pro

FORMVLÆ

DENVNCIATIONVM AD ORDINES Promouendorum, & diuerſarum literarum teſtimonialium in noſtra Curia exhibendarum iuxta S.S. Canonum, & Concilij Tridentini, noſtrarumque Synodalium Conſtitutionum præſcriptum.

PRO PRIMA TONSVRA.

Formula literarum teſtimonialium Parochi de requiſitis pro Prima Tonſura vſurpanda quando vnus, & idem Parochus ſcilicet originis poteſt, & vult omnia vnica complecti ſcriptura.

Ego infraſciptus Archipresbyter Plebis N. ſeu Parochus Eccleſiæ Parochialis Sancti N. præſentibus literis medio iuramento teſtor N. in anno ætatis . . . . conſtitutum filium legitimum N. N. Coniugum, ex mea Parochia fuiſſe baptizatum ſub die . . . . vt conſtat ex libro Baptizatorum dictæ meæ Parochiæ, in quo ſic habetur.

Hic ponantur ipſamet verba dicti libri.

Item teſtor fuiſſe confirmatum ab Eminentiſſimo ac Reuerendiſſimo Domino, Domino Cardinali Ab-

Digitized by Google

li Abbate noſtro, ſeu à Reuerendiſſimo Epiſcopo N. de licentia Eminentiſſimæ Dominationis ſuę, vt liquet ex libro Confirmatorum eiuſdem Parochiæ: in quo ita habetur, Concil. Trid. c. 4. ſeſſ. 23. reform.

Hic pariter ponantur verba dicti libri.

Concil. d. cap. 4. Item morum, & vitæ intègritate commendari, omnibuſque diebus Dominicis, & feſtis Doctrinam Chriſtianam iuxta præſcriptum Synodalium Conſtitutionum frequentaſſe.

In quorum fidem manu propria has præſentes literas ſcripſi, ſubſcripſi, & ſigillo meo muniui.

Datum in ædibus Parochialibus Eccleſiæ S. N. die . . . menſe . . . . . . Anno . . . .

Ego N. Archipresbyter Plebis N. ſeù Rector Parochialis Eccleſiæ S. N.

Formulæ earundem literarum teſtimonialium de requiſitis pro Prima Tonſuræ vſurpandæ, vel quando Parochus, qui de omnibus poteſt teſtificari, eadem pluribus ſcripturis vult complecti; vel quando diuerſi Parochi alius aliud ex dictis requiſitis teſtificantes, eadem ſeparatis ſcripturis complecti neceſſe habent.

For-

Formula literarum teſtimonialium de Baptiſmo, natalibus, & ætate pro Prima Tonſura.

Ego infraſcriptus Archipresbyter Plebis N. vel Rector Parochialis Eccleſiæ S. N. teſtor N. in . . . ætatis anno conſtitutum filium legitimum N. N. Coniugum ex hac mea Parochia fuiſſe baptizatum ſub die . . vt ſcriptum in libro Baptizatorum huius Parochiæ habetur.

Hic ponantur ipſamet verba dicti libri.

In cuius rei fidem pręſentes literas etiam medio iuramento manu propria ſcripſi, ſubſcripſi, & ſigillo meo muniui die . . menſis . . . . . . Anno . . . .

Ego N. Archipresbyter &c. vel Rector &c.

Formula literarum teſtimonialium de Sacramento Confirmationis pro Prima Tonſura.

Ego infraſcriptus Archipresbyter Plebis N., ſeu Rector Eccleſiæ Parochialis S. N. teſtor N. Sacramentum Confirmationis ſuſcepiſſe.

Ponantur hic verba libri Confirmatorum. Concil. Triden. ſeſſ. 23. de refor. cap. 4.

In cuius rei fidem has præſentes literas medio iuramento manu propria ſcripſi, ſubſcripſi, & ſi-

gillo meo muniui die . . . menſis . . . . . .
Anno . . . .

Ego N. Archipresbyter &c. ſeu Rector &c.

Formula literarum teſtimonialium de vita, moribus Doctrinæque Chriſtianæ frequentatione pro Prima Tonſura.

Ego infraſcriptus Archipresbyter Plebis N., ſeu Rector Parochialis Eccleſiæ S. N. teſtor N. ex mea Parochia eſſe honeſtis moribus quantùm humana fragilitas noſſe ſinit, & patitur, bonæ famæ, omnibuſque diebus Dominicis, & Feſtis Doctrinam Chriſtianam iuxta Synodalium Conſtitutionum præſcriptum frequentaſſe. In quorum fidem has præſentes literas etiam medio iuramento manu propria ſcripſi, ſubſcripſi, & ſigillo meo muniui. Datum in ædibus Parochialibus die . . menſis . . . . . Anno . . .

Concil. Triden. d. cap. 4.

Ego N. Archipresbyter &c. ſeu Rector &c.

Formula literarum teſtimonialium Ludimagiſtri de bonis moribus, & profectu in literis pro Prima Tonſura.

Ego N. infraſcriptus Ludimagiſter, qui approbatus, & emiſſa Fidei profeſſione doceo Grāmaticam, ſeu literas humaniores in Parochia S. N. medio iuramento fidem facio N., qui ad primam

Cle-

Clericalem Tonſuram admitti cupit, meā Scholam ab anno . . . . vſque ad . . . . modeſtè frequentare ſolitum eſſe, & bonæ indolis, boniſque moribus præditum, & Chriſtianè educatum eſſe, ac in literis non pœnitendos progreſſus feciſſe. In quorum fidem medio iuramento præſentes mea manu propria ſcripſi, ſubſcripſi, & ſigillo meo muniui. Datum in ædibus noſtris die . . menſis . . . . Anno . . .

Ego N. Præceptor ſcripſi, ac ſubſcripſi.

Formula della Dinuntia da farſi in Chieſa in giorno di feſta dal Paroco alla Meſſa per la Prima Tonſura.

Deſiderando N. di queſta Parochia di S. N. eſſer aſcritto alla Militia Clericale con pigliare la Prima Tonſura, ſe alcuno ſapeſſe, che haueſſe canonico impedimento per il quale non poteſſe aſcriuerſi nella detta Militia Clericale, come di non legitimo matrimonio nato, non confirmato, ſcommunicato, interdetto, irregolare, inquiſito, proceſſato, e condannato, ouero haueſſe altro perſonale difetto, debba per carità, & in virtù di ſant' obedienza à me riuelarlo in termine di otto giorni, acciò non trouandoſi alcuno de' ſudetti impedimenti poſſa pigliare la Prima Tonſura.

Concil. Triden. ſeſſ. 23. cap. 4. de reform.

Formula literarum teſtimonialium de eadem Denunciatione, vt ſupra, facta pro prima Tonſura.

Ego infraſcriptus Archipresbyter Eccleſiæ S. N. ſeu Rector Eccleſiæ Parochialis S. N. teſtificor, & fidem facio, inter miſſarum celebrationem, nomen, cognomen, & deſiderium, die feſtiuo videlicet die . . . menſis . . . anno . . . in dicta Eccleſia me denunciaſſe, & promulgatis ijs, quæ impedire poſſunt, quò minus idem N. ad Clericalem ſtatum promoueri poſſet, omnes, & ſingulos monuiſſe, vt, ſi quod notum haberent Canonicum impedimentum, & probabilem coniecturam dictum N. ſecularis Iudicij fugiendi cauſa, & non Deo fidelem cultum præſtandi, hoc vitæ genus elegiſſe, chriſtiana ducti charitate, & præcepto obedientiæ obſtricti ad me deferrent, nullumque oppoſitum fuiſſe impedimentum. In quorum fidem mea manu, interpoſito etiam iuramento, pręſentes literas ſubſcripſi, & ſigillo meo muniui die . . menſis . . anno . . .

Ego N. Archipresbyter &c. ſeu Rector &c.

PRO

Digitized by Google

PRO MINORIBVS ORDINIBVS.

Formula literarum teſtimonialium Parochi de requiſitis pro Minoribus Ordinibus, vſurpanda quando vnus, & idem Parochus ea omnia teſtificans, eadem vnica vult complecti ſcriptura.

Ego N. Archipresbyter Plebis N., ſeu Rector Eccleſiæ Parochialis S. N. his præſentibus literis, medio iuramento, teſtor N. Eccleſię meæ Parochiali adſcriptum in collatione primæ Clericalis Tonſuræ, functiones ſui ordinis exercuiſſe, & temporibus præſcriptis à Synodi Conſtitutionibus Sacram Communionem ſumpſiſſe: Habitum, & Clericalem Tonſuram geſtaſſe: ac probis moribus præditum eſſe: aſſiduaque ſua opera me adiuuare in Doctrina Chriſtiana tradenda. In quorum fidem mea manu propria pręſentes ſcripſi, ac ſubſcripſi, & ſigillo meo muniui. Datum in ædibus Parochialis Eccleſiæ S. N. die . . menſis . . . anno . . . .

Concil. Triden. ſeſſ. 23. de refor. cap. 5. & 11.

Ego N. Archipresbyter Plebis N. ſeu Rector Parochialis Eccleſiæ S. N.

Formulæ literarum teſtimonialium Parochi de requiſitis pro Minoribus Ordinibus, vſurpandæ, vel quando vnus, & idem Parochus de omnibus teſtificans, eadem ſeparatis vult complecti ſcripturis, vel quando diuerſi Parochi, alius aliud ex dictis requiſitis teſtificans,

cans, eadem ſeparatis complecti ſcripturis neceſſe habent.

Formula literarum teſtimonialium de vita, & moribus, ac Clericalis habitus geſtatione pro Minoribus Ordinibus.

Concil. Triden. ſeſſ. 23. de refor. cap. 5.

Ego infraſcriptus Archipresbyter Plebis N. ſeu Parochus Eccleſiæ S. N. teſtór N. ex mea Parochia, qui ad Ordinem N. promoueri cupit, eſſe vitæ integritate, bona fama, atque honeſtis moribus præditum, quantùm humana fragilitas noſſe ſinit, & patitur, habituque Clericali, & tonſura ſemper inceſſiſſe. In quorum fidem pręſentes literas teſtimoniales, etiam medio iuramento manu mea ſubſcripſi, & mei ſigilli impreſſione muniui die . . menſis . . . anno .

Ego N. &c.

Formula literarum teſtimonialium de frequenti perceptione S. Communionis pro Minoribus Ordinibus.

Concil. Triden. ſeſſ. 23. c. 11.

Ego infraſcriptus Archipresbyter Plebis N. ſeu Rector Eccleſiæ S. N. teſtor, N. ad Clericalem tonſuram, vel ad Ordinem N. reſpectiuè promotum, frequenter, & in ſpecie, omnibus temporibus per Sinodales Conſtitutiones ſtatutis, Sacroſanctæ Euchariſtiæ pabulo religiosè refectum fuiſſe. In quorum fidem, præſentes literas

teras

teras teſtimoniales, interpoſito etiam iuramento, manu mea ſubſcripſi, & ſigilli mei impreſſione muniui die . . menſis . . . anno . . .

Ego N. &c.

Formula literarum teſtimonialium de frequentatione Doctrinæ Chriſtianæ pro Minoribus Ordinibus.

Ego infraſcriptus Archipresbyter, vel Parochus Eccleſiæ S. N. fidem facio N. ad Clericalem tonſuram, vel ad ordinem N. reſpectiuè promotum, Doctrinę Chriſtianæ eiuſdem Eccleſiæ catalogo adſcriptum die . . menſis . . . . anno . . . aſſiduo labore ad Doctrinam Chriſtianam incubuiſſe vſque ad diem . . menſis . . . anno . . In quorum fidem præſentes literas iuramento interpoſito ſubſcripſi die . . menſis . . anno .

Ego N. &c.

Formula literarum teſtimonialium de ſeruitio Eccleſiæ præſtito pro Minoribus Ordinibus.

Ego infraſcriptus Archipresbyter Plebis N. ſeu Rector Eccleſiæ S. N. teſtor N. ad ordinem N. promotum, & dictæ Eccleſiæ adſcriptum, vt in ea eiuſdem ſuſcepti Ordinis functiones exerceret, ad præſcriprum Eminentiſſimi, & Reuerendiſſimi D. D. Cardinalis Abbatis noſtri, idem munus in Clericali habitu, & tonſura diebus Domi-

Concil. Triden. ſeſſ. 23. de refor. cap. 6. & 11.

minicis, feſtiſque in eadem Eccleſia decenter obijſſe. In quorum fidem præſentes literas teſtimoniales, etiam medio iuramento, manu mea ſubſcripſi, & ſigillo meo muniui die . . menſis . . . . . anno . . .

Ego N.

Formula literarum teſtimonialium Ludimagiſtri pro Minoribus Ordinibus.

Concil. Triden. ſeſſ.23. de refor. cap.5.

Ego N. infraſcriptus Ludimagiſter, qui approbatus, & emiſſa fidei profeſſione doceo Grammaticam, ſeu literas humaniores in Parochia S. N. medio iuramento fidem facio N. qui ad ordinem N. admitti cupit, meam ſcholam ab anno . . . vſque ad . . . . modeſtè frequentare ſolitum eſſe, & bonę indolis, boniſque moribus præditum, & Chriſtianè educatum eſſe, ac in literis non pœnitendos progreſſus feciſſe. In quorum fidem medio iuramento mea manu propria præſentes ſcripſi, ſubſcripſi, & ſigillo meo muniui. Datum in ædibus meis die . . menſis . . . . anno . . .

Ego N. Præceptor ſcripſi, ac ſubſcripſi.

For-

Digitized by Google

Formula literarum teſtimonialium de frequentatione Collationum Caſuum Conſcientiæ pro Minoribus Ordinibus.

Ego infraſcriptus in hoc Parochiarum N. N. diſtrictu, mihi iuxta generalem Oppidorum huius Abbatiæ partitionem in Synodo factam attributo ad præſidendum diſceptationibus Caſuum Conſcientiæ ibidem ex eiuſdem Synodi præſcripto fieri ſolitis, teſtor N. Clericum ex Parochia S.N. eaſdem per annos . . vel menſes . . continenter, diligenter, & cum fructu frequentare, in cuius rei fidem has præſentes literas etiam interpoſito iuramento manu propria ſcripſi, ſubſcripſi, & ſigillo meo muniui. Datum . . . . die . . menſis . . . . anno . . . .

Ego N. Archipresbyter &c. vel Rector &c. ſeu Vicarius Foraneus Præſes Collationum Caſuum conſcientiæ in diſtrictu Parochiarum N.N.

PRO MAIORIBVS ORDINIBVS.

Formula literarum teſtimonialium Parochi de requiſitis pro Sacris Ordinibus, vſurpanda quando vnus, & idem Parochus ea omnia teſtificans, eadem vnica vult complecti ſcriptura.

Ego infraſcriptus Archipresbyter Plebis N. ſeu Rector Eccleſiæ Parochialis Sancti N. his præſenti-

Concil. Triden. ſeſſ. 23. de refor. c. 5. & 13.

bus literis medio iuramento teſtor N. promotum ad Ordines Minores, & meæ Eccleſiæ aſſignatum, vt in ea functiones ſui Ordinis exerceret, prædictas functiones exercuiſſe: Sacramque Euchariſtiam ſtatis per Synodales Conſtitutiones temporibus, ſumpſiſſe: Meque in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia eius nomen, ac voluntatem Sacrum N. Ordinem ſuſcipiendi, beneficiumque vel penſionem, vel patrimonium ad cuius titulum ordinari petit, denunciaſſe: Item me curaſſe, vt certior fierem de natalibus, vita, ac moribus ipſius, quem idoneum eſſe exiſtimo, qui ad prædictum Ordinem ſacrum admittatur: Inſuper teſtor, eum mihi aſſiduam operam nauare in Doctrina Chriſtiana tradenda: Semperque habitum, & clericalem Tonſuram detuliſſe. Natumque ex legitimis parentibus, vt ex libro Baptizatorum conſtat, videlicet,

Hic ponantur verba præciſa dicti libri, ſi in eius Eccleſia ſit Fons Baptiſmalis; Alioquin habeantut à Parocho, in cuius Eccleſia fuit baptizatus.

In quorũ fidem præſentes mea manu propria ſcripſi, ac ſubſcripſi, & ſigillo meo muniui. Datum in ędibus Parochialis Eccleſiæ S.N. die . . menſis . . . . anno : . . .

Ego N. Archipresbyter Plebis N. ſeu Rector Parochialis Eccleſiæ S.N. ſcripſi, ac ſubſcripſi.

For-

Formula di Denuntie da farſi in Chieſa dal Paroco in trè giorni feſtiui alla Meſſa, per gli Ordini Sacri à titolo di benefitio, penſione, ò patrimonio.

Eſſendo, che il Chierico N. di queſta Parochia di S. N. deſidera eſſere promoſſo al ſacro Ordine del Subdiaconato à titolo del ſuo benefitio, ò penſione, ò patrimonio in conformità del Sacro Concilio di Trento, e douendoſi queſto ſuo deſiderio manifeſtare à tutti, ſe alcuno ſapeſſe, che il ſudetto N. habbia qualche canonico impedimento, per il quale ſia inhabile al detto ſacro Ordine, cioè, che non fuſſe di legitimo matrimonio nato, ò fuſſe ſcommunicato, interdetto, irregolare, inquiſito, querelato, proceſſato, e condennato, ò haueſſe altro difetto notabile perſonale, ò fuſſe anche di mala vita, e coſtumi, ò che non legitimamente, e pacificamente poſſedeſſe il benefitio, ò penſione, ò patrimonio, al cui titolo deue ordinarſi conſiſtente in pezzi di Terreno . . . vocabolo . . . Territorio . . , e che non fuſſe di annua rendita libera di ſcudi trentaſei moneta corrente per la ſua ſufficiente, e congrua ſuſtentatione, e che il detto patrimonio ſia ſottopoſto à fidecommiſſo, ò grauezze, obligato, ò hipotecato, ò che ſia finto, ſimulato, ò fiduciario, ò che quello, che hà coſtituito, fatto, ò donato il patrimonio ſia talmente grauato di debiti perſonali, che non li reſtino altri beni

Concil. Triden. ſeſſ. 23. de reform. c. 5.

Nn 2 per

per ſua ſufficiente ſoſtentatione, e della ſua famiglia, per carità ſi prega, & in virtù di ſant'obedienza ſe gli comanda, che lo debba in termine di otto giorni manifeſtare à me, acciò poſſa riferirlo all'Eminentiſſimo, e Reuerendiſſimo Sig. Cardinale noſtro Abbate, ouero al Reuerendiſſimo Sig. Vicario Generale, e non trouandoſi alcuno de' ſudetti impedimenti, poſſa conſeguire il ſudetto ſacro Ordine, e queſta è la prima denuntia.

E così ſi faccia nella ſeconda, e terza, ſi come per il Diaconato, e Presbyterato, mutando il nome di Chierico, in Subdiacono, e di Subdiacono, in Diacono.

Formulæ literarum teſtimonialium de ſingulis requiſitis ſingillatim ſumptis pro Sacris Ordinibus.

Formula literarum teſtimonialium Parochi de Denunciatione, vt ſuprà, facta, & de natalibus, vita, moribus.

Ego infraſcriptus Archipresbyter Eccleſię S. N. ſeu Rector Parochialis Eccleſiæ &c. fidem facio, & atteſtor, qualiter, vigore literarum mihi ab Eminentiſſimo, & Reuerendiſſimo Domino Abbate noſtro ſub die . . . tranſmiſſarum, N. ex mea Parochia ſacro Ordine . . . in futura proxima ordinatione initiari cupientem ad titulum bene-

Concil. Triden. d. cap. 5.

Digitized by Google

beneficij Eccleſiaſtici ſub inuocatione S. . . . . annui reditus ſcutorum . . . . vel ad titulum penſionis ſcutorum . . . . ſibi reſeruatæ ſuper benefitio Eccleſiaſtico in Eccleſia S.N., vel ad titulum ſui patrimonij conſiſtentis in vno Prædio &c. annui reditus ſcutorum . . . denunciaui, ac illius nomen, & deſiderium in dicta Eccleſia tribus diebus feſtiuis, videlicet, die . . . menſis . . . anno . . . inter Miſſarum celebrationem publicè propoſui, promulgatiſque ijs, quæ impedire poſſunt, quò minùs ille ad prædictum ſacrum Ordinem promoueri poſſit, non ſolùm quoad illius mores, verùm etiam quoad qualitates beneficij, ſeu penſionis, ſeu patrimonij omnes, & ſingulos monui, vt ſi quod cognoſcerent, atque ſcirent Canonicum impedimentum, charitate Chriſtiana, & præcepto obedientiæ ducti, ad me deferrent, nullumque fuit oppoſitum, ſed bonum teſtimonium de legitimis eiuſdem natalibus, moribus, & vita à fide dignis diligenti facta inquiſitione comperi. In quorum fidem &c. medio iuramento præſentes teſtimoniales literas ſcripſi, & ſubſcripſi manu mea ſignique mei impreſſione muniui die &c.

Ego N. Archipresbyter Plebis N. ſeu Rector Parochialis Eccleſiæ S. N. &c.

For-

Formulæ literarum teſtimonialium de ætate Ordinandorum in Sacris.

Concil. Triden. ſeſſ. 23. de ref. cap. 12.

Ego infraſcriptus Archipresbyter Plebis N. ſeu Parochus Eccleſiæ S. N. teſtor, me adinueniſſe in libro, in quo deſcripti ſunt Baptizati in dicta Eccleſia, huius natalis memoriam his verbis adnotatam, videlicet,

Hic ponantur verba præciſa dicti libri Baptizatorum.

In cuius fidem præſentes literas teſtimoniales etiam medio iuramento manu mea ſubſcripſi, & ſigillo meo muniui die . . menſis . . . . anno . .
Ego N. &c.

Formula literarum teſtimonialium de ordinum functionibus, & ſeruitio Eccleſiæ præſtito cum geſtatione habitus, & tonſuræ pro Sacris Ordinibus.

Concil. Triden. ſeſſ. 23. de refor. cap. 13.

Ego infraſcriptus Archipresbyter, ſeu Rector Eccleſiæ S.N. teſtor, N. ad ordinem N. promotum, & dictæ Eccleſiæ adſcriptum, vt in ea eiuſdem Ordinis ſuſcepti functiones exerceret, ad præſcriptum Eminentiſſimi, ac Reuerendiſſimi D.D. Abbatis noſtri, idem munus, diebus Dominicis, & feſtis in eadem Eccleſia decenter obijſſe, & tunc, ac aliàs in Clericali habitu, & tonſura incedere ſolitum eſſe. In quorum fidem præſentes literas teſti-

ſti mo-

Digitized by Google

ſtimoniales, etiam medio iuramento manu mea ſubſcripſi, ac ſigilli mei impreſſione muniui die . . menſis . . . anno . . . .

Ego N. &c.

Formula literarum teſtimonialium de frequentatione S. Communionis pro Sacris Ordinibus.

Ego infraſcriptus Archipresbyter, ſeu Rector Eccleſiæ S.N. teſtor N. ad ordinem N. promotum, in dicta Eccleſia, ſtatis per Synodales Conſtitutiones temporibus, Sacroſanctam Euchariſtiam ſumpſiſſe. In quorum fidem præſentes literas teſtimoniales, etiam medio iuramento, manu mea ſubſcripſi, & ſigillo meo muniui die . . menſis . . . anno . . . . Concil. Triden. ſeſſ. 23. de refor. cap. 13.

Ego N. &c.

Formula literarum teſtimonialium de natalibus, moribus, & frequentatione Doctrinæ Chriſtianæ pro Sacris Ordinibus.

Ego infraſcriptus Archipresbyter, vel Parochus Eccleſiæ S.N. fidem facio N. eſſe legitimis natalibus, & bonis moribus, & catalogo Scholæ Doctrinæ Chriſtianæ eiuſdem Eccleſiæ adſcriptum die . . menſis . . . anno . . . aſſiduo exercitio, ac vigili labore ad Doctrinam Chriſtianam incubuiſſe vſque ad diem . . menſis . . . anno

In

. . . . In quorum fidem præſentes literas iuramento interpoſito ſubſcripſi die . . menſis . . anno . . . .

Ego N. &c:

Formula literarum teſtimonialium de frequentatione Collationum Caſuum Conſcientiæ pro Ordinando in Sacris.

Ego infraſcriptus in hoc Parochiarum N. N. diſtri-ctu, mihi iuxta generalem Oppidorum huius Abbatiæ partitionem in Synodo factam attributo ad præſidendum diſceptationibus Caſuum Conſciẽtiæ ibidem ex eiuſdem Synodi præſcripto fieri ſolitis, teſtor N. Clericum ex Parochia N. ad Sacrum Ordinem N. promoueri cupientem eaſdem per annos . . . vel menſes . . . continenter, diligenter, & cum fructu frequentare. In cuius rei fidem has pręſentes literas etiam interpoſito iuramento, manu propria ſcripſi, ſubſcripſi, ac ſigillo meo muniui. Datum die . . menſis . . . . . anno . . . .

Ego N. Archipresbyter &c. vel Rector &c. ſeu Vicarius Foraneus Pręſes Collationum Caſuum Conſcientię in diſtrictu Parochiarum N. N.

For-

Digitized by Google

Formula Teſtimonij Notarij de Titulo Beneficij pro eodem Ordinando.

Per has literas fidē facio Ego infraſcriptus Notarius Curiæ Abbatialis noſtræ R. D. N. qui ad Sacros Ordines promoueri cupit, habere Beneficiū Eccleſiaſticū in Eccleſia S.N. ſub titulo S.N. vt conſtat ex literis collationis illi factæ, illudq; verè, & pacificè poſſidere, & eſſe annui reditus ſcutorum . . prout teſtes ſuper his à me examinati depoſuerūt, & apparet in actis meis: Teſtorque Reuerendiſſimum D. Eminentiſſimi, ac Reuerendiſſimi D. D. Cardinalis Abbatis noſtri Vicarium Generalem pronunciaſſe, & declaraſſe prædictum Beneficium eſſe ſufficiens, ita vt idem R. D. N. ſuprà nominatus ad illius titulum Sacris Ordinibus initiari valeat, vt conſtat in Decreto per me Notarium rogato. In quorum fidem has literas meo ſolito Tabellionatus ſigno, meaque manu roboraui die . . menſis . . . . anno . . .

Concil. Triden. ſeſſ. 21. de refor. cap. 2.

Ità eſt Ego N. &c.

Formula Teſtimonij Notarij de titulo Penſionis pro eodem Ordinando.

Prǽſentibus literis fidem facio Ego infraſcriptus Curiæ Abbatialis noſtræ Notarius, R. D. N. qui ad Sacros Ordines promoueri cupit, habere Penſionem ſuper Beneficio Eccleſiaſtico in Eccleſia S.N.

Concil. Triden. ſeſſ. 21. cap. 2. de reform.

Digitized by Google

ſub titulo S.N., vt conſtat in literis ipſius Penſionis datis Romæ die . . menſis . . . anno . . illamque verè, & pacificè poſſidere, & eſſe annui reditus ſcutorum . . . . prout teſtes ſuper his à me examinati depoſuerunt, & apparet in actis meis. Teſtorque Reuerendiſſimum D. Eminentiſsimi, ac Reuerendiſsimi D.D. Cardinalis Abbatis noſtri Vicarium Generalem pronunciaſſe, & declaraſſe, prędictam penſionem eſſe ſufficientem, ita vt idem R.D. ſupranominatus ad illius titulum Sacris Ordinibus initiari valeat, vt conſtat in Decreto per me Notarium rogato. In quorum fidem præſentes literas meo ſolito Tabellionatus ſigno, meaque manu roboraui die . . . menſis . . . . . anno . . .

Ità eſt Ego N. &c.

Formula Teſtimonij Notarij de titulo Patrimonij pro eodem Ordinando.

Vniuerſis, & ſingulis præſentes literas inſpecturis atteſtor, & fidem facio Ego Notarius infraſcriptus, me die . . menſis . . . . . anno . . . rogatum extitiſſe de aſſignatione Patrimonij facti R.º D.º N. à D.º N. quod Patrimonium conſiſtit in N., & eſt annui reditus, quoad partem Dominicalem, ſcutorum 36. Teſtorque dictum Patrimonium à Reuerendiſſimo D. Eminentiſſimi, ac Reuerendiſſimi D.D. Cardinalis Abbatis

Concil. Triden. d. cap. 2.

noſtri

Digitized by Google

noſtri Vicario Generali approbatum fuiſſe, ita vt ad titulum illius ipſe R. D. ſupranominatus ad Sacros Ordines promoueri valeat, prout latiùs ex Inſtrumento prædictæ aſſignationis conſtat. In quorum fidem has literas meo ſolito Tabellionatus ſigno, meaque manu roboraui die . . . menſis . . . . anno . . .

Ità eſt Ego N. &c.

Alia formula teſtimonij Notarij de dicto Patrimonio, & eius pacifica poſſeſſione, & fructuum perceptione pro eodem Ordinando.

Atteſtor Ego infraſcriptus Notarius Curię Abbatialis noſtræ, aſsignatũ fuiſſe R.° D.° N. à D.° N. Patrimoniũ conſiſtẽs in N., & eſt annui reditus ſcutorum 36. cũ approbatione, & decreto Reuerendiſſimi D. Vicarij Generalis Eminentiſsimi, ac Reuerendiſsimi D.D. Cardinalis Abbatis noſtri, vt conſtat ex Inſtrumento rogato per D.N. Notarium publicum noſtrum, illudque ab eodem R. D. ſupranominato verè, & pacificè poſſideri, ac prouentus, ſeu fructus illius percipi, prout Teſtes ſuper prædictis à me examinati die . . menſis . . . . anno . . . . depoſuerunt, & apparet in actis meis. In quorum fidem præſentes literas meo ſolito Tabellionatus ſigno, meaque manu roboraui die . . menſis . . . anno . . .

Ità eſt Ego N. &c.

Digitized by Google

Digitized by Google

LETTERA CIRCOLARE
Del Sig. Cardinal Barberino al Sig. Cardinal N. circa l'eſame de' Teſtimonij ne' contratti Matrimoniali.

Eminentiſſimo, e Reuerendiſſimo Signor mio oſſeruandiſſimo.

PRemendo alla Santità di Noſtro Signore di ouuiare quanto mai ſia poſſibile à i delitti delle Poligamie, che ſono pur troppo frequenti, e d'ageuolare inſieme dentro à i permeſſi limiti le proue de' ſtati liberi, hà con paterno ſtudio applicato à riuedere l'Inſtruttione preſcritta da queſto Supremo Tribunale del S. Officio per l'eſame de' Teſtimonij, che s'inducono per contrarre i Matrimonij, & hà col parere anche di queſti miei Eminentiſſimi Colleghi Signori Cardinali Generali Inquiſitori ordinato, che all'vno, & all'altro effetto ſi aggiuſtaſſe la medema inſtruttione nella forma, in cui ſi è concepita l'anneſſa, che s'inuia à V. E., acciò ſi degni di farla ſeruare in coteſta ſua Curia con la douuta eſatezza, onde niente ſi tralaſci di quello, che in eſſa, ſecondo la qualità de' caſi, ſi preſcriue, che tale è la mente di Sua Beatitudine, e la preſente lettera reſterà ſeruita V. E. di far regiſtrare nel ſuo Archiuio, perche rimanga à perpetua informatione di quelli, che le anderanno ſuccedendo nel ſuo Carico

Pa-

Paſtorale, e quì à V.E. bacio humiliſſimamente le mani. Roma 26. Settembre 1665.

Di V.E.

Humiliſs. & affettionatiſs. ſeru.
F. Cardinal Barberino.

I N-

INSTRVCTIO

PRO EXAMINE ILLORVM TESTIVM, qui inducuntur pro contrahendis Matrimonijs, tam in Curia Eminentiſſimi, & Reuerendiſſimi D. Cardinalis Vrbis Vicarij, quàm in alijs Curijs cæterorum Ordinariorum.

IN primis Teſtis moneatur de grauitate iuramenti in hoc præſertim negotio pertimeſcendi, in quo Diuina ſimul, & Humana Maieſtas læditur, ob rei, de qua tractatur, importantiam, & grauitatem, & quod imminet pœna triremium, & fuſtigationis deponenti falſum.

2. Interrogetur de nomine, cognomine, patria, ætate, exercitio, & habitatione.

3. An ſit Ciuis, vel exterus, & quatenus ſit exterus, à quanto tempore eſt in loco, in quo teſtis ipſe deponit.

4. An ad examen acceſſerit ſpontè, vel requiſitus; ſi dixerit acceſſiſſe ſpontè à nemine requiſitum, dimittatur, quia præſumitur mendax; ſi verò dixerit acceſſiſſe requiſitum; Interrogetur à quo, vel à quibus, vbi, quando, quomodo, coram quibus, & quoties fuerit requiſitus, & an ſciat adeſſe aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

5. In-

5. Interrogetur an ſibi pro hoc teſtimonio ferendo fuerit aliquid datum, promiſſum, remiſſum, vel oblatum à contrahere volentibus, vel ab alio ipſorum nomine.

6. Interrogetur, an cognoſcat ipſos contrahere volentes, & à quanto tempore; in quo loco, qua occaſione, & cuius qualitatis, vel conditionis exiſtant.

Si reſponderit negatiuè, teſtis dimittatur; ſi verò affirmatiuè,

7. Interrogetur, an contrahere volentes ſint Ciues, vel exteri, ſi reſponderit eſſe exteros, ſuperſedeatur in licentia contrahendi, donec per literas Ordinarij ipſorum contrahere volentium doceatur de eorum libero ſtatu de eo tempore, quo permanſerunt in ſua Ciuitate, vel Diœceſi. Ad probandum verò eorundem contrahere volentium ſtatum liberũ pro reliquo temporis ſpatio, ſcilicet vſque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur teſtes idonei, qui legitimè, & concludenter deponant ſtatum liberum contrahere volentium, & reddant ſufficientem rationem cauſæ eorum ſcientiæ, abſq; eo quod teneantur deferre atteſtationes Ordinariorum locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt:

Si verò reſponderit contrahere volentes eſſe Ciues,

8. Interrogetur ſub qua Parochia hactenus contrahere volentes habitarunt, vel habitent de preſenti.

9. Item

9. Item, an ipſe teſtis ſciat, aliquem ex prædictis contrahere volentibus quandoque habuiſſe vxorem, vel maritum;

Si reſponderit affirmatiuè, non procedatur ad licentiam, niſi producantur authenticæ, & legales atteſtationes, vel teſtes fide digni, & veriſimiliter informati de obitu coniugis defuncti:

Si verò teſtis reſponderit, non habuiſſe vxorem, vel maritum,

10. Interrogetur de cauſa ſcientiæ, & an ſit poſſibile, quod aliquis ex illis habuerit vxorem, vel maritum, & quod ipſe teſtis neſciat;

Si reſponderit affirmatiuè, ſuperſedeatur, niſi ex alijs teſtibus probetur concludenter, non habuiſſe vxorem, vel maritum:

Si verò reſponderit negatiuè,

11. Interrogetur de cauſa ſcientiæ, ex qua deinde Iudex colligere poterit, an teſti ſit danda fides;

Si reſponderit contrahere volentes habuiſſe vxorem, vel maritum, ſed eſſe mortuos,

12. Interrogetur de loco, & tempore, quo ſunt mortui, & quomodo ipſe teſtis ſciat fuiſſe coniuges, & nunc eſſe mortnos: Et ſi reſpondeat mortuos fuiſſe in aliquo Hoſpitali, vel vidiſſe ſepeliri in certa Eccleſia, vel occaſione militiæ ſepultos fuiſſe à militibus, non detur licentia contrahendi, niſi priùs recepto teſtimonio authentico à Rectore Hoſpitalis, in quo prædicti deceſſerunt, vel à Rectore Eccleſiæ, in qua humata fuerunt eorum cadauera, vel, ſi fieri

poteſt, à Duce illius Cohortis, in qua deſcriptus erat miles; Si tamen huiuſmodi teſtimonia haberi non poſſunt, Sac. Congregatio non intendit excludere alias probationes, quæ de iure communi poſſunt admitti, dummodò ſint legitimæ, & ſufficientes.

13. Interrogetur, an poſt mortem dicti coniugis defuncti, aliquis ex prædictis contrahere volentibus tranſierit ad ſecunda vota;

Si reſponderit negatiuè,

14. Interrogetur an eſſe poſſit, quòd aliquis ex illis tranſierit ad ſecunda vota abſque eo, quod ipſe teſtis ſciat;

Si reſponderit affirmatiuè, ſuperſedeatur in licentia, donec producantur teſtes, per quos negatiua coarctetur concludenter,

Si verò negatiuè,

15. Interrogetur de cauſa ſcientiæ, qua perpenſa, Iudex poterit iudicare an ſit concedenda licentia, nec nè.

Si contrahentes ſunt vagi, non procedatnr ad licentiam contrahendi, niſi doceant per fides Ordinariorum ſuorum eſſe liberos, & in alijs ſeruata forma Concilij Tridentini cap. multi, ſeſſ. 24.

Fides, aliaque documenta, quæ producuntur de partibus, non admittantur, niſi ſint munita ſigillo, & legalitate Epiſcopi Ordinarij, & recognita ſaltem per teſtes, qui habeant notam manum, & ſigillum, & attentè conſideretur, quòd fides, ſeu teſtimonia benè, & concludenter identificent perſonas, de quibus agitur.

Pro

Digitized by Google

Pro teſtibus in hac materia recipiantur magis cõſanguinei, quam extranei, quia præſumuntur meliùs informati, & Ciues magis, quam exteri, nec admittantur homines vagi, & milites, niſi data cauſa, & maturo conſilio, & Notarius exactè deſcribat perſonam teſtis; quem ſi cognoſcit, vtatur clauſula, *mihi benè cognitus*: ſin minùs, examen non recipiat, niſi vna cum perſona teſtis aliqua alia compareat cognita Notario, & quæ atteſtetur de nomine, & cognomine ipſius teſtis, nec non de idoneitate eiuſdem ad teſtimonium ferendum. Et huiuſmodi examinibus debet intereſſe in Vrbe vltra Notariũ Officialis ſpecialiter deputandus ab Eminentiſſimo Vicario, & extra Vrbem, vel Vicarius Epiſcopi, vel aliqua perſona inſignis, & idonea ab Epiſcopo ſpecialiter deputanda, alias puniatur Notarius arbitrio Sacræ Congregationis, & Ordinarius non permittat fieri publicationes.

Ordinarij præcipiant omnibus, & ſingulis Parochis in eorum Diœceſibus exiſtentibus, vt pro matrimonijs cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Eccleſijs, niſi certiorato Ordinario, à quo, vel eius Generali Vicario priùs teneantur authenticam reportare, quòd pro tali matrimonio fuerunt examinati teſtes in eorum tribunali, qui probant ſtatum liberum contrahere volentium &c.

Contrauenientes autem ſeuerè punientur.

ALIA INSTRVCTIO

PRO EXAMINE ILLORVM TESTIVM, qui inducuntur pro contrahendis matrimonijs tam in Curia Eminentiſſimi, & Reuerendiſſimi Domini Cardinalis Vrbis Vicarij, quàm in alijs Curijs cæterorum Ordinariorum nuperrimè edita.

Feria v. die 21. Auguſti 1670.

In Congregatione generali S. Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coràm Sanctiſſimo Domino Noſtro D. Clemente Diuina prouidentia Papa Decimo, ac Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis D. D. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtianæ contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

CVm aliàs per Sacram Congregationem Sancti Officij iteratis inſtructionibus ab eadem emanatis de anno 1658. & 1665. locorumque Ordinarijs tranſmiſſis prouiſum fuerit, vt præſcriptis Interrogatorijs faciendis teſtibus, qui ad probandum ſtatum liberum contrahentium matrimonium inducuntur, omnis prorsùs ſecluderetur

aditus

aditus ijs; qui ad huc viuente altero Coniuge, aut aliàs impediti ad ſecunda illicita vota tranſire ſatagebant: Videns nihilominus Sanctiſſimus D. N. quamplures locorum Ordinarios, vel eorum Vicarios, & Deputatos ad excipiendas teſtium depoſitiones, nec non Parochos, & Notarios in caſibus expreſſis, aut omittere, aut non obſeruare earundem Inſtructionum tenorem; Et licet aliquando plenè obſeruent, non tamen interrogare teſtes ſuper alijs impedimentis dirimentibus;

Ideo volens Sanctitas Sua prædictis malis occurrere, re maturè conſiderata cum Eminentiſs. & Reuerendiſs. D.D. Cardinalibus generalibus Inquiſitoribus, præſenti Decreto perpetuis futuris temporibus duraturo iterùm iniungit omnibus Vicarijs, ſeu Deputatis pro examinandis teſtibus ad probandum ſtatum liberum contrahentium matrimonium, nec non Parochis, Notarijs, & quibuſcunque alijs reſpectiuè, ſub pœnis etiam grauibus corporalibus arbitrio Sacræ Congregationis, Vt Inſtructionem infraſcriptam ad vnguem obſeruent.

Vt autem præſens Decretum, & Inſtructio ad omnium notitiam faciliùs deueniant, decreuit, illa ad Valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ de Vrbe, ac Palatio Sancti Officij eiuſdem Vrbis per aliquem ex Curſoribus Sanctitatis Suæ publicari, ac eorum exempla ibidem affixa relinqui; illaque ſic publicata omnes, & ſingulos, quos concernunt,

poſt

poſt duos mẽſes à die publicationis in Vrbe faciendę numerandos, perindè afficere, aç arctare, ac ſi illorum vnicuiq; perſonaliter notificata, & intimata fuiſſent.

INSTRVCTIO.

IN primis Teſtis moneatur de grauitate iuramenti in hoc præſertim negotio pertimeſcendi, in quo Diuina ſimul, & humana Maieſtas læditur, ob rei, de qua tractatur, importantiam, & grauitatem, & quod imminet pœna triremium, & fuſtigationis deponenti falſum.

2. Interrogetur de nomine, cognomine, patria, ætate, exercitio, & habitatione.

3. An ſit Ciuis, vel exterus, & quatenus ſit exterus, à quanto tempore eſt in loco, in quo teſtis ipſe deponit.

4. An ad examen acceſſerit ſpontè, vel requiſitus; ſi dixerit acceſſiſſe ſpontè à nemine requiſitum, dimittatur, quia præſumitur mendax; ſi verò dixerit acceſſiſſe requiſitum; Interrogetur à quo, vel à quibus, vbi, quando, quomodo, coram quibus, & quoties fuerit requiſitus, & an ſciat adeſſe aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

5. Interrogetur an ſibi pro hoc teſtimonio ferendo fuerit aliquid datum, promiſſum, remiſſum, vel oblatum à contrahere volentibus, vel ab alio ipſorum nomine.

6. Interrogetur, an cognoſcat ipſos contrahere

vo-

volentes, & à quanto tempore; in quo loco, qua occaſione, & cuius qualitatis, vel conditionis exiſtant;

Si reſponderit negatiuè, teſtis dimittatur, ſi verò affirmatiuè,

7. Interrogetur, an contrahere volentes ſint Ciues, vel exteri; ſi reſponderit eſſe exteros, ſuperſedeatur in licentia contrahendi, donec per literas Ordinarij ipſorum contrahere volentium doceatur de eorum libero ſtatu de eo tempore, quo permanſerunt in ſua Ciuitate, vel Diœceſi. Ad probandum verò eorundem contrahere volentium ſtatum liberũ pro reliquo temporis ſpatio, ſcilicet vſque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur teſtes idonei, qui legitimè, & concludenter deponant ſtatum liberum contrahere volentium, & reddant ſufficientem rationem cauſæ eorum ſcientiæ, abſq; eo quòd teneantur deferre atteſtationes Ordinariorum locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt:

Si verò reſponderit contrahere volentes eſſe Ciues,

8. Interrogetur ſub qua Parochia hactenus contrahere volentes habitarunt, vel habitent de preſenti.

9. Item an ipſe teſtis ſciat aliquẽ ex predictis contrahere volentibus quandoque habuiſſe vxorem, vel maritum, aut profeſſum fuiſſe in aliqua Religione approbata, vel ſuſcepiſſe aliquem ex Ordinibus ſacris, Subdiaconatum ſcilicet, Diaconatum, vel Pres-

byte-

byteratum, vel habere aliud impedimentum, ex quo non poſſit contrahi matrimonium.

Si verò teſtis reſponderit non habuiſſe vxorem, vel maritum, neque aliud impedimentum vt ſuprà,

10. Interrogetur de cauſa ſcientiæ, & an ſit poſſibile, quod aliquis ex illis habuerit vxorem, vel maritum, aut aliud impedimentum &c. & quod ipſe teſtis neſciat;

Si reſponderit affirmatiuè, ſuperſedeatur, niſi ex alijs teſtibus probetur concludenter non habuiſſe vxorem, vel maritum, neque vllum aliud impedimentum &c.

Si verò reſponderit negatiuè,

11. Interrogetur de cauſa ſcientiæ, ex qua deinde Iudex colligere poterit, an teſti ſit danda fides.

Si reſponderit contrahere volentes habuiſſe vxorem, vel maritum, ſed eſſe mortuos,

12. Interrogetur de loco, & tempore, quo ſunt mortui, & quomodo ipſe teſtis ſciat fuiſſe coniuges, & nunc eſſe mortuos. Et ſi reſpondeat mortuos fuiſſe in aliquo Hoſpitali, vel vidiſſe ſepeliri in certa Eccleſia, vel occaſione militiæ ſepultos fuiſſe à militibus, non detur licentia contrahendi, niſi priùs recepto teſtimonio authentico à Rectore Hoſpitalis, in quo prædicti deceſſerunt, vel à Rectore Eccleſiæ, in qua humata fuerunt eorum cadauera, vel ſi fieri poteſt, à Duce illius Cohortis, in qua deſcriptus erat miles. Si tamen huiuſmodi teſtimonia haberi non poſſunt, Sacra Congregatio non intendit exclu-

Digitized by Google

excludere alias probationes, quæ de iure communi poſſunt admitti, dummodo ſint legitimæ, & ſufficientes;

13. Interrogetur, an poſt mortem dicti Coniugis defuncti aliquis ex prædictis contrahere volentibus tranſierit ad ſecunda vota;

Si reſponderit negatiuè,

14. Interrogetur, an eſſe poſſit, quòd aliquis ex illis tranſierit ad ſecunda vota, abſque eo quòd ipſe teſtis ſciat;

Si reſponderit affirmatiuè, ſuperſedeatur in licentia, donec producantur teſtes, per quos negatiua coarctetur concludenter,

Si verò negatiuè,

15. Interrogetur de cauſa ſcientiæ, qua perpenſa, Iudex poterit iudicare, an ſit concedenda licentia, nec ne.

Si contrahentes ſunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, niſi doceant per fides Ordinariorum ſuorum eſſe liberos, & in alijs ſeruata forma Concilij Tridentini in cap. multi, ſeſſ. 24.

Fides, aliaque documenta, quæ producuntur de partibus, non admittantur, niſi ſint munita ſigillo, & legalitate Epiſcopi Ordinarij, & recognita ſaltem per teſtes, qui habeant notam manum, & ſigillum, & attentè conſideretur quòd fides, ſeu teſtimonia benè, & concludenter identificent perſonas, de quibus agitur.

Pro teſtibus in hac materia recipiantur magis cō-

ſanguinei, quàm extranei; quia præſumuntur meliùs informati, & Ciues magis, quàm exteri, nec admittantur homines vagi, & milites, niſi data cauſa, & maturo conſilio, & Notarius exactè deſcribat perſonam teſtis, quem ſi cognoſcit, vtatur clauſula, *mihi benè cognitus*; Sin minus, examen non recipiat, niſi vna cum perſona teſtis aliqua alia compareat cognita Notario, & quæ atteſtetur de nomine, & cognomine ipſius teſtis, nec non de idoneitate eiuſdem ad teſtimonium ferendum: Et huiuſmodi examinibus debet intereſſe in Vrbe vltra Notarium, Officialis ſpecialiter deputandus ab Eminentiſſimo Vicario, & extra Vrbem vel Vicarius Epiſcopi, vel aliqua alia perſona inſignis, & idonea ab Epiſcopo ſpecialiter deputanda; alias puniatur Notarius arbitrio Sacræ Congregationis, & Ordinarius non permittat fieri publicationes.

Ordinarij præcipiant omnibus, & ſingulis Parochis in eorum Diœceſibus exiſtentibus, vt pro matrimonijs cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Eccleſijs, niſi certiorato Ordinario, à quo, vel eius Generali Vicario priùs teneātur authenticam reportare, quòd pro tali matrimonio fuerunt examinati teſtes in eorum Tribunali, qui probant ſtatum liberũ contrahere volentiũ &c.

Contrauenientes autem ſeuerè punientur.

Franciſcus Riccardus S. Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis Notarius.

Loco ✠ Sigilli.

Anno

Anno à Natiuitate D. N. Ieſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo, Indictione octaua, die verò 30. menſis Auguſti, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis Diuina prouidentia Papæ Decimi Anno primo ſupradictum Decretum aſſixum, & publicatum fuit ad Valuas Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ de Vrbe, ac Palatij S. Officij eiuſdem Vrbis per me Petrum Paulum Deſiderium eiuſdem Sanctiſsimi D. N. Papæ, & Sanctiſs. Inquiſitionis Curſorem.



DECLARATIO SAC. CONGREGATIONIS CONCILII

De non ſolemnizandis Nuptijs tempore à iure vetito.

Ad Dubium Propoſitum.


AN Matrimonium coram Parocho quocunq; tempore contrahi poſſit. Sacra Congregatio cenſuit poſſe contrahi quocunque tempore Matrimonium, ſed temporibus comprehenſis cap. 10. ſeſſ. 24. de refor. matrim. Nuptiarum ſolemnitates, traductiones ad domum, & carnalem copulam prohiberi.

Fagnan. cap. Cappellanus n.11. de ferijs in 2. Decretal.

Quibus demum accedit authoritas Concilij Toletani celebrati anno Domini 1473. ſub Sixto Quarto in tit. Quod non fiant nuptiæ, nec carnales commixtiones, nec ſolemnitates tempore à iure vetito, tom. 4. Concilior. par. 1. pag. 748. vol. 1. Cuius hæc ſunt verba. Cum ſecundùm legitimas Sanctiones non ſit dubium, eos in legem committere, qui verba legis amplexi contra eius nituntur voluntatem, & quia tempore, quo Sacrorum Canonum Decretis nuptiarum celebratio interdicitur, & carnalis copula prohibetur, nonnullos laicos nubere, & carnaliter commiſceri, ac proinde conuiuia publica, ſtrepitus,

& cho-

& choreas facere, parentes quoque, & amicos inuitare, & cum hiſtrionibus, & ioculatoribus ſolemniter nuptias celebrare, & ad Eccleſias ſic incedere plerùmque contingit, Nos contendentes, quod Sacrorum Canonum intentio fuit, non tam Eccleſiæ ſolemnitates, & nuptiales benedictiones, quàm carnales commixtiones prohibere, conſuetudinem huiuſmodi diuellere cupientes, Sacro approbante Concilio, commixtiones prædictas, ſtrepitus, choreas, ioculationes, & alias ſolemnitates, ac conuiuia temporibus, quibus ſolemnia Eccleſiæ interdicuntur, & ceſſant nuptiales benedictiones, fieri de cætero, prohibemus, ſtatuentes, vt qui contra huiuſmodi noſtræ Conſtitutionis tenorem nupſerit, ipſo facto ſententiam Excommunicationis incurrat, Et nihilominùs Clerici, qui præfatis nubentibus Miſſas dixerint, decem florinorum pœna puniantur.



Digitized by Google

TAVOLE PERPETVE

Per ſaper in ciaſcun meſe dell'Anno l'hore Italiane di dir la Meſſa, Offitio Diuino, e per l'oſſeruanza degl'altri Precetti Eccleſiaſtici.

Auuertimenti per le ſeguenti Tauole.

LE ſeguenti Tauole compoſte per l'altezza di gradi 41. del Polo poſſono ſenza ſcrupulo di veruna ſorte ſeruire per altre altezze di gradi vicini 39.40.42.43. ſotto li quali ſi comprendono in Italia Napoli, e ſuo Regno, Roma, Stato intorno, Vmbria, Marca d'Ancona, Stato d'Vrbino, Toſcana, Corſica, e Sardegna. Nelle quali Tauole non ſi pretẽde aſſegnar l'hora preciſa, e puntuale de' ſudetti tẽpi, percioche facendoſi ogni giorno quaſi mutatione di qualche minuto, non potrà hauerſi l'hora certa ſenza l'vſo di qualche Tauola ſpaſa. Sol dunque ſi pretende aſſegnar vn'hora poco più, ò meno della vera aſtronomica, ſtimata da' Teologi nell'attioni humane ſufficiente per ſodisfar alla circoſtanza del tempo, richieſta ne' precetti Eccleſiaſtici, chiamata perciò da loro, tempo, ò hora morale.

In oltre, perche l'hore quì aſſegnate ſono conforme à gli Horologi à ruote, ò à campane, non ſi dourà da quelle ſcemare il tempo de' crepuſcoli, come ſi ſuole nell'altre Tauole degli horologi Solari, mà l'hore, verbi gratia, 18. ſaranno appunto quando ſi ſentiran ſonare li ſei tocchi della campana. Di più ſe in alcun luogo ſaran molti horologi, potrà ciaſcuno

ſcuno ſeruirſi di quel, che più gli piacerà, ancorche vadi più preſto, ò più tardi degl'altri, pur che la differenza non moſtri error grande.

Prima Tauola del Mezzo Giorno, e del Matutino priuato.

MEſſa. La cognitione del mezzo giorno è neceſſaria primieramẽte a' Sacerdoti, a'quali non è lecito regolarmente ſenza priuilegio dir la Meſſa dopo il mezzo giorno, ſe nõ fuſſe di poco tẽpo paſſato.

